C. CORNELII TACITI

OPERA

RECENSUIT

ET

COMMENTARIOS SUOS

ADIECIT

GEORG. HENRICUS WALTHER.

TOM. III.

HISTORIARUM LIBROS

COMPLECTENS.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

MDCCCXXXI.

C. CORNELII TACITI

HISTORIAE

RECENSUIT

ET

COMMENTARIOS SUOS

ADIECIT

GEORG. HENRICUS WALTHER.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

MDCCCXXXI.

C. CORNELII TACITI
HISTORIARUM
LIBRI I.

C. CORNELII TACITI
HISTORIARUM
LIBER PRIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Praefamen. auctoris dignitas, aetas, institutum. 2. 3. Praesentis historiae summa capita. 4. 5. Status urbis, mens exercituum, habitus provinciarum occiso Nerone. Nymphidius imperium adfectans oppressus. 6. 7. Galbam crudelitas sua, aetas, corporis forma et amicorum vitia reddunt invisum. 8. 9. Status Hispaniae, Galliae, Germanicorum exercituum, Britanniae, Illyrici. 10. In Syria Muciani virtutes et vitia. Fl. Vespasiani Iudaicum bellum administrantis animus in Galbam. 11. Aegypti, Africae, Mauretaniae, Raetiae, Norici, Thraciae, Italiae status COSS. Galba et Vinio.

12. Deficiente superioris Germaniae milite Galba de adoptando Caesare cogitat. 13. Vinius Othoni favet, non ita Laco et Icelus. 14. Galba transactis imperii comitiis Pisonem eligit, hominem antiqui moris et severum, cui 15. 16. adoptionis causas et imperii administrandi consilium aperit. 17. Pisonis inter haec moderatio. 18. Adoptio in castris nuncupata, 19. tum in senatu. Legati ad defectores missi. 20. Neronis prodigae donationes rescissae.

21. Othoni spe lapso consilium in turbido, 22. instigantibus libertis, servis, mathematicis, 23. 24. paratis iam ante militum studiis per blanditias et largitiones, oscitante ad id praefecto. 25. 26. Ergo iam legiones et auxilia pro Othone. 27. Mox consalutatus imperator 28. castris praetorianis infertur.

29. 30. Piso cohortem, quae in palatio stationem agit, hortatur ad fidem. 31. Illa parat signa, reliquis copiis deficientibus. 32. 33. Plebis adulatio et levitas. Fluctuat Galba cum amicis, an occurrendum? 34. Praemittitur in castra Piso. Falsus de occiso Othone rumor. 35. Populus et senatus Galbae, 36. castra Othoni favent. 37. 38. Hic militum animos oratione sibi conciliat, Galbae et Pisoni reddit infensos. Arma militi dividit. 39. Agitat Laco de caede Vinii. 40. Galba fluctuat. Plebs nutat. Othoniani forum inrumpunt. 41. Galba desertus, occisus: 42. sic et Vinius. 43. Sempronii Densi fides. Piso caesus 44. magna Othonis laetitia. Caedium praemia poscentes iussu Vitellii postea interfecti. 45. Adulantur senatus et populus victorem Othonem, qui coercendo militum furori impar. 46. hi vacationes sibi remitti petunt. Laco et Icelus caesi. 47. Pisonis et T. Vinii sepultura, 48. elogia, testamenta. 49. Galbae sepultura, aetas, nobilitas, mores, honores.

50. Trepidam urbem novus de Vitellio nuntius exterret. Vespasianum nonnulli augurantur. 51. Initia Vitelliani motus ex bello Iulii

Vindicis et secutis inde discordiis inter legiones et Gallos. 52. 53. Vitellius suo ingenio ignavus ad res novas stimulatur a Valente et Caecina legatis. 54. 55. Legiones utriusque Germaniae fidem in Galbam exuunt 56. segni spectatore Hordeonio Flacco legato. 57. Valens Vitellium imperatorem consalutat magno militum studio, 58. quibus poscentibus multi caesi. 59. Iulius Civilis periculum evadit. Undique viribus auctus. 60. inter foedas legatorum discordias 61. duos exercitus in Italiam mittit. 62. Torpet Vitellius, ardor et vis militum ultro ducis munia implet. 63. Subito furore correptus miles ab excidio Divoduri aegre temperat. Gallias terror invadit. 64. Vitellio adhaerent. 65. Lugdunenses ex vetere odio milites in eversionem Viennensium impellunt: 66. isti tamen donis placantur et precibus. Valentis avaritia et libido. 67. 68. Helvetios Vitellii imperium abnuentes Caecina belli avidus caedit. 69. Aventicum aegre impunitatem salutemque impetrat. 70. In Vitellii partes transgressa Italiae parte Caecina Alpes superat.

71. Otho prudenter se gerit: Mario Celso ignoscit. 72. Tigellinus infamem vitam exitu inhonesto foedat. 73. Galvia Crispinilla cum mala Othonis fama periculo exempta. 74. Principes mutuo sibi conditiones offerunt, mox rixantes flagitia invicem obiectant et 75. insidiatores immittunt. 76. Distractis inter utrumque exercitibus ac provinciis bello opus. 77. Otho imperatorem agit, honores, 78. civitatem, iura dilargitur: de celebranda Neronis memoria agitat.

79. Sarmatae Roxolani Moesiam inrumpentes caesi. 80—82. Seditio gravis in ipsa urbe temere orta cum magno metu atque discrimine primorum civitatis precibus et lacrimis Othonis componitur, qui 83. 84. milites ad concordiam et modestiam hortatur. 85. Istis compositis omnia suspicionum et formidinis plena, praecipuo patrum metu. 86. Prodigia Othonis cladem praesagientia. 87. Is lustrata urbe Narbonensem Galliam adgredi statuit et 88. cum multis nobilibus L. Vitellium aemuli fratrem secum ducit. 89. Inde varii animorum motus. 90. Commendata patribus re publica Otho festinat ad bellum. Trachali eloquentia usus Otho, in quem studia et voces vulgi. Gesta haec paucis mensibus,

IMP. SERV. GALBA ET T. VINIO COSS.

I. Initium mihi operis Servius Galba iterum, T. Vinius consules erunt. nam post conditam urbem

COMMENTARIUS.

Cap. 1. Seebode (in Observv. an. 1812. cum Agricolae Vita editis) hunc librum ἀκέφαλον esse indicat, quam suspicionem ipsi indiderant Mureti verba ab Acidalio ad h. l. memorata. Resarcit locum sic: *Populi Romani res* (*Historias*) *enarraturo initium mihi* etc. Haec enim inscriptione absorpta esse suspicatur. At si talem inscriptionem auctor posuit, inde satis patebat historias p. R. eum esse enarraturum, nec opus erat, ut denuo id lectori inculcaretur.

initium mihi. MSS. Vat. 1864. et Corb. pro *mihi* dant *mei*.

Servius G. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. (cum sil. Vict.). *Seruus Galba* ed. Spir. hic et infr. c. 11. At c. 49. ea habet *Seruius*. cf. interpretes ad Suet. Galb. c. 1. Dio 56, 29. 58, 20.

T. Vinius. Sic MS. Flor. constanter (test. Vict.) et edd. inde a

octingentos et viginti prioris aevi annos multi auctores rettulerunt, dum res populi Romani memorabantur, pari eloquentia ac libertate: postquam bellatum apud Actium atque omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit,

Lipsii prima. *Titus Iunius* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. ante Lipsium, qui verum nomen restituit e lapide. cf. Muratori N. Thes. Inscr. I. p. 807. n. 5. Gruter. Inscr. ant. p. 189. n. 3 Syllabas *vi* et *iu* saepissime in MSS. confundi dictum est ad An. 1, 8. et alibi.

octingentos et viginti. Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict. c. I. Gron.) Reg. Bud. Agr. Guelf. aliique (test. Broterio), edd. Spir. Ryck. Iac. Gron. Broter. Naudet. Bekker. — *ducentos et viginti* edd. Put. M. et V — *DCC et XX* edd Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Ryckium et nonnulli recentiorum. Male. Particula *nam*, quae rationem reddit, cur auctor id operis initium ceperit neque priora tempora tetigerit, satis docet *prius aevum* intelligendum esse omne tempus, quod ab urbe condita usque ad Ser. Galbam iterum et T. Vinium consules elapsum est, idque tempus Noster alibi etiam 820 annorum numero complectitur. cf. infr. 4, 58. *Te, Iupiter optime maxime, quem per octingentos viginti annos — coluimus.* Post numerum DCCXX particula *nam* absurda est. Tum enim Noster dicit: Incipio opus meum ab anno 820; nam priores annos 720 multi rettulerunt. cf. Dureau de la Malle ad h. l. Iam in sequentibus auctores, qui 820 annos priores rettulerunt, secundum diversa tempora distinguuntur: qui res pop. Rom. memorabant, eos Tacitus dicit pari eloquentia ac libertate usos; post pugnam Actiacam magna illa ingenia cessisse. Virgula igitur post verbum *memorabantur* (sic Ryck.); ante *postquam* pro puncto lenior distinctio erat ponenda (sic et Broterius). Vulgo: *dum res populi Rom. memorabantur pari eloquentia ac libertate. Postquam* etc. Dureau de la Malle: *dum res populi Rom.* (sc. erant), *memorabantur* (illae) *pari eloq.* etc. Sed ablativi *pari eloq.* etc. pendent e verbo *rettulerunt.* De huius loci ratione plane mecum consentit Wissowa in *Lectionn. Tacit spec. prim.* 1828. Mox ed. Spir. post *bellatum* addit *est.*

omnem potentiam. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Agr. Corb. edd. Spir. Ryck. Iac. Gron. Bip. — *omnium potestatem* MS. Bud. et cod. Danes. Probavit Rhenanus. — *omnium potentiam* MS. Reg. — *omnem potestatem* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. et nuper Ernest. Brot Oberl. sqq., quibus suffragantur codd. MSS. Guelf. aliique, uti prodidit Broterius omissa diserta librorum nominatione. Iam *omnis potestas* ex usu latinitatis significat cuncta iura, quae sunt alicuius magistratus, ut omnis potestas consularis, tribunicia, praetoria etc. Hic tamen non de una aliqua potestate sermo est; tum enim nondum audiebatur potestas, quae omnem potentiam complecteretur, sed ut talis exsisteret, intererat: intererat igitur, ut omnis *potentia* (non *potestas*) ad unum conferretur. Ernestius parum recte statuit, potentiam conferri non posse. Quid enim impedit, quo minus potentem aliquem faciamus? Sed hic verbum *conferri* non vult, ut cogitemus de potentia Caesari *delata* (*verliehen*): est potius συμφορεῖσθαι, *congeri. Omnium potestas* est omnium rerum arbitrium vel potestas, quam omnes habent. Neutrum huic loco satis convenit et tutius haud dubie cum MS. Flor. ibimus. Ceterum cave, ne credas promiscua esse vocabula *potentia* et *potestas*, de quorum discrimine disputavimus in Observv. 1827. Ad hunc quoque

magna illa ingenia cessere: simul veritas pluribus modis infracta, primum inscitia rei publicae ut alienae, mox libidine adsentandi aut rursus odio adversus dominantes. ita neutris cura posteritatis inter infensos vel obnoxios. Sed ambitionem scriptoris facile adverseris: obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur. quippe adulationi foedum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest. Mihi Galba, Otho, Vitellius nec beneficio nec iniuria cogniti. dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim: sed incorruptam fidem professis

locum Wissowa plane mecum consentit.

ad unum conferri. Ed. Spir. *conferri ad unum.*

inscitia rei publicae ut alienae. Dio 53, 19. *οὐ μέντοι καὶ ὁμοίως τοῖς πρόσθεν τὰ μετὰ ταῦτα πραχθέντα λεχθῆναι δύναται. πρότερον μὲν γὰρ ἔς τε τὴν βουλὴν καὶ ἐς τὸν δῆμον πάντα, καὶ εἰ πόῤῥω που συμβαίη, ἐςεφέρετο, καὶ διὰ τοῦτο πάντες τε αὐτὰ ἐμάνθανον καὶ πολλοὶ συνέγραφον. κἀκ τούτου καὶ ἡ ἀλήθεια αὐτῶν, εἰ καὶ τὰ μάλιστα καὶ φόβῳ τινὰ καὶ χάριτι, φιλίᾳ τε καὶ ἔχθρᾳ τισὶν ἐῤῥέθη, παρὰ γοῦν τοῖς ἄλλοις τοῖς τὰ αὐτὰ γράψασι τοῖς τε ὑπομνήμασι τοῖς δημοσίοις τρόπον τινὰ εὑρίσκετο. ἐκ δὲ δὴ τοῦ χρόνου ἐκείνου τὰ μὲν πλείω κρύφα καὶ δι' ἀποῤῥήτων γίγνεσθαι ἤρξατο κ. τ. λ.* Qui locus egregiam Taciti verbis adfundit lucem. Ceterum *ut* non est *gleichsam*, quomodo expressit Ricklefs.; immo veram rationem reddit.—Mox pro *cura* ed. Spir. dat *cur*; pro *infensos* eadem habet *īfusos*. MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.). *fensos*, omissa syllaba I.

sed ambitionem scriptoris facile adverseris. ambitionem MSS. Flor. (test. Vict.) Farnes. Corb. Guelf. edd. Rhen. Ald. sqq. *ambitioni* MS. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. — Pro *scriptoris* MSS. Farnes. et Corb. habent *scriptionis*; Guelf. *scriptorum* in contextu, in margine *scriptoris*, ita scriptum *scriptoi͞s*, unde ortum puta *scriptionis*. — In verbo *adverseris* vett. libri consentiunt, quantum constat, omnes. Muretus et Pichena malebant *averseris*, quod placuit Ernestio. Recentiores editores restituerunt *adverseris*. Recte. cf. not. ad An. 1, 28. *Averseris* ab hoc loco alienum est. Nam id verbum significat male adfici aliqua re eamque nolle. Iam sapientes omnes aversantur ambitionem scriptorum; sed hic sermo est de ipso scriptore evitaturo ambitionem in scribendo (quod mox docent verba: *quippe adulationi foedum crimen servitutis — inest*) h. e. de scriptore, qui adversatur ambitionem.

obtrectatio et livor. cf. Roth. p. 21. qui dubitat utrum sint synonyma, an per figuram *ἓν διὰ δυοῖν* dicta.

a Vespasiano. Edd. Spir. Put. M. et V. cum MS. Guelf. *a Vespesiano* et sic Put. et cod. Guelf. constanter. Sunt vero etiam loci plurimi, ubi ed. Spir. habet *Vespas.* — In *inchoatam* hic conspirant MS. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. (cum sil. Vict.). Alibi libri variant inter *inchoare*, *incoare* et *incohare*.

professis. Sic MS. Guelf. edd. vett. (cum sil. Vict.) et recentt. — *professo* MSS. Agr. et Corb. ex emendandi studio, quia auctor de se ipso loquitur. Sed etiam *professis* ad ipsum referri potest. Sic ante dixit *nostram* dignitatem. Nihil impedit, quod *mihi* et *abnue-*

neque amore quisquam et sine odio dicendus est. Quod si vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui, rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis, et quae sentias, dicere licet.

II. Opus adgredior opimum casibus, atrox proeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevum.

rim interponitur. Non enim constans sibi est in eiusmodi locis. cf. An. 1, 42. *nos ut nondum eosdem, ita ex illis ortos.* Mox: *hunc ego nuntium patri feram.* Hist. 2, 77. *nobis nihil ultra adrogabo.*

neque amore. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. I. Gronov.) Corb. edd. Spir. et Iac. Gronov. *nec amore* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Iac. Gron. et recentiores. Mox ed. Ber. pro *suppeditet* vitiose dat *suppediret.*

uberiorem securioremque. MSS. Bud. et Guelf. *uberioremque* omisso altero vocabulo, quod quo sensu hic dictum sit, non concoquebant librarii. Sed *uberiorem* spectat ad res gestas Traiani: in *securiorem* ne cogita de periculis ob priorem historiam scriptori timendis (nam talia tunc erant nulla), sed de rebus, quae hilari animo et sine cura aut aerumna e publicis malis oriunda poterant enarrari. Nam materia *secura* est seiuncta a curis, aerumnis. Eodem sensu *securum merum* Tibull. 2, 1, 46. Relege An. 4, 32.

senectuti. Ed. Spir. *senectutis.* Adhaesit littera ultima e sequenti verbo: quod vitium in illo libro vulgare est.

Cap. 2. *adgredior.* Sic MS. Flor. (test. Vict.). *aggredior* MS. Guelf. edd. vett.

opimum casibus. Sic MSS. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Pich. Beroegg. sqq. Idem notatum est in marg. MSS. Harl. et Vatic. At MSS. Vat. (a pr. m.) et Flor. (test. Vict. c. al.) dant *opibus casibus.* MS. Bud. *plenum gravioribus casibus.* Idem exstat in marg. MS. Guelf. — *plenum variis casibus* MS. Guelf. (in contextu) edd. Put. sqq. usque ad Pichenam. Quae librorum varietas latum campum aperuit coniecturis. Lipsius: *opulens casibus;* Io. Fr. Gronovius: *obsitum* vel *uberrimum c.;* Iac. Gron.: *copiosum c.;* Ernest.: *horridum* vel *horribile c.;* Seebodii amicus (cf. Observv. p. 21.): *gravidum c.* Bip. suadente Crusio in Probabil. p. 30. maluere *inopinum c.* Acquiesco in vulgatis, neque tamen adfirmaverim Tacitum ita scripsisse. — Rupertius in Animadverss. (vid. Biblioth. crit. 1820. fasc. 3. p. 215 sqq.) pro *opus* vult *tempus* (*tpus*), cui vocabulo epitheta *atrox*, *saevum* melius convenire ait: pro *discors* idem vult *vecors.* Sed vocabulum *opus* ab hisce insidiis satis tutum videtur esse per verbum *adgredior.* Opus adgredimur, non tempus. In *opus* tamen temporis notio latet: nam historicum est opus. Hinc opus atrox proeliis etc. erit opus, in quo enarratur tempus atrox proeliis etc. Quod ille coniectat *vecors*, malum omen ex ipso vocabulo habet, nec spero unquam vulgatam scripturam loco esse cessuram. Ceterum vocabulum *discors* non apparet in ed. Spir.

ipsa etiam pace. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Rhen. Ald. sqq. — *in ipsa etiam pace* MS. Agr. edd. Beroald. Alc. Broterius de suis MSS. tacet. Sed Oxonienses cum Guelf. plerumque consentiunt. Solet Tacitus addere praepositionem, quotiens loquitur de pacis tempore. cf. infr. c. 5. 51. 54. 75. 77. 86. 88. 2, 4. 77. 82. Omissa praepositione casus *pace* causalis est. cf. infr.

quattuor principes ferro interempti: trina bella civilia, plura externa, ac plerumque permixta: prosperae in Oriente, adversae in Occidente res: turbatum Illyricum: Galliae nutantes: perdomita Britannia et statim missa: coortae in nos Sarmatarum ac Suevorum gentes: nobilitatus cladibus mutuis Dacus: mota etiam prope Parthorum arma falsi Neronis ludibrio. Iam vero Italia novis cladibus vel post longam saeculorum seriem repetitis adflicta. haustae aut obrutae urbes, fecundissima Campa-

c. 67. 2, 67. 86. Quare *opus pace saevum* intelligas opus, in quo narratur tempus, cuius etiam pax erat saeva. MS. Flor. (test. Vict.) pro *saevum* dat *saevom*; Guelf. *scevum*, uti solet. Ed. Beroald. *interrempti*. Correxit Victorius e MS. Flor.

quattuor principes. Galba, Otho, Vitellius, Domitianus.

trina bella. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Bud. Guelf. Reg. Corb. Bodl. Ies. Harl. edd. Spir. Bip. Oberl. sqq. *terna bella* MS. Agr. *tria bella* edd. Put. sqq. Mox ed. Spir. *prospere in oriētē: adverse in occidentem: returbatum illiricum*. MS. Guelf. omittit *in* ante *occidente*.

perdomita Britannia. cf. Tacit. Agr. c. 10 sqq.

missa. h. e. neglecta (*fahren lassen*, *aufgeben*, missum facere aliquid, ἀφιέναι). Lipsius coniecerat *omissa* vel *amissa*. Hoc receperat Pich. — Ryck. et Iac. Gron. e MS. Flor. restituerunt *missa*, nec quidquam innotuit alios codices MSS. variare.

coortae in nos Sarm. ac Suev. g. Sic edd. Ryck. Iac. Gron. sqq. duce MS. Flor. et suadentibus Mureto et Acidalio. Namque MS. Flor. (test. Vict.) habet *innossarmatarum*. MS. Corb. *cohorte in nos*, uti emendatum est in MS. Harl. — MSS. Bud. Agr. aliique codd. (test. Brot.) *cohorte in Sarm.* MS. Guelf. *cohorte in rhosolanos Sarmatharum*. Ed. Spir. *et statim missa cohorte in Sarmatharum: ac Subeorum gentes*. Edd. Put. M. et V. *et st. m. cohorte Roxolanos Sarmatarum ac Suevorum g.* (ed. Put. M. *Rhoxolanos*). Beroaldus ante *Roxolanos* addidit *in*. Rhenanus expunxit *Roxolanos*. Ex emendatione Lipsii edd. Pich. Bernegg. Gron. *et statim missa. coortae Sarmatarum ac Suevorum gentes*. MS. Flor. (test. Vict.) pro *Suevorum* habet *Sueborum*. cf. not. ad An. 11, 6. sub v. *cogitavissent*. Mox pro *Dacus* ed. Spir. fert *Dachus*.

falsi Neronis ludibrio. cf. Suet. Ner. c. 57. Lactant. de Mort. Pers. c. 2.

fecundissima. Sic MS. Guelf. Ed. Spir. *fecundissime*. Edd. Put. sqq. (c. sil. Vict.) *foecundissima*. — Mox restitui copulam ante *urbs*, quam Pichena neglecta vett. librorum auctoritate et sine causa deleverat. Retinuit eandem et Iac. Gronovius. In ed. Spir. deest *incendiis*. Ceterum edd. ante Pichenam locum distinguunt ita: *Haustae aut obrutae urbes. Foecundissima Campaniae ora, et urbs* etc. Pichena dedit: *Haustae aut obrutae urbes fecundissimae Campaniae orae. Urbs* etc. Lipsius volebat: *H. a. o. urbes fecundissimâ Campaniae orâ: et urbs* etc. et ita edidere Bernegg. sqq. sed neglecta copula *et*. Oberlin. sqq. admittunt virgulam post *urbes*. At si verba: *fecundissima C. ora* cum praecedenti loco cohaerent, non intelligo quid Tacito acciderit, ut non praepositionem *in* adderet. Iam vero satis video veram esse vett. librorum interpunctionem.

niae ora; et urbs incendiis vastata, consumptis antiquissimis delubris, ipso Capitolio civium manibus incenso: pollutae caerimoniae: magna adulteria, plenum exsiliis mare, infecti caedibus scopuli. Atrocius in urbe saevitum. nobilitas, opes, omissi gestique honores pro crimine et ob virtutes certissimum exitium. nec minus praemia delatorum invisa quam scelera, cum alii sacerdotia et consulatus ut spolia adepti, procurationes alii et interiorem potentiam agerent, verterent cuncta odio et terrore. corrupti in dominos servi, in patronos liberti, et quibus deerat inimicus, per amicos oppressi.

quam restituo. Incendia Campaniae accipe de incendio montis Vesuvii, quo non solum urbes haustae aut obrutae, sed etiam tota Campaniae ora vastata est. cf. Xiphil. 66, 21 sqq. De urbis incendiis cf. id. 66, 24. et 65, 17. Noster infr. 3, 71.

pollutae caerimoniae. cf. Sueton. Dom. c. 8. Xiphilin. 67, 3.

infecti caedibus scopuli. MS. Agr. *infecta caedibus scopula.* cf. not. ad An. 2, 24.

quam scelera. Ed. Spir. *q̃ quasi scelera.* Eadem pergit *cum aliis,* et mox pro *procurationes* ea fert *procuratores.*

interiorem potentiam. Intellige potentiam aulicam, quae versatur in ipsius principis consiliis regendis, estque eorum, qui amici principis audirent ac penitus inrepsissent.

agerent verterent cuncta odio et terrore. Ed. Spir. *potentiam agerent. Verterent cuncta odio et terrore corrupti: in* etc. Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. c. MS. Guelf. *potentiam agerent: Verterent c. o. et terrore: corrupti* etc. Consentiunt in haec verba alii codd. MSS., qui an eodem modo distinguant non satis constat. Rhenanus ex ingenio dedit: *potentiam, agerent ferrent cuncta. Odio et terrore corrupti* etc. Sed formula *agere ferre* frequens apud Livium, ut exprimat Graecorum ἄγειν καὶ φέρειν, ab hoc loco aliena est, quidquid pro ea disputant Gronovii et Pichena. Ryckius sqq. bene reduxere vetera verba, meliore distinctione. Quaeritur tamen adhuc de vera loci sententia. Rickless. et Gutmann. interpretantur: *Alles aufregten und umkehrten durch Haſs und Schrecken.* Sed hoc non inest verbo *agerent;* neque ablativi *odio et terrore* ita stricte pendent e verbis praecedentibus, ut odio et terrore cuncta illi egisse, vertisse dicantur: sunt potius ablativi qui dicuntur absoluti, intellecto participio verbi substantivi. Nam *odium* et *terror* non erant in animo delatorum, sed apud cives. Germanice: *unter Haſs und Schrecken.* Etenim delatorum scelera et praemia indigne ferebantur a civibus: sed terrore perculsi hi nil contra illos audebant. Copula *et* eadem ratione utitur, qua est An. 1, 13. in verbis: *avidum et minorem.* Vide ibi not. Iam *agere cuncta* simplicissimo suo et genuino significatu erit: *alles verhandeln, alles unter Händen haben, alles vermögen.* Ne tamen putes bene illos cuncta egisse, additur *verterent* h. e. male illos cuncta egisse, agendo cuncta turbasse. Nam *vertere* saepe indicat mutationem in peius, turbationem. cf. An. 1, 4. 3, 54.

oppressi. Ed. Spir. *oppressit.*

III. Non tamen adeo virtutum sterile saeculum, ut non et bona exempla prodiderit. comitatae profugos liberos matres, secutae maritos in exsilia coniuges, propinqui audentes, constantes generi, contumax etiam adversus tormenta servorum fides, supremae clarorum virorum necessitates, ipsa necessitas fortiter tolerata, et laudatis antiquorum mortibus pares exitus. praeter

Cap. 3. *audentes.* Sic edd. Lips. sqq. *audientes* MS. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Micyll., vitio vulgari. cf. not. ad c. 6.

supremae clarorum virorum necessitates. Ernestius desiderat praedicatum, unde virtus eluceat. Nam necessitatem supremam nec virtutem esse nec bonum exemplum. Quare suspicatur Tacitum scripsisse: *supremae clarorum virorum necessitates fortiter toleratae.* Seebode in observv. p. 23, ut tenebras dispellat, scribit Tacito supremas necessitates dici mortem insigni constantia exspectatam. Ita iam prius Hillerus in Racem. locum explicuerat. Sed obiicit Rupertius in observv. (*Biblioth. crit.* 1819. p. 339.) sic difficultatem non tolli omnem: nam *supremam* vel *ultimam necessitatem* Tacito simpliciter dici mortem (debuisset addere *imperatam* vel *necessitate impositam.* cf. An. 11, 37. 15, 61. Hist. 1, 72). Censet igitur legendum: *supremae clarorum virorum necessitates ipsa necessitate fortiter toleratae* h. e. propter eam et necessitatis fative leges, quibus parere sapientis est et animosi. Vix credo tam inanem sententiam Tacito excidere potuisse. Weikerto verba *ipsa nec. f. tolerata* per gratiam quandam negligentiam priori membro adposita videntur accuratioris explicationis causa. Herbst. in *Animadverss. in Propertium et Tacitum Ienae* 1815. verba inde a *supremae* usque ad *tolerata* tanquam unum enuntiatum cogitari iubet. Nam primum rem nudam enarrari, deinde virtutem, quae in ea spectetur. Sed tum iterum quaerere licet, cur non Tacitus scripserit, uti volebat Ernestius. Nam prius membrum ex tali explicatione non potest non otiosum esse. Id satis certum est Tacitum in verbis *supremae . . . . tolerata* duplex voluisse edere documentum, quo doceret illud saeculum virtutum non plane sterile fuisse: primum est, *supremae clarorum virorum necessitates*; alterum, *ipsa necessitas fortiter tolerata.* Illud vero non cernitur in *supremis necessitatibus*, quae non sunt virtus, ut Ernestius recte animadvertit; sed in *clarorum virorum necessitatibus supremis.* Nam si illud saeculum, quamvis tot flagitiis pollutum, claros tamen viros habuit, qui servitium aulae potentiumque adulationem, unicum tunc adversus pericula munimentum (cf. An. 3, 65. *primores civitatis, quibus claritudo sua obsequiis protegenda erat*), abnuerent mallentque supremas necessitates, non dubitabis bona etiam exempla inter scelestos illud tempus tulisse.

et laudatis. MS. Bud. test. Rhenano: *ne et laudatis* h. e. *gesetzt dafs nicht, wenn auch nicht.* cf. Ramshorn. Gr. p. 596. Sane non video, an laudatis antiquorum mortibus pares exitus tum habuerint viri clari. Nam laudatae antiquorum mortes sunt obitae pro re publica mortes, honesti civium exitus. cf. An. 16, 16. Sed Noster hic respicit ad mortes obitas in bello contra rei publicae Romanae hostes. Rhenanus tamen coniecit legendum: *nec laudatis a. m. impares exitus.* Ed. Spir. pro *pares*

multiplices rerum humanarum casus caelo terraque prodigia et fulminum monitus et futurorum praesagia, laeta, tristia, ambigua, manifesta. nec enim unquam atrocioribus populi Romani cladibus magisve iustis indiciis adprobatum est non esse curae deis securitatem nostram, esse ultionem.

IV. Ceterum antequam destinata componam, repetendum videtur, qualis status urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid aegrum fuerit, ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque noscantur. Finis Neronis ut laetus primo gaudentium impetu fuerat, ita varios motus animorum non modo in urbe apud patres

exitus dat *par exitus*. Verum numero plurali apte dicitur id vocabulum. cf. An. 1, 10.

fulminum. Ed. Spir. *fluminum*.

atrocioribus. MS. Guelf. *atrocibus*.

magisve iustis indiciis. MSS. Flor. aliique codd., edd. Spir. Put. Ber. Alc. *magis vetustis*, aperto facilique vitio, pro quo edd. Rhen. Ald. sqq. recte dant *magisve iustis*. Nam *iusta indicia* sunt, quibus nihil deest ad suum complementum h. e. certissima, luculenta, manifesta. In scriptura *indiciis* consentiunt MSS. Flor. Bud. Agr. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. Alc. Ryck. Iac. Gron. Ernest. sqq. *iudiciis* edd. Rhen. sqq. ad Ryckium cum MS. Reg., quod perperam defendit Dureau de la Malle. Ceterum *indicia* non sunt prodigia ante dicta, uti volunt Ricklefs. et Gutmann., sed in universum documenta, argumenta, signa, unde aliquid noscitur.

non esse curae deis etc. cf. An. 6, 22. 16, 33. Ed. Spir. dat: *non esse curae de securitate nostra esse ultionem*.

Cap. 4. *repetendum*. Edd. Put, M. et V. *rependum*.

terrarum orbe. Ed. Spir. *orbe terrarum*.

qui plerumque fortuiti sunt. Disputant interpretes, cur Tacitus ad causas nos remittat et tamen adfirmet casus eventusque plerumque esse fortuitos. Nam fortuitae res dicuntur, quae absque deorum hominumve consilio et ratione eveniunt. Verum nihil absurdi scriptoris sententiae inest. Ratio et causae hic non intelliguntur metaphysicae vel divinae, sed naturales, quod patet e verbis praecedentibus. Iam ratio et causae rerum opponuntur casibus eventibusque rerum. Hi plerumque sunt fortuiti (sc. ex opinione illius philosophi, cf. An. 6, 22. et secundum externam rerum naturam) h. e. pendent e fortuna, in hanc partem, an in diversam cadant. Ita fortuitum fuit, quod Vitellius Othonem superavit, neque hic illum; quod hi viri neque alii eadem egerunt. Sed res ipsae rationem causasque suas habuere in statu moribusque urbis, in mente exercituum, in habitu provinciarum atque in totius terrarum orbis vigore aut aegritudine, et si non evenissent singula illa, quae evenere, debuissent tamen similia hisce evenire. Hoc necessarium

aut populum aut urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat, evulgato imperii arcano posse principem alibi quam Romae fieri. sed patres laeti usurpata statim libertate licentius ut erga principem novum et absentem: primores equitum proximi gaudio patrum: pars populi integra et magnis domibus adnexa, clientes libertique damnatorum et exsulum in spem erecti: plebs sordida et circo ac theatris sueta, simul deterrimi servorum, aut qui adesis bonis per dedecus Neronis alebantur, maesti et rumorum avidi.

V. Miles urbanus longo Caesarum sacramento imbutus et ad destituendum Neronem arte magis et impulsu quam suo ingenio traductus, postquam neque dari donativum sub nomine Galbae promissum neque magnis meritis ac praemiis eundem in pace quem in bello locum praeventamque gratiam intelligit apud principem a legionibus factum, pronus ad novas res scelere insuper

fuit, illa fortuita. Sic infr. c. 16. *generari et nasci a principibus fortuitum.* cf. Oudendorp. ad Sueton. Tib. c. 39. p. 381.

aut populum aut urbanum militem. Sic MSS. Flor. (test. Pichena) Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Pichen. sqq. — *apud populum, apud u. m.* MS. Bud. et inde edd. Rhen. sqq. usque ad Pichenam.

arcano. Ed. Spir. *archano.*

sed patres laeti. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. Contra MS. Flor. (test. Vict. cum lac Gron.) et ed. Spir. pro *laeti* ferunt *laetius.* Scilicet syllaba *us* adhaesit e sequenti verbo. Ed. Spir. pergit: *usurpatam statim libertatem licentius.*

pars populi integra Opponitur sordidae et cuius bona fuere adesa. Sic Suet. Ner. c. 12. *fortunae et existimationis integrae.*

adnexa. Sic MSS. edd. vett. et recentt. praeter Pichen., qui e Lipsii coniectura maluit edere; *annexi clientes libertique* etc. Mox ed. Beroald. habet *exultum* pro *exulum.* Correxit Victorius in suo exemplari.

CAP. 5. *arte magis et impulsu.* Roth. intelligit ἓν διὰ δυοῖν putatque hoc dictum pro eo, quod Tacitus dicere noluerit, *artificioso impulsu.* Secus mihi videtur. *Ars* spectat ad dolum, quo decipiebantur, *impulsus* ad vim, qua per exemplum ceterorum subito trahebantur. Haec duo diversa sunt incitamenta. Mox ed. Spir. *traductus. Postquam* etc.

quem in bello. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. lac. Gron.) Bud. Reg. Oxon. Guelf. edd. Spir. Ernest. sqq. — *qui in bello* edd. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. usque ad Ernest. cf. not. ad An. 13, 19. sub vv. *pari ac Nero.* Nimirum utrumque exemplum diversum et hic iste casus est, quem illic volebant Heinsius et Lünemannus. cf. Cic. Fin. 4, 20. *Zeno negat, Platonem, si sapiens non sit, eadem esse in causa, qua tyrannum Dionysium.* Ramshorn, Gr. p. 616. b).

Nymphidii Sabini praefecti imperium sibi molientis agitatur. et Nymphidius quidem in ipso conatu oppressus: sed quamvis capite defectionis ablato manebat plerisque militum conscientia, nec deerant sermones senium atque avaritiam Galbae increpantium. laudata olim et militari fama celebrata severitas eius angebat aspernantes veterem disciplinam atque ita quattuordecim annis a Nerone adsuefactos, ut haud minus vitia principum amarent quam olim virtutes verebantur. Accessit Galbae vox, pro re publica honesta, ipsi anceps, legi a se militem, non emi. nec enim ad hanc formam cetera erant.

molientis. Ed. Put. M. et V. *mollientis.*

agitatur. I. Fr. Gronovius ad h. l. „Malim, ait, *agitatus.* Non enim cum maxime fiebat illud, sed iam ante adventum Galbae factum erat. " Factum erat: sed adhuc miles ex illo motu agitabatur (*war noch in unruhiger Bewegung davon*) et supererant Nymphidii socii. cf. cap. sq. De conatu Nymphidii cf. Plutarch. in Galb. c. 8 sqq. Suet. Galb. c. 11.

sed quamvis. Ex emendatione Rhenani, quam ipse in locum recepit. Priores edd. c. MSS. *et quamvis*, absorpta littera *s* a verbo praecedenti, quod vitium frequens est in vett. libris.

nec deerant. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. (e MS. Bud., ut videtur) Ald. sqq. *neque deerant* MS. Guelf. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

avaritiam. Xiphil. 64, 2. χρήματά γε ἀπλήστως, ἅτε καὶ πολλῶν δεόμενος, ἤθροιζε καὶ ἀπ' αὐτῶν ἐλάχιστα ἀνήλισκεν, ὥστε μηδὲ δραχμὰς ἔστιν οἷς, ἀλλ' ὀβολοὺς χαρίζεσθαι. Suet. Galb. c. 12.

increpantium. MS. Corb. *increpantes*, ex emendandi studio. Sed cf. not. ad An. 14, 64. sub loco *itur etiam* etc. Mox ed. Spir. *laudata olim et militaris fama celebrata: severitas* etc. Ita et MS. Guelf. a secunda manu.

aspernantes. MS. Flor. (test. Iac. Gron.) *angebat a* (in fine versus) *aspernantes* (ab initio sequentis versus). Simplex *aspernantes* est in MSS. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ryck. sqq. — *coaspernantes* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. sqq. usque ad Ryckium.

adsuefactos. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *assuefactos* MS. Guelf. edd. vett.

verebantur. MS. Agr. et inde ed. Ryck. *venerabantur.* Acidalius et Pichena volebant *reverebantur.* Gruterus docuit bonum esse vulgatum.

pro re p. honesta. Plut. dicit φωνὴν ἡγεμόνι μεγάλῳ πρέπουσαν.

militem. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. *principem* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. De aliis MSS. silentium est. Xiphil. 64, 3. καταλέγειν στρατιώτας, ἀλλ' οὐκ ἀγοράζειν εἴωθα. Suet. G. c. 16. *legere se militem, non emere consuesse.* Plutarch. in G. c. 18.

VI. Invalidum senem T. Vinius et Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignavissimus, odio flagitiorum oneratum, contemptu inertiae destruebant. Tardum Galbae iter et cruentum interfectis Cingonio Varrone consule designato et Petronio Turpiliano consulari: ille ut Nymphidii socius, hic ut dux Neronis, inauditi atque indefensi tanquam innocentes perierant. Introitus in urbem trucidatis tot millibus inermium militum infaustus omine atque ipsis etiam qui occiderant formidolosus. Inducta legione Hispana, remanente ea quam e classe Nero conscripserat, plena urbs exercitu

Cap. 6. *T. Vinius.* Sic MS. Flor. test. Victorio, qui hic addidit: „vetus codex *Vinius* semper. Sic etiam Plut. ἐν τῷ τοῦ Γάλβα βίῳ: ἦν δὲ Βίνιος κ. τ. λ." cf. Plut in Galb. c. 7. 10. 12. Suet. Galb. c. 14. Vit. c. 7. *Titus Iunius* MS. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. usque ad Lipsium. cf. not. ad c. 1.

oneratum. Sic MSS. et edd. Spir. Put. Ber. Alc. Rhen. (1533) Ald. Micyll. (1557). *Onerabant* edd. Lips. (in marg. *oneratum*) Gruter., quam scripturam Lipsius dicit profectam a Rhenano, cuius edit. de anno 1544. mihi non est ad manus. Apud Annibalem Scotum (*in P. Cornelii Taciti Ann. et Hist. commentarii ad politicam et aulic. rationem praecipue spectantes. Francof.* MDXCII) est *onerabant* cum asterisco. Pichena *oneratum* restituit suadente Lipsio. Acidalius non pugnat pro *onerabant*, uti prodidit Oberlinus; sed tantum dicit, interesse *oneratum* an *onerabant* recipias. Mox ed. Spir. *destruebant tardum* etc.

Cingonio. Sic edd. Lips. sqq. e MS. Vatic. Consentiunt libri infr. c. 37. cf. not. ad An. 14, 45. et Plutarch. in Galb. c. 14. *Ciconio* MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald.

Nymphidii. Ed. Spir. *Nimphidii*, uti solet; mox *sotius* cum MS. Guelf.

dux Neronis. cf. An. 14, 39. 15, 72.

tanquam innocentes. Etenim *innocentes* si exitio destinantur, perimi solent inauditi atque indefensi, ut Vestinus An. 15, 69, quia non crimine, non accusatore existente damnatio legibus peragi nequit. Varronem et Nymphidium, non innocentes, Galba debuisset e sententia iudiciali auditos atque defensos damnare: tum invidiam effugisset. Sed inauditi atque indefensi perierunt, unde invidia est orta, tanquam innocentes periissent. Quam loci sententiam cum non satis intelligerent Muretus et Acidalius, ille volebat scribere *tanquam nocentes*, hic *quanquam innocentes.* Hoc probat Ernestius atque adfirmat *tanquam* iam esse in *ut.* Minime vero: *ut* veram rationem indicat, *tanquam* falsam speciem. cf. Seebode in Observv. p. 24. qui mecum fere consentit, nec tamen spernendam esse Mureti opinionem autumat. Immo spernenda est: turbat enim genuinam loci sententiam. *Inauditos et innoxios* coniungit etiam Suet. Claud. c. 38. *indefensum et inauditum* Noster infr. 2, 10. Egregie huc facit locus ab Oberlino adlatus e Plin. epp. 4, 11.

introitus in urbem etc. cf. Xiph. 64, 3. Suet. G. c. 12.

insolito: multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia et Illyrico, quos idem Nero electos praemissosque ad claustra Caspiarum et bellum, quod in Albanos parabat, opprimendis Vindicis coeptis revocaverat: ingens novis rebus materia, ut non in unum aliquem prono favore ita audenti parata.

VII. Forte congruerat, ut Clodii Macri et Fonteii Capitonis caedes nuntiarentur. Macrum in Africa haud dubie turbantem Trebonius Garucianus procurator iussu Galbae, Capitonem in Germania, cum similia coeptaret, Cornelius Aquinus et Fabius Valens legati legionum interfecerant, antequam iuberentur. fuere qui crederent Capitonem ut avaritia et libidine foedum ac maculosum

multi ad hoc numeri. Sic MSS. Flor. (test. Vict. e. Pich.) Farnes. (test. Lips.) edd. Spir. Lips. (in margine) Pich. Gruter. sqq. — *multi ad hoc et innumeri* MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. sqq. — *multi ad hoc innumeri* MS. Guelf. — *multi ad hoc numero* MSS. Agr. Corb. — *multi ad haec innumeri* edd Put. M. et V. Ber. Alc. et ita fuit in MS. Guelf. a pr. manu. Sed unice vera est scriptura recepta. *Numerus* significat manum militum indefinitam (*Hause*). cf. infr. 4, 15. — Agr. c. 18. *Numeri legionis* sunt cohortes et manipuli. cf. infr. c. 87. Sozomen. Hist. Eccl. 1, 8. τὰ Ῥωμαίων τάγματα, ἃ νῦν ἀριθμοὺς καλοῦσι. Plin. epp. 10, 38. *quod sacramento militari nondum distributi in numeros erant.* Id. ib. ep. 39. *quod nondum per numeros distributi sunt.* Sueton. Vesp. c. 6. *revocatis ad officium numeris:* Sic illi *numeri e Germania ac Br. et I.* sunt manus per cohortes vel turmas vel alium numerum compositae. — Ed. Spir. *Illirico*, uti solet. Eadem *ꝓmissosque* (h. e. *promissosque*) pro *praemissosque; ceptis* pro *coeptis.* MS. Guelf. *ellectos premissosque*, mox *ceptis.*

audenti. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *audienti* MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir., vulgari vitio. cf. not. ad c. 3. et An. 14, 58.

Cap. 7. *Clodii.* MS. Guelf. *Clodi.*

Fonteii. Sic edd. Lips. sqq. *Fontei* MS. Guelf. edd. Spir. Put., sqq. cum Lipsii prima.

nuntiarentur. MSS. Bud. Guelf. *nuntiaretur* (*nunciaretur* Guelf.)

haud dubie turbantem. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Farnes. Agr. Reg. Corb. edd. Spir. Lips. sqq. — *res haud d. t.* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Lipsium. Frustra. Nam absolute id verbum etiam ponitur An. 1, 20. Hist. 1, 85. et alibi. cf. not. ad An. 1, 64.

Trebonius Garucianus. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. (cum silent. Vict.). *Harebonius Gunitianus* ed. Spir. Eadem mox pro *similia* dat *familiā.*

Aquinus. Ed. Beroald. *Aquluus*, vitio operarum, ut videtur. Nam vulgatum ferunt MS. Guelf. edd. Spir. Put. Alc. Rhenan. sqq. Correxit etiam Victorius e MS. Flor. — Mox ed. Spir. *haberentur* pro *iuberentur; dein aut* pro *ut; fedum*, uti solet cum MS. Guelf., pro *foedum; cognitione* pro *cogitatione; nequirent* pro *nequiverint.* MS. Guelf. *nequierint.*

foedum ac maculosum. Synonyma. cf. Roth. p. 15.

ita cogitatione rerum novarum abstinuisse, sed a legatis bellum suadentibus, postquam impellere nequiverint, crimen ac dolum ultro compositum, et Galbam mobilitate ingenii, an ne altius scrutaretur, quoquo modo acta, quia mutari non poterant, comprobasse. Ceterum utraque caedes sinistre accepta et inviso semel principi seu bene seu male facta praeminuit. Iam adferebant venalia cuncta praepotentes liberti: servorum manus subitis avidae et tanquam apud senem festinantes: eademque novae aulae mala, aeque gravia, non aeque excusata.

crimen ac dolum. ἓν διὰ δυοῖν secundum Roth. p. 28. Vix credo: nam *crimen* aptius refertur ad culpam, quam imputarent, *dolum* pertinet ad fraudem caedis. MS. Guelf. *crimen ad dolum.*

ultro compositum. Sic codd. MSS. Agr. Guelf. et fortasse alii, edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Victorii) Alc. — *compositum ultro* edd. Rhen. Ald. sqq. non invenio qua auctoritate.

an ne altius scr. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. (c. silent. Vict.). — *ac ne altius scr.* ed. Spir. Scriptura vulgata praestat. cf. not. ad An. 2, 42. *sponte an fato.* Similia sunt An. 13, 9. 12. Unus Beroaldus post *comprobasse* posuit signum (?). Frustra. Mox ed. Spir. *comprobasse ceatera: utraque cedes* etc.

et inviso semel principi seu bene seu male facta praeminuit. Sic MS. Flor. test. Victorio; de scriptura *principi* Iac. Gronovius etiam testis est. In eundem dativum consentiunt MSS. Bud. Reg. De aliis MSS. viri docti, qui inspexere, ita tacent, ut videantur consentire in *principe*, quod praeferunt MS. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. Deinde pro *praeminuit*, quod e MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Bud. (sec. m.) ed. Spir. reposui, edd. Put. M. et V. dant *praemunt*, edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. cum MS. Bud. pr. m. *premunt.* Idem esse in marg. MS. Bodl. prodidit Broterius; quid in contextu, mire tacet. MS. Agr. dat *premuntur;* Corb. *praemunit.* MS. Guelf. *p̂mūt* (h. e. *praemunt*). Quae si contuearis, apparet parum fidei inesse vulgato *premunt*, quod ne sensum quidem fundit aptum. Nam intolerabilis est Ernestii ratio, qui intelligit *eum:* quod si Tacitus voluisset, certe cum Grutero scripsisset *invisum principem.* Sed meliora sunt in MS. Flor. De verbo *praeminere* cf. An. 3, 56. *ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret;* 12, 12. *Cassius ceteros praeminebat peritia legum;* 12, 33. *ut ceteros Britannorum imperatores praemineret;* 15, 34. .. *ut* ... *vi nocendi etiam malos praemineret.* Iam *praeminuit* nostrum pendet e subiecto *utraque caedes:* ea praeminuit *seu bene seu male facta* (accusat.) *inviso semel principi* h. e. ea caedes tantam conflavit invidiam, qua cuncta seu bene seu male ab inviso semel principe facta obtegerentur: nam male factorum illud facinus crudelissimum visum est et bene factorum nulla iam memoria fuit, nullum meritum. Dativus *principi* pendet e participio *facta.* Sic An. 15, 65. *insontibus* ... *delecto;* 15, 3. *ubi Corbuloni audita sunt;* 15, 28. *cum barbaris delectus est.* Aeque tamen bene se habet ablativus *principe*, hoc sensu: quum invisus semel princeps esset.

adferebant. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *afferebant* MS. Guelf. edd. vett. *Adferri* dicuntur quae aliunde veniunt et nunc oriuntur atque in-

Ipsa aetas Galbae inrisui ac fastidio erat adsuetis iuventae Neronis et imperatores forma ac decore corporis, ut est mos vulgi, comparantibus.

VIII. Et hic quidem Romae tanquam in tanta multitudine habitus animorum fuit. E provinciis Hispaniae praeerat Cluvius Rufus, vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus. Galliae super memoriam Vin-

cipiunt, quum prius non exstitissent, h. e. quae sunt nova. Sic Galbae liberti venalia cuncta adferebant, quum ex Hispania Romam venirent ibique in locum Neronianorum hominum succederent. Simili plane modo id verbum ponitur An. 13, 4. *nulla odia, nullas iniurias, nec cupidinem ultionis adferre* (sc. novum principem Neronem). Quare non video, quomodo *adferebant* Acidalium offendere potuerit, ut delendum censeret, aut cur Pichena voluerit: *Iam adferebantur venalia cuncta. Praepotentes liberti* etc. Freinshemius: *Iram adferebant venalia cuncta.* Heinsius substituit *auferebant.* Ryckius e MS. Agr. perperam edidit *offerebant.* De re cf. Suet. Galb. c. 15.

inrisui ac fastidio. Sic MSS. Flor. (test. Victorio) Reg. edd. Spir. Ernest. sqq. — *et irrisui et fastidio* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. usque ad Ernestium. — *et irrisui ac fastidio* MSS. Bud. Corb. ed. Broter. (qui putabat ita esse in MS. Flor. et ed. Spir.).

adsuetis. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *assuetis* edd. vett.

iuventae. Ed. Spir. *iuventute,* quod ortum est e scriptura *iuvente,* qua delectatur codex Guelferbytanus.

forma ac decore. Synonyma. cf. Roth. p. 8. Mox ed. Put. V. vitiose *comperantibus;* ed. Spir. *ↄpātibↄ.* Ita fere et cod. Guelf.

Cap. 8. *tanquam in t. m.* H. e. utpote, quippe, ὡς. Nimirum *tanquam* restringit loci sententiam: *insoweit bei einer so grofsen Volksmasse die Stimmung angegeben werden kann.* A MS. Oxon. (Iac. Gronovii) *tanquam* male abest. Mox ed. Spir. pergit: *animorum fit ex prouinciis Hispaniae. Preerat* etc. Eadem pro *Rufus* constanter scribit *Ruffus.* In MS. Guelf. pro *Cluvius* est *Clivius.* cf. not. ad An. 13, 20. In MS. Flor. Iac. Gronov. pro *fuit* invenit *sit,* unde facit: *Sed e provinciis* etc. Victorius intactum reliquit *fuit.*

pacis artibus. Sunt qui intelligant *expertus* ex sequenti verbo *inexpertus.* cf. Ferlet. et Ricklefs. ad h. l. At sic oritur sententia ab hoc loco aliena. Est potius hic ablativus qualitatis, quem vulgo explicant intellecto *praeditus, instructus.* cf. An. 16, 18. *habebatur ... erudito luxu;* 1, 19. *Blaesus multa dicendi arte.* MS. Agr. ex emendandi studio post *artibus* addit *clarus.*

bellis inexpertus. Bene Ernestius explicuit: „qui nullas res bello gessit, quibus scientia militaris cognosceretur." MS. Bud. et inde edd. Rhenan. sqq. ad Ryckium, et nuper Bipont. Lünemann. *belli inexpertus,* quae scriptura orta est e compendio *bell',* quod exstat in ed. Spir. Sed alienam sententiam fundit et frustra a Gutmanno in Observv. ad h. l. commendatur. Nam *belli inexpertus* est qui bellum nondum vidit aut fecit (active), nulla ratione experientiae bello gerendo comparatae habita. Pro vulgata

dicis obligatae recenti dono Romanae civitatis et in posterum tributi levamento. proximae tamen Romanis exercitibus Galliarum civitates non eodem honore habitae, quaedam etiam finibus ademptis pari dolore commoda aliena ac suas iniurias metiebantur. Germanici exercitus, quod periculosissimum in tantis viribus, solliciti et irati, superbia recentis victoriae et metu tanquam alias partes fovissent. Tarde a Nerone desciverant, nec statim pro Galba Verginius: an imperare voluisset, dubium: delatum ei a milite imperium con-

scriptura facit locus infr. 2, 75. *legiones civili bello inexpertas.*

recenti dono Rom. civitatis. Primores Galliae prius id ius acceperant. cf. An. 11, 23. Iam promiscue datum est. cf. Plutarch. Galb. c. 18. Pro *dono* ed. Spir. habet *domino.* Idem vult cod. Guelf., dum per compendium scribit *dño.*

tributi levamento. cf. infr. c. 51.

Romanis exercitibus. Sic MSS. Guelf. (a pr. manu) Harl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (c. sil. Vict.) Alc. — *Germanis exercitibus* MSS. Reg. Corb. Bud. Guelf. (a sec. manu) edd. Rhen. Ald. sqq. et nuper Bekker. — *Germanicis exercitibus* MS. Agr. edd. Oberlin. sqq. Et haec quidem scriptura, si idonea librorum auctoritate niteretur, satis apta videri posset. *Germani exercitus* autem non possunt dici, nisi qui e Germanis compositi vel Germanorum sunt: quos ab hoc loco esse alienos video. Certior haud dubie vetus scriptura *Romanis.* — Mox *Germanici exercitus* MSS. Bud. Agr. edd. Rhen Ald. sqq. — Iac. Gronovius, Ernestius et nuper Bekkerus maluere *Germani exercitus*, quae scriptura est in MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.). Oberlinus aliique rectius retinuerunt *Germanici.* Nam intelliguntur exercitus Romanorum in Germania habiti, qui Nostro constanter audiunt *exercitus Germanici.* cf. An. 1, 22. 31. 46. Hist. 2, 58. 1, 26. et alibi. Similis confusio nobis obvia erit infr. 4, 76. et 3, 13. Ceterum satis frequens est in vett. libris confusio vocabulorum *Romani* et *Germani*: exempla videbimus multa.

solliciti et irati. H. e. ita solliciti, ut timerent quidem imperatoris in se odia, neque tamen veniam cuperent, sed potius odia redderent. Frustra Lipsius pro *irati* tentabat *elati;* Heinsius *inflati.* Vocabulo *solliciti* in sqq. respondet *metus: superbia* respicit ad *irati.*

et metu. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq — *et metus* MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir., quod bene se habebit pleniore distinctione post *irati* posita. Mox MS. Agr. ante *tarde* addit *qui.*

Verginius. Sic edd. Put. sqq. — *Virginius* MS. Guelf. — *Vergenius* MS. Flor. test. Vict.; *ungenius* ed. Spir. Mox uterque liber *Vergenio* et c. 9. *Verginium.* cf. not. ad An. 15, 23.

an imperare voluisset. Heinsius volebat: *voluerit, est dubium.* Male. Nam Tacitus non loquitur de suo tempore, sed de illo priore; nimirum tunc fuisse dubium, an etc. Rem tangit etiam Dio in Exc. Peir. p. 697. cf. ed. Reimar. p. 1052. (lib. 64, 4.) et Xiphil. 63, 25. Plin. ep. 2, 1.

veniebat. Fonteium Capitonem occisum etiam qui queri non poterant, tamen indignabantur. dux deerat abducto Verginio per simulationem amicitiae: quem non remitti atque etiam reum esse tanquam suum crimen accipiebant.

IX. Superior exercitus legatum Hordeonium Flaccum spernebat senecta ac debilitate pedum invalidum, sine constantia, sine auctoritate: ne quieto quidem milite regimen, adeo furentes infirmitate retinentis ultro accendebantur. Inferioris Germaniae legiones diutius sine consulari fuere, donec missu Galbae A. Vitellius aderat censoris Vitellii ac ter consulis filius: id satis videbatur. In Britannico exercitu nihil irarum. non sane aliae legiones per omnes civilium bellorum motus innocentius egerunt, seu quia procul et Oceano divisae

etiam qui. Muretus et Acidalius malebant *etiamsi.* Frustra. Nam *qui* elegantius eandem fundit sententiam. cf. Ramshorn. Gr. § 194. p. 612 sqq.

Cap. 9. *ne quieto quidem.* MS. Guelf. *nec quieto quidem.* — Mox *regenti* pro *regimen*, *accedebantur* pro *accendebantur.*

adeo furentes. *Adeo* h. e. multo magis. cf. infr. 3, 64. *Vitellium ne prosperis quidem parem: adeo ruentibus debilitatum;* 4, 80. *aequalium quoque, adeo superiorum intolerantis.* — *Adeo non* h. e. nedum. cf. infr. 3, 39. *nullius repentini honoris, adeo non principatus adpetens.* Pro *furentes* ed. Beroald. dat *fruentes.* Correxit Victorius in suo exemplari. Idem Beroaldus post *ultro* addiderat *etiam*, quod duravit ad Ernestium, qui auctoritate MS. Flor. aliorumque vett. librorum id additamentum delevit. Expunxit etiam Victorius.

missu Galbae. MSS. Bud. Corb. ed. Spir. *iussu Galbae.* Sed cf. An. 1, 60. 2, 43. 3, 21. Ed. Spir. omittit *donec.*

A. Vitellius. Sic MS. Flor. (t. Vict. cum Iac. Gronov.) aliique codd. MSS. (test. Broterio), edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. — Edd. Put. sqq. ad Iac. Gronov. cum MS. Guelf. omittunt praenomen *A.*, quod hic necessario adesse videtur.

id satis videbatur. Sc. Galbae et iis, qui cum eo rem publicam regebant. Alii *videbatur* ad milites referunt. Immo sententia est: filium censoris ac ter consulis satis dignitatis prae se ferre credebatur, ut legiones illae in obsequio retinerentur, neque maiore remedio opus esse videbatur. Nolebat enim Galba nimium tribuere legionibus Germanicis, ne superbirent misso maioris dignitatis legato. Lipsius coniecit: *id fatis videbatur.* Secutus est Wolmann. At Gutmann. docuit tale additamentum ab loco alienum esse.

nihil irarum. MSS. Harl. Ies. *nihil iratum.* Mox Guelf. *expiditionibus* et *docte*; quae confusio litterarum *ae* et *e* pervulgaris ibi est.

seu crebris expeditionibus doctae hostem potius odisse. Quies et Illyrico, quanquam excitae a Nerone legiones, dum in Italia cunctantur, Verginium legationibus adissent. sed longis spatiis discreti exercitus, quod saluberrimum est ad continendam militarem fidem, nec vitiis nec viribus miscebantur.

X. Oriens adhuc immotus. Syriam et quattuor legiones obtinebat Licinius Mucianus, vir secundis adversisque iuxta famosus. insignes amicitias iuvenis ambitiose coluerat: mox attritis opibus lubrico statu, suspecta etiam Claudii iracundia, in secretum Asiae repositus tam prope ab exsule fuit quam postea a principe. luxuria, industria, comitate, adrogantia, malis bonisque artibus mixtus. nimiae voluptates, cum vacaret: quotiens expedierat, magnae virtutes; palam laudares, secreta male audiebant. sed apud subiectos, apud proxi-

doctae . . odisse. Heinsius volebat: *obiectae* vel *obnoxiae*, et e MS. Agr. *odissent.* Sed cf. An. 1, 16. *doctus miscere coetus.* Mox MS. Guelf. *in yllirico* pro *et Illyrico*; ed. Spir. *quos saluberrimum.*

Cap. 10. *Mucianus.* Sic edd. Lips. Pich. sqq. — *Mutianus* MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (c. silent. Vict) sqq. et Lipsii prima. Sed Graecis est *Μουκιανός* (cf. Xiphil. 65, 8.) et lapides ferunt *Mucianum.* cf. Lips. ad Hist. 2, 4. Sic etiam MS. Flor. infr. c. 76. et 2, 7. et 95.

attritis. Sic edd. vett. (cum sil. Vict.) et codd. MSS. Bud. Agr. Guelf. aliique (test. Broterio). In MSS. Vatic. et Flor. Lipsius et Pichena viderunt *atteritis*, idque Pichena reposuit. Veterem scripturam revocavit Ryckius, ob id ab Iac. Gronov. vehementer increpitus. Sed cf. An. 15, 16. Hist. 2, 56. 3, 50. Dial. de Or. c. 18.

repositus. Acidalius malebat *sepositus.* cf. infr. c. 13. *in provinciam Lusitaniam specie legationis seposuit.* Sed *repositus* eximie convenit voci *in secretum:* nam inest notio occultandi. *Seponere* est *entfernen.* Mucianus videtur sponte abiisse, ut Claudii iracundiam evitaret, nec specie legationis, uti Lipsius colligebat e Plin. 12, 1. Potuit illa legatione postea fungi.

adrogantia. Sic MS. Flor. test. Victorio. *arrogantia* MS. Guelf. edd. vett. — Pro *comitate* ed. Spir. dat *comitant;* mox *admixtus* pro *mixtus* et *cōvocaret* pro *cum vacaret; magnas* pro *magnae.*

palam laudares. Sic vett. libri omnes praeter cod. Bud., qui media syllaba omissa fert *laures.* Bipont. et Oberlin. perperam fecere *laudes.* Bekkerus bene reposuit veterem scripturam. cf. infr. 2, 62. *avaritiam non timeres;* 3, 75. *innocentiam iustitiamque eius non argueres;* ib. c. 83. *et furere crederes et lascivire;* An. 2, 30. *acciperes,* ubi vid. not.; 13, 3. *requireres.*

secreta male audiebant. Sic edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. et recentt. — *audiebat* MS. Bud. graeca structura.

mos, apud collegas variis inlecebris potens, et cui expeditius fuerit tradere imperium quam obtinere. Bellum Iudaicum Flavius Vespasianus (ducem eum Nero delegerat) tribus legionibus administrabat. nec Vespasiano adversus Galbam votum aut animus: quippe Titum filium ad venerationem cultumque eius miserat, ut suo loco memorabimus. occulta lege fati et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque eius imperium post fortunam credidimus.

XI. Aegyptum copiasque, quibus coerceretur, iam inde a divo Augusto equites Romani obtinent loco regum. ita visum expedire provinciam aditu difficilem, annonae fecundam, superstitione ac lascivia discordem

— *audiebantur* edd. Put. M. et V. — *secreta male audiebantur*, *se apud* etc. MS. Guelf. — *secreto male audiebat* MS. Agr.

et cui expeditius fuerit. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) et deinde edd. Lips. posteriores, Gruter. Pich. sqq. — *fuerat* (fortasse operarum vitio) edd. Alc. Rhen. Ald. Micyll. Lips. priores. Acidalius volebat post *cui* interponere *haud;* Gruterus expungere verbum *fuerit.* Ferletus *et* mutat in *nec*, adprobante Strombeckio, adversantibus Ricklefsio et Gutmanno. Recte hi. Nam revera é Taciti verbis talis apparet vir, cui expeditius fuerit tradere imperium quam habere. Mox verbis: *ducem e. N. delegerat* uncos reddidi, quos instituit Beroaldus, neglexerunt Oberlinus sqq.

Titum filium. Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. sqq. cum MS. Guelf. *T. filium.* Edd. Spir. Bernegg. sqq. *Titum filium.*

ad venerationem cultumque. Synonyma. cf. Roth. p. 8. Ed. Spir. pro *ad* habet *ed.*

memorabimus. cf. infr. 2, 1. Edd. Rhen. Ald. Micyll. *memoravimus.* Vulgatum ferunt MS. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Lips. sqq. cf. Lips. ad h. l.

occulta lege fati. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. — MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) omittit vocem *lege:* probat Iac. Gronovius. Ed. Spir. dat: *occultis fatis.*

Cap. 11. *Aegyptum copiasque.* MS. Guelf. *Aegyptumque copiasque.*

quibus coerceretur. Ernestius e sua de temporibus modisque opinione putabat legendum esse: *coercetur* vel *coerceatur.* Pugnat pro illa coniectura et Ricklefs., qui vulgatum ferri posse negat. Sed cf. not. ad An. 15, 46. Nimirum verba: *quibus coerceretur* adduntur, ut vocabulum *copias* accuratius definiatur utque scias copias Aegypto coercendae fuisse constitutas. Nam hucusque de ea re nondum sermo fuit. Loquitur autem per optativum, ut indicet consilium, quo primum copiae illae in Aegypto constitutae fuerint, tanquam scripsisset: copiasque datas (missas, constitutas), ut coerceretur.

iam inde. MS. Guelf. *etiam inde* (sic *ēt ūī*).

annonae fecundam. Sic libri vett. omnes. Ernestius edidit *secundam*, pro qua emendatione nu-

et mobilem, insciam legum, ignaram magistrátuum domi retinere. regebat tum Tiberius Alexander, eiusdem nationis. Africa ac legiones in ea interfecto Clodio Macro contenta qualicunque principe post experimentum domini minoris. Duae Mauretaniae, Rae-

domare, tenere Hofm.

per pugnavere Ricklefs. et Gutmann. Interpretantur: *für Korntheuerung* (Gutm.: *Kornsperre*) *günstig:* qui significatus nullo modo inesse potest. Nam *annona* ita nude positum nusquam significat annonam gravem vel acrem, nisi e contextu talem esse intelligendam constet. Quare *Aegyptus annonae secunda* non erit nisi quae Sueton. Oct. c. 18. dicitur *habilior annonae.* Sed nolunt duumviri doctissimi Aegyptum a fecunditate laudari inter cetera, quis male audit, ut *discors*, *mobilis* etc. At annonae fecunditas hic non affertur in laudem Aegypti, immo inter res, ob quas ea terra erat timenda. Nam Augustus ideo Aegyptum domi retinuit, quia aditu difficilis, annonae fecunda etc. moliendae seditioni multam praebebat occasionem.

et mobilem. Sic MS. Guelf. edd. vett. (cum silent. Vict.) et recentt. usque ad Oberlinum, qui cum seqq. dedit *ac mobilem*, nulla, ut videtur, librorum auctoritate.

insciam legum, *ignaram mag.* Quippe dominationi regum adsuetam. Ed. Spir. *in scientia legum.*

domi retinere. I. q. *seponere* An. 2, 59., non divulgare, non publici iuris reddere. Nam vocabulum *domi* indicat rationem privatam. Veram sententiam nostrates non sunt adsecuti. Strombeck.: *vom eignen Wohnsitze aus zu zügeln;* Ricklefs.: *daheim fest zu halten;* Gutmann.: *zu Hause fest zu halten.* Immo: *beim Hause zu behalten.* Ricklefs. vult: *domui retinere.* Sed idem sensus inest vulgatae scripturae.

eiusdem nationis. Afr. etc. Ed. Spirensis *eius nationis africā* etc. MSS. Agr. Guelf. *Africam*, puncto posito post *nationis.*

ac legiones in ea. Sic constanter libri vett. At recte Lipsius animadvertit unam tantum in Africa tunc legionem fuisse. cf. not. ad An. 4, 5. Hist. 4, 48. *Legio in Africa* etc. Quod Ernestius putat *legiones* hic dici pro copiis unaque legione per enallagen numeri, vix admittendum erit in tali loco. Accedit quod MSS. Bud. Guelf. Agr. ed. Spir. et fortasse MS. Flor. habent *contenta* (MS. Agr. *contentaque;* a sec. m. *contentam*). De MS. Flor. testis est Ryckius. Victorius, Pichena et Iac. Gronovius tamen intactum reliquere *contentae*, quod est in edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. usque ad Bipont. et Oberl., qui posuere *contenta.* Verba *Africa ac legiones in ea* accipe pro *Africa cum legionibus in ea*, ut ita recte sequatur *contenta.* Sic Thucyd. 8, 63. πυθόμενος . . . τὸν Στρομβιχίδην καὶ τὰς ναῦς ἀπεληλυθότα ἐθάρσησε.

principe. Ed. Spir. *principis.*

domini minoris. Intell. Clodii Macri, cuius saevitiam testatur Plutarch. Galb. c. 6. Opponitur dominus *minor* (praeses provinciae, qui ut dominum se gesserat) *maiori* h. e. Caesari. Ernestius tamen malebat *domini prioris* sc. Neronis. Sed non frustra additur *interfecto Clodio Macro*, quibus verbis satis apparet eundem esse dominum illum minorem. MS. Agr. (test. Heinsio) dat *peioris* pro *minoris:* non *prioris*, uti rettulit Oberlinus.

Mauretaniae. Sic edd. Lips. Pich. sqq. et sic nummus Hadriani. — *Mauritaniae* MSS. Agr. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. ad Lips. (cum

tia, Noricum, Thracia et quae aliae procuratoribus cohibentur, ut cuique exercitui vicinae ita in favorem aut odium contactu valentiorum agebantur. Inermes provinciae atque ipsa in primis Italia cuicunque servitio exposita in pretium belli cessurae erant. Hic fuit rerum Romanarum status, cum Servius Galba iterum, Titus Vinius consules inchoavere annum sibi ultimum, rei publicae prope supremum.

XII. Paucis post Kal. Ianuarias diebus Pompeii Propinqui procuratoris e Belgica litterae adferuntur, superioris Germaniae legiones rupta sacramenti reverentia imperatorem alium flagitare et senatui ac populo Romano arbitrium eligendi permittere, quo seditio mollius acciperetur. Maturavit ea res consilium Galbae iam pridem de adoptione secum et cum proximis agitantis. Non sane crebrior tota civitate sermo per illos menses

silent. Vict.) et ita Dio 60, 8 et alibi, ac lapides. cf. Ryck. ad h. l. De aliis libris silentium est.

Raetia. MS. Guelf. *Rhecia.* Edd. vett. *Rhetia.* Edd. Lips. sqq. *Rhaetia.* Sed vid. not. ad An. 1, 44. Hic MS. Bud. *Rhetiae.* cf. not. ad Germ. c. 1.

procuratoribus. MSS. Agr. Corb. ed. Spir. *procurationibus*, quod exortum est e compendio *procuratōibus* (sic MS. Guelf.).

cohibentur. Ed. Spir. *cohibebantur.* Eadem *valentinorum* pro *valentiorum.* Pro *contactu* edd. Puteol. V. et Alc. dant *conctatu.* Non adfirmaverim an eodem modo edd. Put. M. et Beroald. Nam licet nihil adnotaverim, potuit facile illa varietas oculos fugere. Rhenanus restituit *contactu*, quod est in ed. Spir. et MS. Guelf.

provinciae. MS. Flor. (t. Vict.) *provintiae*, et sic ed. Spir. aliis locis plurimis; hic eadem habet *provinciae*, uti id voc. scribitur in Monim. Ancyr.

exposita. Sic MSS. Flor. (test. Ryck.) Bud. Agr. Guelf. et omnes ferme (teste Broterio), edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Lips. prima, et nuper edd. Ernest. sqq. — *expositae* MS. Reg. edd. Spir. Lips. posteriores, Pich. sqq. ad Ernest.

cessurae erant. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. (cum silent. Vict.). — *cessura erant* MSS. Flor. (test. Ryckio) Bud. Agr. Scilicet littera *e* in fine coaluit cum littera prima sequentis verbi.

prope. MS. Guelf. *proprie.*

Cap. 12. *Pompeii.* Edd. Spir. Put. cum MS. Guelf. *Pompei.*

reverentia. MS. Bud. *licentia.* Hinc Rhenanus coniiciebat: *rupti sacramenti licentia.* Sed ceteri libri omnes in vulgatam scripturam consentiunt.

flagitare. Ed. Spir. *flagitavere.* Mox ed. Beroald. vitiose *senutui:* correxit Victorius. MS. Guelf. *et populo.*

fuerat, primum licentia ac libidine talia loquendi, dein fessa iam aetate Galbae. Paucis iudicium aut rei publicae amor: multi stulta spe, prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitionis rumoribus destinabant

licentia ac libidine. Haec inter synonyma habet Roth. Alius vir doctus (in *Jahrbücher für Philol. u. Pädag.* III. Band, 3. H. p. 70.) hic esse ἓν διὰ δυοῖν adfirmat. Uterque fallitur: nam *licentia* est, quod nemo vetabatur talia loqui; *libido* est studium talia loquendi, quod oriebatur e licentia.

dein fessa iam aetate G. cf. An. 1, 46. *Augustum fessa aetate.* Frustra igitur Marklandus (ad Stat. Silv. 3, 3.) hunc locum emendat: *fesso iam aetate Galba.* MS. Bud. *defessa an aetate Galbae:* unde Rhenanus coniiciebat *defessa annis aetate Galbae.* Sed *primum*, quod antecedit, in sqq. poscit *dein.* Mox pro *iudicium* ed. Spir. dat *indicium*, vulgari confusione. cf. not. ad An. 4, 59.

multi stulta spe. Hic locus multum vexavit interpretes ob insignem vett. librorum varietatem. Edd. Puteol. sqq. cum MS. Guelf. *multi occulta spe.* Sed Rhenanus in MS. Bud. invenit *stulta spe*, omisso vocabulo *multi*, quam rationem ipse probabat; nihil tamen mutavit. Lipsii libri scripti: *stulta spe*, uti et in cod. Covarruviae est. Magis tamen viro doctissimo placebant vulgata. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *militis stulta spe.* Pichena e MS. Flor. attulit: *militis occulta spe*, unde coniecit esse legendum: *multis occulta spes.* Sed falsus ille est de MS. Flor. Nam Victorius testatur ibi esse: *militi stulta spe:* quae scriptura satis ostendit, quomodo in alios libros quae insunt venire potuerint. MS. Agr. *multis stulta spes.* De aliis MSS. viri docti ita tacent, ut videantur consentire cum vulgata scriptura, in qua hucusque omnes acquievere, neglecta Iac. Gronovii coniectura: *multis occulta spei.* Iam *militis*, quod est in libris, nullam habet fidem; nam militis cum stulta spe hic nullae sunt partes, et frustra olim pro vocabulo *militis* disputabam, deceptus Pichenae e MS. Flor. relatione. Multi sunt loci, in quibus vocabula *militis* et *multis*, *militi* et *multi*, *militum* et *multum* confunduntur. cf. not. ad An. 15, 29. Sed aeque parum auctoritatis est in *occulta.* Nam optimi libri id vocabulum respuunt, nec satis video, quomodo *occulta spes* apte conciliari possit cum *rumoribus*, quis suos illi destinabant. *Spes*, quae ambitiosis rumoribus per urbem vagatur, certe *occulta* dici nequit. At *stulta* haud dubie fuit, quippe temere concepta et vana amicorum et clientium adulatione exorta. Nuper de hoc loco disputavit Wissówa: nihil tamen attulit opis. Varia etiam immiscuit falsa: prodidit enim in MSS. Bud. et Agr. esse *militis stulta spe.* Vocabulum *stulta* is strenue damnat. Pichena post *spe* punctum posuerat, quod nemo adoptavit.

ambitionis rumoribus. Sic codd. MSS. Flor. et ceteri omnes praeter MS. Agr., qui dat *ambitiosis*, quod suadente Lipsio vulgatur inde a Pichena. Perperam. Rumores enim, quis destinabant, non erant ambitiosi, tanquam sibi homines gratiam quaesivissent: erant potius rumores ambitionis h. e. rumores de viris adoptionem ambientibus, vel rumores, quis hic vel ille eam cupere ferebatur, vel denique rumores, quis huius vel illius ambitio manifestaretur. Sic An. 1, 31. *seditionis voces.*

etiam in T. Vinii odium, qui in dies quanto potentior eodem actu invisior erat. quippe hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates ipsa Galbae facilitas intendebat, cum apud infirmum et credulum minore metu et maiore praemio peccaretur.

XIII. Potentia principatus divisa in T. Vinium consulem et Cornelium Laconem praetorii praefectum.

etiam in T. Vinii odium. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Guelf. Harl. edd. Put. M. et V. et dein suadente Lipsio (qui et ipse in priscis libris h. e. Vaticanis eam scripturam invenerat) edd. Pich. Bernegg. Gronov. sqq., nisi quod edd. Put. ante *etiam* punctum ponunt et pro *T. Vinii* de more suo cum cod. Guelf. al. scribunt *T. Iunii.* Alii libri post *odium* addunt verbum. Ed. Spir. cum MSS. Reg. Corb. *Et iam in T. Iunio diuerterant.* Edd. Beroald. Rhen. Ald. Lips. Gruter. *Et iam in T. Iunii* (Lips. Grut. *Vinii*) *odium diuerterant* etc. Inter recentiores eandem scripturam invenio in edd. Broterii et Ferleti: hi tamen maluere *etiam* pro *et iam*, et virgulam pro puncto post *destinabant.* MS. Bud. *et iam . . . deverterat.* MS. Harl. verbum *diuerterant* habet in margine. De aliis libris silentium est. Iam quaeritur, an Pichena id verbum recte deleverit. Sunt qui negent. Nam Wissowa tantum abest, ut *diverterant* damnet, ut, si ab omnibus codd. et edd. abesset, aut lacunam statuendam aut *in T. Vinium odio* legendum contenderet: quippe formulam *in T. Vinii odium* non latinam esse dicit. Accusativum vi sua propria finem et consilium agendi indicare: eam vero rationem ab hoc loco esse alienam. Fallitur. Agebant illi *in T. Vinii odium* h. e. ut odium suum in T. Vinium explerent et satiarent. Sic An. 15, 44. *tanquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur.* Simile est *in sordidam mercedem* An. 4, 62. vid. ibi not. Gutmannus vult: *et iam in T. Vinii odium se verterant:* frustra et languide.

eodem actu. Sic libri vett. unanimi consensu. Quae scriptura quum viris doctis displiceret, emendando loco multam dederunt operam. Lipsius: *eadem* deleto vocabulo *actu*, vel *eo dein fastu.* Pichena: *eo cunctis* Grotius: *eodem tanta.* Ernestius: *eodem factis.* Iac. Lectius: *eodem auctu*, quod Lipsio, Freinshemio aliisque placebat et nuper Strombeckio, Ricklefsio et Gutmanno. Nec desunt eiusdem confusionis exempla. cf. not. ad Hist. 4, 28. 1, 20. An. 11, 18. 13, 51. Sed non absurdum videtur esse *actu.* cf. Virg. Aen. 12, 687. *Fertur in abruptum magno mons improbus actu.* Lucan. 11, 30. *Quas ne per litora fusas colligeret rapido victoria Caesaris actu.* Id. ibid. v. 471. *Galeas et scuta virorum pilaque contorsit violento spiritus actu.* Igitur *eodem actu* significabit eodem impetu h. e. aeque vehementer et celeriter sc. in dies. Rupertius tamen legendum censet: *eo dementia* (h. e. insanis cupiditatibus) invisior erat. Quo satis violento remedio non opus esse arbitror.

facilitas. Ed. Spir. *felicitas.*

Cap. 13. *Potentia principatus divisa* etc. cf. Sueton. Galb. c. 14. *Regebatur trium arbitrio* etc.

consulem et Cornelium. Ed. Spir. *cōsulem : Cornelium* etc. Copulam etiam in MS. Flor. deesse testatur Iac. Gronovius.

net minor gratia Icelo Galbae liberto, quem annulis donatum equestri nomine Marcianum vocitabant. hi discordes et rebus minoribus sibi quisque tendentes circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur. Vinius pro M. Othone: Laco atque Icelus consensu non tam unum aliquem fovebant quam alium. neque erat Galbae ignota Othonis ac T. Vinii amicitia: et rumoribus nihil silentio transmittentium, quia Vinio vidua filia, caelebs Otho, gener ac socer destinabantur. credo et rei publicae curam subisse frustra a Nerone translatae, si apud Othonem relinqueretur. namque Otho pueritiam incuriose, adolescentiam petulanter egerat, gratus Neroni aemulatione luxus: eoque iam Poppaeam Sabinam principale scortum ut apud conscium

Icelo. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Vatic. (t. Lips.) edd. Lips. sqq. — *Icello* ed. Spir. — *Hycello* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. — *Ycelo* MS. Bud. cf. Sueton. Ner. c. 49. et Galb. c. 14. Plutarch. Galb. c. 7. et not. infr. ad c. 33. Wissowa vult *Vicellus*. Sed cf. Pflugk. in: *Krit. Biblioth.* 1830. nr. 13.

annullis. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. sqq. Plerique inde ab ed. Berneggeri scribunt *anulis.* cf. not. ad An. 2, 2.

nomine. MS. Guelf. *ordine.* Mox *Martianum* libri plerique. At apud Suetonium editur *Marcianus;* quod exstat in MS. Guelf. et Plutarcho is homo *Μαρκιανός* dicitur, quam scripturam Tacito etiam restituo.

circa consilium. MS. Guelf. *contra consilium.* Male.

pro M. Othone. Sic libri vett. et edd. recentiores inde a Iac. Gronov. — Pich. Bernegg. sqq. omiserant praenomen *M.*

et rumoribus. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Corb. Agr. edd. Spir. Bip. Oberlin. sqq. — *et ex rumoribus* MS. Bud. Sed non solet Tacitus addere praepositionem. cf. c. 12. *rumoribus.* An. 3, 18. *quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur imperio, quam* etc. MS. Guelf. edd. Put. sqq. (cum silent. Vict.) *ex rumoribus* (omissa copula), quod coniungunt cum praecedentibus verbis: ... *amicitia ex rumoribus n. s. transmittentium: quia* etc. Parenthesin, qua recentt. edd. circumdederant verba *quia . . . Otho,* ut inutilem sustuli.

ac socer. MS. Guelf. *atque socer.*

egerat. MS. Agr. et ed. Spir. *rexerat,* vitiose. Heinsius suspicatur *exegerat.*

eoque iam. Iam exprimit Graecorum *δή* inservitque adseverationi. cf. Viger. Idiot. c. 8. sect. 5. § 6. Sic Noster Germ. c. 45. *Ergo iam dextro* etc. Ibid. c. 46. extr. *Cetera iam fabulosa.* Terent. Heaut. 4, 3, 1. *Nulla mihi res posthac potest iam intervenire tanta.* Igitur *eoque iam* nihil aliud est quam *eo etiam.* Bipontini *iam* accipiunt pro *primum,* ut respondeat voci *mox,* quae sequitur. Et *iam* haud dubie inservit quoque nectendis membris. cf. not. ad An. 15, 41. — Ceterum quae hic de

libidinum deposuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur: mox suspectum in eadem Poppaea in provinciam Lusitaniam specie legationis seposuit. Otho comiter administrata provincia primus in partes transgressus nec segnis et, donec bellum fuit, inter praesentes splendidissimus spem adoptionis statim conceptam acrius in dies rapiebat, faventibus plerisque militum, prona in eum aula Nerouis ut similem.

XIV. Sed Galba post nuntios Germanicae seditionis, quanquam nihil adhuc de Vitellio certum, anxius quonam exercituum vis erumperet, ne urbano quidem militi confisus, quod remedium unicum rebatur, comitia imperii transigit, adhibitoque super Vinium ac Laconem Mario Celso consule designato ac Ducennio Gemino praefecto urbis pauca praefatus de sua senectute Pisonem Licinianum arcessi iubet, seu propria electione sive, ut quidam crediderunt, Lacone instante, cui apud Rubellium Plautum exercita cum Pisone amicitia: sed

Poppaea narrantur, paulo aliter se habent An. 13, 45 et 46. Vid. ib. not. Ed. Spir. dat *eo q iam* h. e. *eo quod iam*.

Octaviam uxorem amoliretur. Sic MS. Flor. (test. Ernest., non invenio qua auctoritate) et vett. Lipsii libri, edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Victorii) Alc. et deinde Lips. sqq. — *Octavia uxor amoliretur* MS. Guelf., uti volebat Colerus. Sed sec. manus ibi e *li* fecit *u*. *Octavia uxor amoveretur* MSS. Bud. Covarr. edd. Rhenan. Ald. cf. An. 14, 59. Mox ed. Spir. *in prouincia Lusitania.*

Cap. 14. *ne urbano quidem.* MS. Guelf. *nec urbano quidem.* Mox *et Laconem* pro *ac Laconem.*

Ducennio. Sic MS. Guelf. edd. Pichen. sqq. — *Ducenio* edd. ante Pichenam cum silent. Victorii. cf. not. ad An. 15, 18.

Licinianum. Ed. Spir. *Licinium.*

arcessi. Ex emend. I. Fr. Gronovii, quam recepit Ernest. sqq. *accersiri* MSS. et edd. ante Ernestium. In MS. Harl. emendatum est *accersi*, uti volebat Muretus. cf. not. ad An. 4, 29.

electione. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. Guelf. edd. vett. (cum silent. Vict.) — *dilectione* edd. Lips. Pichen. Gruter. Veterem scripturam Freinshemius restituit.

crediderunt. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. edd. Beroald. (cum silent. Vict., qui tamen parenthesis uncos his verbis addidit) Bernegg. (auctore Freinshemio) Gron. sqq. — *tradiderunt* MSS. Reg. Harl. Ies. Guelf. edd. Spir. Rhen. Ald. Lips. Pich. Gruter. — *tradidere* edd. Put. M. et V. Hic locus pro testimonio est Beroaldum in edendis hisce libris usum esse MS. Flor.

callide ut ignotum fovebat, et prospera de Pisone fama consilio eius fidem addiderat. Piso M. Crasso et Scribonia genitus nobilis utrimque, vultu habituque moris antiqui et aestimatione recta severus deterius interpretantibus tristior habebatur. ea pars morum eius, quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat.

XV. Igitur Galba adprehensa Pisonis manu in hunc modum locutus fertur: „Si te privatus lege curiata apud pontifices, ut moris est, adoptarem, et mihi „egregium erat Cn. Pompeii et M. Crassi subolem in penates meos adsciscere et tibi insigne Sulpiciae ac Lutatiae decora nobilitati tuae adiecisse. nunc me deorum „hominumque consensu ad imperium vocatum praeclara „indoles tua et amor patriae impulit, ut principatum, „de quo maiores nostri armis certabant, bello adeptus „quiescenti offeram exemplo divi Augusti, qui sororis „filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox ne-

et Scribonia. Sic edd. Spir. Beroald. (cum silent. Vict.) Rhen. (e MS. Bud.) Ald. sqq. — *ex Scribonia* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Alc. De aliis libris viri docti tacent.

aestimatione. Sic edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — *estimatione* edd. Put. M. et V. — *extimatione* MS. Guelf. ed. Spir. cf. not. ad An. 15, 21. 13, 17.

quo suspectior. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *quae suspectior* MSS. Reg. Harl. (a pr. manu) Agr. edd. Spir. et Ryck. In MS. Harl. postea emendatum est *quo*.

Cap. 15. *egregium erat.* MS. Guelf. *esset* a sec. manu in margine: nam prima manus verbum omiserat. Etiam in MS. Harl. *erat* a sec. manu additum est. Iam ed. Spir. pergit: *erat. Nunc Pompei* etc.; edd. Put. *erat: nunc Pompei* etc., et sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Bud. Guelf. Agr. Reg. — Beroaldus (cum silent. Vict.) edidit: *erat tunc Pompeii* etc., quod duravit usque ad Ernest. et Broter., qui ex emendatione Freinshemii ediderunt: *erat Cn. Pompeii* etc., refragante Iac. Gronovio, cui placebat *nunc*.

subolem. Sic edd. Lips. sqq. — *sobolem* MS. Guelf. edd. ante Lips. (cum silent. Vict.).

Sulpiciae ac Lutatiae. Sic edd. Lips. sqq. — *Sulpitię ac lutaciae* ed. Spir. — *Sulpitiae et Luctatiae* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — *Sulpitiae ac Luctatiae* edd. Rhen. Ald. Ceterum Boxbornius et Broterius e sqq. intelligunt *nobilitatis*. Ernestius tamen vidit tum pleonasmum inesse verbis, quia in decoribus est nobilitatis notio. Recte. Quod autem existimat excidisse vocabulum *gentis* post *insigne*, fallitur. Nam intelligi id vocabulum potest, quia in contextu latet.

dein generum. Ed. Spir. *deinde generum.* Eadem *postremum* pro *postremo.*

„potes suos, postremo Tiberium Neronem privignum „in proximo sibi fastigio collocavit. Sed Augustus in „domo successorem quaesivit, ego in re publica, non „quia propinquos aut socios belli non habeam: sed ne„que ipse imperium ambitione accepi, et iudicii mei do„cumentum sint non meae tantum necessitudines, quas „tibi postposui, sed et tuae. Est tibi frater pari nobili„tate, natu maior, dignus hac fortuna, nisi tu potior „esses. ea aetas tua quae cupiditates adolescentiae iam „effugerit, ea vita in qua nihil praeteritum excusandum „habeas. Fortunam adhuc tantum adversam tulisti: se„cundae res acrioribus stimulis animos explorant, quia „miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur. fidem, „libertatem, amicitiam, praecipua humani animi bona, „tu quidem eadem constantia retinebis: sed alii per

in domo. Ernestio non dubium erat Tacitum scripsisse *in domo sua*, et *sua* absorptum esse per primam sequentis verbi syllabam. Verum consuetudo loquendi potius fert, ut id pronominis intelligatur, et simplex vocabulum hic sufficit, quia opponitur rei publicae. *In domo sua* Noster scripsisset, si alia domus opposita esset. cf. An. 1, 8.

sed neque ipse. In ed. Spir. deest *ipse*, Mox MS. Corb. *recepi* pro *accepi*.

et iudicii mei documentum sint non meae etc. Ita locum e MS. Vatic. Lipsius restituit: dubito tamen an exacte sic legatur in illo codice. Quaedam fortasse Lipsii ingenio debentur. Nam edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. *et iudicii mei documentum sit: non meae* etc. Rhenanus e MS. Bud. *ut iudicii mei documentum sit*, *non meae* etc. Sic et MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Sed in Harl. et Bodl. postea emendatum est *et*, quod etiam in Flor. repertum testatur Ernestius, non invenio qua auctoritate.

sed et tuae. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Lips. sqq. — *et* omittitur in MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. — Edd. Put. omittunt etiam interpunctionem post *tuae*. Ed. Spir. pro *est tibi* dat *et tibi*.

ea aetas tua. Ed. Spir. *Ea aetas est tua*.

praeteritum. Hoc vocabulum, quanquam Ernestio molestum, abesse nequit: respicit enim eo, quod in sqq. Galba Pisonem hortatur, ut etiam in posterum innocentem servet vitam nec futurum quid in vita excusandum habeat.

animos. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Bud. Corb. edd. Spir. Pich. sqq. — *animum* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. usque ad Pichenam.

felicitate. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Put. Alc. Rhen. sqq. — *foelicitate* ed. Ber.

humani animi. Sic edd. Put. sqq. cum silent. Vict. — *animi humani* ed. Spir. In MS. Guelf. voc. *humani* non apparet.

eadem constantia. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silent. Vict. — *constantia* omisso voc. *eadem* ed. Spir.

„obsequium imminuent, inrumpet adulatio, blanditiae, pessimum veri adfectus venenum sua cuique utilitas. Et iam ego ac tu simplicissime inter nos hodie „loquimur: ceteri libentius cum fortuna nostra quam „nobiscum. nam suadere principi quod oporteat multi „laboris: adsentatio erga principem quemcunque sine „adfectu peragitur."

XVI. „Si immensum imperii corpus stare ac librari „sine rectore posset, dignus eram, a quo res publica „inciperet: nunc eo necessitatis iam pridem ventum est, „ut nec mea senectus conferre plus populo Romano pos„sit quam bonum successorem, nec tua plus iuventa

sed alii per obsequium imminuent. Sic MSS. Flor. (test. Ernest., nescio qua auctoritate) Vatic. (test. Lips.) Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. et deinde Lips. sqq. Consentit ed. Spir., nisi quod pro *imminuent* dat *imminen.* — *alii licet per obsequium annuant* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. — *qui obsequium* MS. Ies. Ceterum non audiendus est Dureau de la Malle, qui ad verbum *imminuent* intelligit *fidem suam:* immo intellige *tuam.*

inrumpet. Sic MS. Corb. edd. Spir. Rhen. sqq., nisi quod ferunt *irrumpet.* At MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Victorii) Alc. *irrumpent,* quod fortasse reponendum est. Potest tamen vulgatum tolerari. cf. not. ad An. 1, 10. s. v. *abstulerat.* MS. Agr. *adulatio et blanditiae.* Heinsius volebat: *irrumpent adulationis blanditiae.* Rupertius alterutrum e glossemate inrepsisse putat. Sed satis differunt *adulatio* et *blanditiae,* ut nostra vocabula *Schmeichelei* et *Liebkosungen.* cf. Casaub. ad Sueton. Oct. c. 53.

pessimum veri adfectus etc. Ed. Spir. *pessimum veri affectus venerium sui* etc.

et iam ego ac tu. Sic edd. Put. M. et V. — *etiam ego ac tu* MS. Guelf. edd. Spir. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Nihil variant MSS., nisi quod MS. Agr. habet: *Etenim ego.* Oberlinus ex Acidalii opinione *etiam* transtulit ad initium cap. 16. sic: *Etiam, si immensum.* Sed nil ibi efficitur per *etiam.* Pichena *etiam* volebat retrahere ad *utilitas.* Sed scribe cum Puteolano: *Et iam ego,* ut sit καὶ δή. cf. not. ad c. 13. De copula *et* cf. not. ad An. 1, 11. Consentit in hanc loci constituendi rationem Gutmannus. Rupertius vult: *En iam ego.* — Mox ed. Spir. omittit *hodie.*

simplicissime. cf. not. ad An. 1, 69. *non enim simplices eas curas.*

adsentatio etc. Ed. Spir. *assentando erga quemcunque principem* etc., nulla distinctione ante *assentando* posita.

Cap. 16. *Si immensum.* Sic libri vett. — Sed cf. not. ad c. 15.

sine rectore. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silent. Vict. — *sine rhetore* ed. Spir.

possit quam. Sic edd. Rhenan. sqq. — *posset quam* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Utraque scriptura ferri potest, diversa tamen loci ratione. Mox pro *erit* ed. Spir. habet ē h. e. *est.*

„quam bonum principem. Sub Tiberio et Caio et Claudio unius familiae quasi hereditas fuimus: loco libertatis „erit, quod eligi coepimus, et finita Iuliorum Claudiorumque domo optimum quemque adoptio inveniet. „nam generari et nasci a principibus fortuitum, nec „ultra aestimatur: adoptandi iudicium integrum, et si „velis eligere, consensu monstratur. Sit ante oculos „Nero, quem longa Caesarum serie tumentem non „Vindex cum inermi provincia aut ego cum una legione, „sed sua immanitas, sua luxuria cervicibus publicis depulere: neque erat adhuc damnati principis exemplum. „Nos bello et ab aestimantibus adsciti cum invidia quamvis egregii erimus. ne tamen territus fueris, si duae „legiones in hoc concussi orbis motu nondum quiescunt: „ne ipse quidem ad securas res accessi: et audita „adoptione desinam videri senex, quod nunc mihi unum „obiicitur. Nero a pessimo quoque semper desiderabitur: mihi ac tibi providendum est, ne etiam a bonis

finita. MS. Guelf. *infinita.*

aestimatur. Sic edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Alciat. sqq. — Edd. Spir. Put. *estimatur.* MS. Guelf. *extimatur.*

velis. MS. Guelf. *ut* (h. e. *vel*).

cum una legione. cf. Sueton. Galb. c. 10. Noster supr. c. 6. *inducta legione Hispana*, et infr. 5, 16.

depulere. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *depulerit* MSS. Bud. Corb. ed. Spir.

ab aestimantibus. Sic edd. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *ab extimātibus* edd. Spir. Put. M. et V. cum MS. Guelf.

ne tamen. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. sqq. — *nec tamen* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. — Mox vocabulum *concussi*, quod molestum videbatur Ernestio, satis commodum esse puto. Nimirum brevitatis studio duo momenta Noster una enuntiatione absolvit. Ne territus esto, inquit, si duae legiones nondum quiescunt: nam tantopere nunc orbis concussus est, ut quaedam non possint non in motu esse. Haec more suo auctor in brevius contrahit.

nondum quiescunt. Sic edd. Spir. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *non quiescunt* MS. Guelf. edd. Put. M. et V.

et audita. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silent. Vict. — *sed audita* ed. Spir. et sic vult Rickleſs. Verum *et* respicit ad verba: *ne tamen territus fueris* etc. adnectitque alteram rationem, cur territus ille non debeat esse.

quod nunc mihi unum obiicitur. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silent. Vict. — *quod nunc unum mihi o.* MS. Agr. ed. Spir. Mox nimio emendandi studio Gruterus volebat verbum *desideretur* deleri, quod satis apte adest.

„desideretur. Monere diutius neque temporis huius, „et impletum est omne consilium, si te bene elegi. uti„lissimus idem ac brevissimus bonarum malarumque re„rum delectus est cogitare, quid aut volueris sub alio „principe aut nolueris. neque enim hic, ut in ceteris „gentibus, quae regnantur, certa dominorum domus et „ceteri servi: sed imperaturus es hominibus, qui nec „totam servitutem pati possunt nec totam libertatem." Et Galba quidem haec ac talia, tanquam principem faceret, ceteri tanquam cum facto loquebantur.

utilissimus idem etc. Ed. Spir. totum locum praebet sic: *consilium. Si te bene eligi utilissimus bonarum: idem ac brevissimus bonarum malarumque rerum dilectus est: quid cogitare: quid autem nolueris sub alio principe: aut volueris: neque enim* etc. Edd. Put. *consilium. Si te bene elegi: utilissimus quidem ac brevissimus bonarum rerum delectus* (Put. V. *deletus*). *Cogitare quid aut nolueris sub alio principe: aut volueris. Neque enim* etc. Ed. Beroald. *utilissimus quidem ac br. bonarum malarumque r. delectus* etc. Victorius e MS. Flor. post *utilissimus* interposuit *bonarum:* idem mutavit *quidem* in *idem*. De vocabulo *idem* consentit Pichena: interpositum illud *bonarum* idem ignorat: addit autem post *delectus* e MS. Flor. *est*, quod rursum ignorat Victorius. Cum ed. Beroald. consentiunt edd. Alc. Rhen. Ald. Lips. (qui tamen more suo scribit *dilectus*) Grut. — Pichena ut e MS. Flor. *Utilissimusque idem ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus est, cogitare quid aut volueris sub alio principe, aut nolueris.* E sua coniectura Pichena addidit *que*. De scriptura *idem* consentiunt MSS. Bud. Corb. Bodl. Reg. — *quidem* praeferunt MSS. Harl. Ies. Guelf. Mox MS. Bud. omittit *malarum*, datque *bonarumque*. Deinde *nolueris .... aut volueris* vulgus MSStorum et edd. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. ad Pichenam, qui inversum ordinem induxit ut e MS. Flor. Expunxi cum Broterio copulam *que* a Pichena additam, quia inutilis est et veterum librorum auctoritate destituitur. Duce MS. Bud. Rhenan. in castigatt. emendabat: *Utilissimus idem ac br. bonarum quoque rerum delectus. Cogitato quid aut nolueris* etc. Vertranius: *Utilissimus idem qui brevissimus bonarum rerum delectus: cogita quid aut nolueris* etc. Scilicet in mala non cadere electionem iste rebatur.. Sed *bonarum malarumque rerum delectum* intellige delectum inter bonas malasque res factum: nam et malae res ante considerari debent, utrum sint bonae an malae; utrum deligas an vites. MS. Agr. *ostendes, quid cogitare aut quid facere volueris sub alio principe.*

neque enim hic, ut in ceteris gentibus. Sic edd. Spir. Put. sqq. In quibus edd. Iac. Gronov. invenerit *certis* pro *ceteris* non reperio. MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Bud. omittunt *in ceteris*, quae verba sane abesse possunt et melius fortasse abessent. Vix abstineo, quin deleam. Desunt etiam in MS. Guelf., qui vitiose pro *ut in* habet *et*. De MSS. Oxonn. et Vaticc. silentium est.

regnantur. cf. German. c. 48. An. 13, 54. Ed. Spir. *regantur.*

haec ac talia. Sic MS. Guelf.

XVII. Pisonem ferunt statim intuentibus et mox coniectis in eum omnium oculis nullum turbati aut exsultantis animi motum prodidisse. sermo erga patrem imperatoremque reverens, de se moderatus, nihil in vultu habituque mutatum, quasi imperare posset magis quam vellet. Consultatum inde, pro rostris an in senatu an in castris adoptio nuncuparetur. iri in castra placuit: honorificum id militibus fore, quorum favorem ut largitione et ambitu male adquiri ita per bonas artes haud spernendum. Circumsteterat interim palatium publica exspectatio magni secreti impatiens, et male coercitam famam supprimentes augebant.

XVIII. Quartum Idus Ianuarias foedum imbribus diem tonitrua et fulgura et coelestes minae ultra solitum turbaverant. observatum id antiquitus comitiis dirimendis non terruit Galbam, quo minus in castra pergeret, contemptorem talium ut fortuitorum, seu quae fato manent quamvis significata non vitantur. Apud

edd. Puteol. sqq. cum silent. Vict. cf. Sueton. Claud. c. 10. Tib. c. 8. — *haec atque talia* MSS. Corb. Bodl. cf. An. 11, 24. 13, 46. 14, 49. Agr. c. 16. — *haec et talia* MSS. Harl. Ies. ed. Spir.

faceret. MS. Guelf. *faciat*.

CAP. 17. *vultu habituque*. Roth. p. 7. haec pro synonymis habet. Est tamen id discriminis, ut vultus sit habitus oris, habitus de toto corpore dicatur. cf. infr. 2, 52. et not. ad An. 1, 10.

adquiri. Sic MS. Flor. test. Vict. — *acquiri* MS. Guelf. edd. vett. — Mox *impatiens* deest in ed. Spir.

CAP. 18. *Ianuarias*. Ed. Spir. *ianuarii*. Ceterae edd. vett. *Ian.*

tonitrua et fulgura et coelestes minae. ἓν διὰ δυοῖν. cf. Roth. p. 46.

dirimendis. Ed. Spir. *dirrumpendis*.

significata. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *signifacta* MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir., quod verbum an ad Taciti aetatem pertineat dubito.

vitantur. Sic MSS. Bud. Bodl. (a sec. manu) edd. Rhen. sqq. — *vitentur* MS. Bodl. (pr. manu) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — *vitarentur* MSS. Harl. Guelf. (Consentit quodam modo cod. MS. Ies., qui dat *viterentur*.) Ernestius in priore ed. dederat *vitarentur*, quum e mente Galbae haec dicta acciperet: mox mutata sententia in altera repetiit *vitantur*, quod iam vulgatur. Verum quamcunque scripturam ex his deligas, sana est, diverso tamen sensu. *Vitantur* rem sistit ut talem, quam non dubites ita esse. *Vitentur* dubitationem admittit et in incerto relinquit rem. Id tantum dicit, ita esse posse. Quae cum sit sententia in universum dicta, *vitarentur* hoc dictum refert ad Galbae fortunam. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *vertantur*, quod facit pro recepta scriptura.

frequentem militum concionem imperatoria brevitate adoptari a se Pisonem more divi Augusti et exemplo militari, quo vir virum legeret, pronuntiat. ac ne dissimulata seditio in maius crederetur, ultro adseverat quartam et duodevicesimam legiones paucis seditionis auctoribus non ultra verba ac voces errasse et brevi in officio fore. Nec ullum orationi aut lenocinium addit aut pretium. tribuni tamen centurionesque et proximi militum grata auditu respondent: per ceteros maestitia ac silentium, tanquam usurpatam etiam in pace donativi necessitatem bello perdidissent. Constat potuisse conciliari animos quantulacunque parci senis liberalitate. nocuit antiquus rigor et nimia severitas, cui iam pares non sumus.

XIX. Inde apud senatum non comptior Galbae, non longior quam apud militem sermo: Pisonis comis

concionem. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Alc. Rhen. sqq. — *contionem* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald.

more divi A. et exemplo militari. Lips. Ernest. et Ricklefs. censent legendum: *exemplo divi A. et more militari.* Frustra. Sana sunt, quae vulgantur. *More divi A.* reverentius dictum est: inest obsequii notio. Contra *exemplum* nonnisi facti similitudinem significat.

duodevicesimam. Sic codd. MSS. Flor. (a sec. manu et priore sic erasa, ut non appareat amplius. Ryck. ad h. l.) Guelf. Agr. Bud. aliique, edd. Spir. Put. sqq. usque ad Pichenam, qui in MS. Flor. (a pr. manu) scriptum fuisse *duo et vicesimam* sibi persuadebat eamque scripturam huic loco vindicabat. Mox ad c. 55. sententiam mutavit. Ryckius veterem numerum restituit.

verba ac voces. Synonyma secundum Roth. p. 8.

addit aut pretium. Haec Pichena restituit e MS. Flor., in quo ipse invenit *addita ut pretium.* Victorius tamen intactum reliquit *additum aut p.*, quod est in MSS. Reg. Agr. edd. Spir. Beroald. sqq. ad Pichenam, quamvis corrigeret *precium* ed. Beroald. in *pretium.* Edd. Put. M. et V. cum MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. *addidit: aut precium.* Mox ed. Spir. *aut proximi.*

grata auditu. Sic MSS. Harl. Ies. Guelf. (in margine) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et dein Pich. sqq. — *grata audito* MSS. Flor. (test. Pichena) Reg. Corb. edd. Spir. Bipont. — *gratabundi* MSS. Bud. Guelf. (in contextu) Bodl. (Harl. et Ies. in marg.) edd. Rhen. sqq. ad Pichen. Intellige *grata auditu* neque vero e pectore eiusdem gratiae pleno profecta.

quantulacunque. MS. Bud. addit *parva*, quod pro glossemate est habendum.

Cap. 19. *apud militem.* Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Bud. Agr. Guelf. et MSS. Broterii, edd. Spir. Ryck. sqq. — *apud milites* edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.)

oratio. Et patrum favor aderat: multi voluntate effusius: qui noluerant, medie, ac plurimi, obvio obsequio, privatas spes agitantes sine publica cura. nec aliud sequenti quatriduo, quod medium inter adoptionem et caedem fuit, dictum a Pisone in publico factumve. Crebrioribus in dies Germanicae defectionis nuntiis et facili civitate ad accipienda credendaque omnia nova, cum tristia sunt, censuerant patres mittendos ad Germanicum exercitum legatos. agitatum secreto, num et Piso proficisceretur maiore praetextu, illi auctoritatem

Alc. Rhen. sqq. ad Ryckium. In sqq. cum Bipont. et Oberlin. sequimur veterum' edd. (inde a Put.) distinguendi rationem. Freinshemius alienam ab hoc loco interpunctionem induxerat: *multi voluntate; effusius qui noluerant: medii, ac plurimi* etc. Immo quorum animi in Pisonem inclinabant, hi effusius favebant: qui noluerant illam adoptionem, medie etc. Nempe hi laeto quidem vultu patrem filiumque excipiebant: intus succensebant.

noluerant. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silent. Vict. — *nō voluerant* ed. Spir.

medie. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silent. Vict. — *medię* ed. Spir., vulgari vitio. Feinshemius e sua de hoc loco distinguendo opinione dederat *medii*, sic: *multi voluntate; effusius qui noluerant: medii, ac plurimi, obvio obsequio* etc. Ernest. reduxit *medie.* Wissowa in Lect. Tac. spec. alt. (1829) praetulit Freinshemii rationem. Mox MS. Agr. pro *ac* habet *at.* Ceterum totus locus, ut multi alii apud Nostrum, intellecto verbo aliquo explicandus est. cf. not. ad An. 1, 32. sub vv. *quod neque disiecti.* Uncos, quis verba: *quod medium ... fuit* circumdari inde a Rhenano solent, sustuli ut inutiles.

in publico. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. edd. Pichen. sqq. — *in publicum* MSS. Reg. Agr. edd. Spir. Put. sqq. ad Pichenam.

Germanicae. Sic edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *germanice* edd. Put. — *Germanię* MS. Guelf. (a sec. manu) ed. Spir. A prima manu in Guelf. fuit *germanice.* — Mox eadem ed. Spir. habet *tristitia* pro *tristia.*

num et Piso. MS. Guelf. *nō et Piso*, quae confusio frequens est in illo libro.

maiore praetextu. Lipsio suspectum erat voc. *maiore:* Acidalio magis, quod sequitur, *praetextu.* Ernest. et Broterius cum Salinerio et Boxhornio verba interpretantur ita: „ut maior legationis dignitas esset." Parum recte. Est potius sententia haec: agitatum esse, num et Piso proficisceretur ad sedandam militum seditionem, ita tamen ut non haec, sed alia quaedam gravior causa profectioni praetenderetur, utque in publicum crederetur non ob seditionem profectus esse, quippe cuius atrocitatem dissimulabant: sed maiore de causa, velut statum ut viseret imperii aut expeditionem faceret vel simile quid. Sic An. 2, 44. Drusus missus est in Illyricum, ut urbano luxui abstraheretur et Tiberius tutior esset utroque filio legiones obtinente: at praetendebantur Suevi. An. 2, 59. Germanicus Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis; cura provinciae praetendebatur.

illi auctoritatem. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silent. Vict. —

senatus, hic dignationem Caesaris laturus. placebat et Laconem praetorii praefectum simul mitti. is consilio intercessit. legati quoque (nam senatus electionem Galbae permiserat) foeda inconstantia nominati, excusati, substituti, ambitu remanendi aut eundi, ut quemque metus vel spes impulerat.

XX. Proxima pecuniae cura: et cuncta scrutantibus iustissimum visum est inde repeti, ubi inopiae causa erat. Bis et vicies millies sestertium donationibus Nero effuderat. appellari singulos iussit decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta. at illis vix decumae super portiones erant, iisdem erga aliena

Ille auctoritatem MS. Bud. ed. Spir. — Mox pro *permiserat* MS. Guelf. habet *premiserat*: pro *remanendi* MS. Agr. dat *retinendi*, unde Heinsius vult fieri *renitendi*. Frustra. Ed. Spir. pergit: *impulerat proxima* etc.

Cap. 20. *ubi inopiae causa*. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. et dein Pich. sqq. usque ad Ernestium, qui repetiit *unde inopiae c.*, quod exstat in MSS. Reg. Corb. edd. Spir. Lips. Gruter. Sed inopiae causa non erat e donationibus, verum in donationibus: e donationibus erat inopia tanquam effectus.

bis et vicies millies sestertium. Ex emendatione Lipsii, quam primus in locum recepit Bernegger. Edd. vett. et MSS. *bis et vicies mille sestertium*.

iussit. MS. Guelf. *iusserat*.

decuma parte lib. Suet. Galb. c. 15. *non plus decimis concessis*. Quas *decimas* Baumgarten-Crus. pro singulari liberalitatis genere accipit, non pro decimis partibus liberalitatum. Provocat ad Sueton. Cal. c. 26. ubi Caius scenicis ludis *decimas* maturius dedisse dicitur, ut equestria ab infimo quoque occuparentur. Tacitum de decimis portionibus et decima parte liberalitatis dicentem vir doctissimus putat falsum esse ob ambiguum in verbis edicti vocabulum. Plutarchi (c. 16.) τὸ δέκατον μέρος, ut graeci scriptoris, minus curat. „Nam si error, ait, in Latino, quidni Graeco?" Videtur tamen sic nimis indulgere opinioni de decimis tanquam peculiari liberalitatis genere. Nam quaecunque sint decimae illae apud Sueton. Cal. c. 26., in altero Suetonii loco (Galb. c. 15.) decimae capiendae sunt de decimis liberalitatum partibus. Id satis apparet per vocabula: *non plus*, quae poscunt, ut numerus sequatur. Alias Suetonius scripsisset: *non nisi decimis concessis*. Plurali numero utitur, nec singulari (*decima parte*), plane de more suo, quia de liberalitatibus loquitur, non de liberalitate. cf. Wolf. ad Sueton. Cal. c. 22. sub v. *magisteria*. Tacitum per ambigua edicti vocabula potuisse in errorem abduci vix crediderim, quippe rerum Romanarum peritiorem.

at illis. Sic edd. Put. sqq. — *at illi* MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *ac illis* MS. Guelf. — Ed. Spir. constanter *decimae*: MS. Guelf. edd. Put. sqq. *decumae*. cf. not. ad An. 1, 17.

super portiones erant. Per tmesin, ut Virgil. Aen. 2, 567. MS.

sumptibus quibus sua prodegerant, cum rapacissimo cuique ac perditissimo non agri aut fenus, sed sola instrumenta vitiorum manerent. Exactioni triginta equites Romani praepositi, novum officii genus et ambitu ac numero onerosum. ubique hasta et sector et inquieta urbs auctionibus. attamen grande gaudium, quod tam pauperes forent, quibus donasset Nero, quam quibus abstulisset. Exauctorati per eos dies tribuni, e praetorio Antonius Taurus et Antonius Naso, ex urbanis cohortibus Aemilius Pacensis, e vigiliis Iulius Fronto. nec remedium in ceteros fuit, sed metus initium, tanquam per artem et formidinem singuli pellerentur omnibus suspectis.

Bud. *supra*, et sic voluerat Rhenanus: operae non paruère. Ed. Beroald. *erat* pro *erant*. Mox ed. Spir. *Isdem* pro *iisdem*.

prodegerant. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *prodigerant* edd. Put. M. et V.

triginta equites. Sueton. Galb. c. 15. habet *quinquaginta:* quam diversitatem Casaubonus ita componit, ut ob difficultatem negotii triginta prioribus viginti additos suspicetur. Sed in numeris libri saepe peccant.

ambitu ac numero onerosum. Int. civitati (id docent verba sqq. *ubique hasta* etc.), non equitibus ad id delectis. *ambitu* h. e. potestate latius patente (*Umfang*). *numero* sc. quod triginta tam onerosa potestate erant praediti, non duo vel tres. Gutmann.: *durch Umtriebe und Menge;* Ricklefs.: *durch Begünstigung und Anzahl;* Strombeck.: *durch Bewerbung und Anzahl.* Quae cuncta a vera loci sententia satis diversa sunt. Omnes vocabulum *onerosum* referunt ad equites ei officio delectos. MS. Guelf. dat *ambitio* pro *ambitu*.

sector. MS. Bud. *sectores.*

auctionibus. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) et Bodl. (in margine), edd. Lips. sqq. praeter Iac. Gronovium, qui dedit *actionibus*, ut ipse profitetur, ex optimis MSS.: et sic est in MS. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. ad Lipsium. Sane bis dicitur idem, si legis *auctionibus:* nam *hasta* et *sector* quid sunt nisi *auctiones?* — *Actiones* intellige in eos, a quibus donationes essent repetendae. De vocabulo cf. An. 13, 26.

attamen. MS. Guelf. *ac tamen.*

exauctorati. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Lips. sqq. — *exautorati* edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald.

Taurus. Ed. Spir. *Thaurius.*

Antonius Naso. MS. Farnes. *Aurelius Naso.* Heinsius vult: *Autronius.* Oberlinus e Sueton. Iul. c. 9. 52. adfert *M. Actorium Nasonem.* Vulgatum esse vitiosum facile tibi persuadebis.

Aemilius. Sic edd. Bernegg. sqq. — *emilius* edd. Spir. Put. M. et V. — *Aemylius* MS. Guelf. edd. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq.

e vigiliis. Sic edd. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *Euigilius* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V.

in ceteros. MS. Guelf. *iter ceteros.*

XXI. Interea Othonem, cui compositis rebus nulla spes, omne in turbido consilium, multa simul exstimulabant, luxuria etiam principi onerosa, inopia vix privato toleranda, in Galbam ira, in Pisonem invidia. fingebat et metum, quo magis concupisceret. Praegravem se Neroni fuisse, nec Lusitaniam rursus et alterius exsilii honorem exspectandum: suspectum semper invisumque dominantibus, qui proximus destinaretur. nocuisse id sibi apud senem principem: magis nociturum apud iuvenem ingenio trucem et longo exsilio efferatum. occidi Othonem posse. proinde agendum audendumque, dum Galbae auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset. opportunos magnis conatibus transitus rerum: nec cunctatione opus, ubi perniciosior sit quies, quam temeritas. Mortem omnibus ex natura aequalem oblivione apud posteros vel gloria distingui. ac si nocentem innocentemque idem exitus maneat, acrioris viri esse merito perire.

Cap. 21. *ira ... invidia.* Sic edd. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — Ed. Spir. *In Galbam iram. In Pisonem invidiam fingebat. et metum* etc. MS. Guelf. *in galba irã: In pisone iuidiã fingebat* etc. — *iram ... invidia* MS. Bud. Mox idem *se Neroni gravem.*

et alterius. Sic codd. MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Guelf. aliique, edd. Spir. Put. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. et nuper Ernest. sqq. — *aut alterius* MS. Bud. et inde edd. Rhenan, sqq. ad Ernestium. Male. Copula *et* habet vim explicandi.

nocuisse. Ed. Spir. *nocuisset.*

longo. MS. Guelf. *longe.*

occidi Othonem posse. Veterum interpretum quidam volebant *Pisonem* pro *Othonem.* Perperam. Hoc est, quod supra dicebatur: *fingebat et metum* etc. Progreditur Othonis metus a leviore periculo sensim ad atrocius et denique ad atrocissimum, quod eximie convenit animo metuentis.

proinde. Sic codd. MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Bud. Guelf. aliique, edd. Spir. Ernest. sqq. — *proin* edd. Put. Ber. (cum sil. Vict.) sqq. ad Ernestium. Hoc exortum est e compendio *proiñ.* — Mox MSS. Ies. et Guelf. invertunt verborum ordinem: *audendum agendumque*, et sic Liv. 22, 14. MS. Bud. pro *audendum* dat *audiendum*, vulgari vitio.

nondum. Edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alciat. *mundum.* Mox MS. Guelf. *magis* pro *magnis.* Ed. Spir. *pernitiosior.*

vel gloria. Ed. Spir. *aut gloria*, quod fortasse loco melius convenit.

maneat. MS. Bud. *manet*, quod vix excusari potest.

XXII. Non erat Othonis mollis et corpori similis animus. et intimi libertorum servorumque corruptius quam in privata domo habiti aulam Neronis et luxus, adulteria, matrimonia ceterasque regnorum libidines avido talium, si auderet, ut sua ostentantes, quiescenti ut aliena exprobrabant, urgentibus etiam mathematicis, dum novos motus et clarum Othoni annum observatione siderum adfirmant, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur. Multos secreta Poppaeae mathematicos, pessimum principalis matrimonii instrumentum, habuerant, e quibus Ptolemaeus Othoni in Hispania comes, cum superfuturum eum Neroni promisisset, postquam ex eventu fides, coniectura iam et rumore senium Galbae et iuventam Othonis computantium persuaserat fore ut in imperium adscisceretur. sed Otho tanquam peritia et monitu fatorum praedicta accipiebat, cupidine ingenii humani libentius obscura credendi.

XXIII. Nec deerat Ptolemaeus, iam et sceleris instinctor, ad quod facillime ab eiusmodi voto transitur.

CAP. 22. *similis.* Ed. Spir. *simul.* Pro *corpori* MS. Corb. *corporis.*

matrimonia. Scil. pro lubitu inita ac rursum discissa. cf. Suet. Cal. c. 25. MS. Bud. *adultera matrimonia*, uti Lipsius volebat. I. Fr. Gronovius *paedagogia* pro *matrimonia* tentabat, secundum Suet. Ner. c. 28. Ryckius: *adulteria matronarum.* cf. Sueton. Ner. c. 27. Frustra. Mox Lipsius malebat: *ceteraque regnorum avido talium.*

novos motus. Edd. Put. M. et et V. *novos moetus.*

vetabitur. MS. Bud. *vetabatur*, et mox *principis* pro *principalis.* Paulo ante pro *sperantibus* ed. Spir. dat *superantibus.*

instrumentum. Hoc vocabulum deest in ed. Spir.

Ptolemaeus. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *Ptholomeus* hic et infra. Edd. Put. M. et V. *Ptolomeus.*

in imperium. Ed. Spir. cum MS. Guelf. omittit *in.*

adsciseretur. MS. Guelf. *adscisseretur.* Mox idem *impericia* pro *peritia.*

credendi. Sic suadentibus Pichena, Lipsio, Acidalio edidere Ernest. Oberlin. sqq. — *credentis* ed. Broter. e coniectura Petavii et Huetii. MSS. et edd. ante Ernest. *credi*; quod ferri potest atque explicari e structura graeca, qua ponitur nudus infinitivus pro ὥςτε c. inf. cf. not. ad An. 11, 1. Sic infr. c. 55. *insita mortalibus natura propere sequi, quae piget inchoare;* 2, 20. *insita mortalibus natura .... introspicere* etc. Ad *cupidine* tum intelliges participium verbi substantivi.

sed sceleris cogitatio incertum an repens: studia militum iam pridem spe successionis aut paratu facinoris adfectaverat, in itinere, in agmine, in stationibus vetustissimum quemque militum nomine vocans ac memoria Neroniani comitatus contubernales appellando: alios agnoscere, quosdam requirere et pecunia aut gratia iuvare, inserendo saepius querelas et ambiguos de Galba sermones, quaeque alia turbamenta vulgi. labores itinerum, inopia commeatuum, duritia imperii atrocius accipiebantur, cum Campaniae lacus et Achaiae urbes classibus adire soliti Pyrenaeum et Alpes et immensa viarum spatia aegre sub armis eniterentur.

XXIV. Flagrantibus iam militum animis velut faces addiderat Maevius Pudens, e proximis Tigellini. is mobilissimum quemque ingenio aut pecuniae indigum et

Cap. 23. *an repens.* Acidalius malebat *an recens.* Sed vid. not. ad An. 6, 7. et 11, 24.

in itinere, in agmine. Ernestius *in agmine* nihil aliud esse quam *in itinere* Tacito obiicit. Sed similiter haec coniunguntur An. 3, 9. *in agmine atque itinere.* Nimirum *agmen* significat ipsas copias iter facientes, quae distinguuntur ab itinere quod faciunt. Iam An. 3, 9. est ἓν διὰ δυοῖν. Hoc loco autem *in agmine* opponitur voci *in stationibus*, ut intelligas Othonem idem fecisse in agmine, ubi copiae essent coniunctae, atque in stationibus, ubi singuli milites versarentur. Ad Strombeckii quaestionem, quomodo haec Othonis dicta factaque conciliari possint cum adoptionis spe, quam ipse ferebat, responsum Gutmannus dedit.

ac memoria. Ed. Spir. *atque memoria.* Mox *Neroniam* pro *Neroniani.*

inopia commeatuum. Ed. Spir. *inopia comeantium*, quasi adhuc pendeat e verbo *inserendo.* Ed. Put. V. *cōmeatum.*

Achaiae. Ed. Spir. *Achaicę.* Mox cum MS. Guelf. *pireneum.*

spatia. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Ald. Lips. sqq. — *spacia* edd. Put. Ber. Alc. Rhenan. cum MS. Guelf.

eniterentur. Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Guelf. Bud. aliique, edd. Spir. Rhen. Ald. Lips. sqq. — *emitterentur*, vitio operarum, ut videtur, edd. Put. Ber. Alc. — Pichena coniiciebat *emetirentur*, obnitente Grutero.

Cap. 24. *velut.* MS. Flor. (test. Vict.) *velud.* In MS. Bud. deest *animis*, quod Rhenano videbatur abesse posse. Vix credo.

Maevius Pudens. Sic edd. Ernest. Broter. Oberl. sqq. — *Mevius Pudens* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Ernestium. *Mevius prudens* ed. Spir.

Tigellini. Vett. edd. *Tigillini.* Vid. not. ad An. 14, 48.

mobilissimum. Sic edd. Spir. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *nobilissimum* MS. Guelf. edd. Put. M. et V.

indigum. Ed. Spir. *indiguum.* Ed. Put. V. *indignum*, et ita fuit in MS. Guelf. a pr. manu. — *indigum* ibi fecit sec. manus.

in novas cupiditates praecipitem adliciendo eo paulatim progressus est, ut per speciem convivii, quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos nummos divideret: quam velut publicam largitionem Otho secretioribus apud singulos praemiis intendebat, adeo animosus corruptor ut Cocceio Proculo speculatori de parte finium cum vicino ambigenti universum vicini agrum sua pecunia emptum dono dederit per socordiam praefecti, quem nota pariter et occulta fallebant.

XXV. Sed tum e libertis Onomastum futuro sceleri praefecit, a quo Barbium Proculum tesserarium spe-

viritim. Enestius: „*viritim* commode abfuerit, non consentiens nec Taciti brevitati, nec latinitati severae. Nam inest in *centenos.*" Falsus est. Nam ut constet non in singulas cohortes centenos, sed in singulos cuiusque cohortis viros totidem nummos esse datos, necessario additur *viritim.* cf. An. 2, 42. *trecenos plebi sestertios viritim dedit.* Suet. Cal. c. 46. *pronuntiatoque militi donativo centenis viritim denariis.* Ille mos excubiarum inter epulas originem traxit a Claudio imperatore. cf. Dio 60, 3. ἔν τε τοῖς συμποσίοις πάντως τινὰς στρατιώτας συνόντας εἶχε, καὶ τοῦτο μὲν ἐξ ἐκείνου καταδειχθὲν καὶ δεῦρο ἀεὶ γίγνεται. Sueton. Claud. c. 35. Mox in ed. Spir. ante *secretioribus* deest nomen *Otho.*

Cocceio. Ed. Spir. *Coccelo.* MS. Guelf. ed. Put. V. *Coeccio.*

speculatori. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Lips. sqq., et sic Victorius e MS. Flor. in sqq. semper correxit, quanquam hic intactum reliquit *spiculatori*, quod exstat in edd. Put. sqq. ad Lipsium. *Speculatori* ferebant et Lipsii MSS. et sic nummi ac lapides. cf. Oudendorp. ad Sueton. Cal. c. 44. et Claud. c. 35. et quos ille laudat.

per socordiam praefecti. Int. Laconis, qui tum erat praefectus praetorii, cf. c. 13. et ignavissimus mortalium, cf. c. 6. Bipontini male intelligunt praefectum legionis. Verum hic sermo est de corruptione praetorianorum. Rupertius intelligit Tigellinum, quem dicit tum praetorii praefectum fuisse. Mavult tamen legere: *per socordiam principis ea facta*, posita plenissima interpunctione post *dederit.* Frustra. *Socordia* respicit ad ignavissimum mortalium (c. 6.), nec quidquam hic est emendandum. *Per* significat occasionem, ἀφορμήν, ut An. 13, 43. *per invidiam patris et crimina repetundarum.* cf. not. ad An. 15, 71.

CAP. 25. *Onomastum.* Ed. Spir. *enomastum.* Eadem *futurum* pro *futuro.*

tesserarium. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. (a sec. m.) et ed. Spir. (haec *thesserarium*). Eandem scripturam (*tesserarium*) Lipsius in MSS. invenit atque restituit. — Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. Ald. cum MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. (a pr. manu) *Tesseranum.* — Mox *speculatorum* praeferunt MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. — *speculatorem* MSS. Bud. Guelf. ed. Spir. — *spiculatorem* edd. Puteol. sqq. ad Lipsium.

culatorum et Veturium optionem eorundem perductos, postquam vario sermone callidos audacesque cognovit, pretio et promissis onerat, data pecunia ad pertentandos plurium animos. Suscepere duo manipulares imperium populi Romani transferendum: et transtulerunt. In conscientiam facinoris pauci adsciti: suspensos ceterorum animos diversis artibus stimulant, primores militum per beneficia Nymphidii ut suspectos, vulgus et ceteros ira et desperatione dilati totiens donativi. erant quos memoria Neronis ac desiderium prioris licentiae accenderet. in commune omnes metu mutandae militiae terrebantur.

XXVI. Infecit ea tabes legionum quoque et auxiliorum motas iam mentes, postquam vulgatum erat labare Germanici exercitus fidem. adeoque parata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit, ut

Veturium. MS. Guelf. *Vecturium.*

optionem eorundem. Sic MS. Flor. test. Vict., qui in addita nota laudat antiqui codicis fidem atque pergit: „confirmat hanc lectionem et Plut. in vita Galbae his verbis: Ἰτούριος καὶ Βάρβιος, ὁ καὶ (ὁ μὲν) ὀπτίων, ὁ δὲ τεσσεράριος etc. lego autem apud Plut. ὀπτίων pro ὀπίων." Confirmavit revocavitque eandem scripturam Lipsius e MS. Vatic. et inscriptionibus. MS. Bud. habet *Vecturium optionem eodem.* Ed. Spir. *Veturium opicionem eorūdē.* MSS. Bodl. Guelf. edd. Put. Ber. sqq. *Othonem* (ed. Put. M. *Octonem*) *eodem.* De aliis MSS. silentium est.

pretio. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. — *precio* MS. Guelf. edd. vett.

suscepere. Victorius notam addidit: „cum indignatione legendum."

duo manipulares. cf. not. ad An. 1, 21.

ceterorum. Ed. Spir. *ceterum.*

accenderet. MS. Guelf. *accederet.*

in commune. Ex emendatione Rhenani, quam ipse edidit et deinde Lips. sqq. — *in communi* MSS. et edd. Spir. Put. Beroald. Alc. Ald. Micyll.

terrebantur. Sic codd. MSS. Flor. (a pr. m. test. Iac. Gronov.) Guelf. aliique, edd. Spir. sqq. ad Pichenam, qui dedit *exterrebantur*, quod sec. manus in MS. Flor. superscripsit. Vetus scriptura restituta est ab Iac. Gronovio. De re cf. Sueton. Galb. c. 16. *Ceterum praetorianos etiam metu et indignitate commovit, removens subinde plerosque ut suspectos et Nymphidii socios.*

Cap. 26. *auxiliorum.* MS. Reg. ed. Spir. *auxiliariorum.*

Germanici. MS. Guelf. *germani.*

dissimulatio. Baumgarten-Crusius ad Suet. Oth. c. 6. *dissimulatio* vult mutari in *dissimulata*, quae coniectura olim satis mihi adridebat. Nunc opinione mutata nil hic emendandum, rectius vero locum esse explicandum censeo. Nam *dissimulatio* hic non est *Verstel-*

postero iduum die redeuntem a coena Othonem rapturi fuerint, ni incerta noctis et tota urbe sparsa militum castra nec facilem inter temulentos consensum timuissent, non rei publicae cura, quam foedare principis sui sanguine sobrii parabant, sed ne per tenebras, ut quisque Pannonici vel Germanici exercitus militibus obla-

lung, uti interpretari solent; sed eum significat militum animum, quo seditionem non impedirent, sinerentque inultam (*neutralité*). Parata apud integros dissimulatio fuit h. e. provisum fuit, ut integri, quamvis seditionem ipsi non incepturi neque nomina sua flagitio daturi, quiescerent tamen neutriusque partis studio agerent. Sic Hist. 2, 56. *Valens ob lucra et quaestus infamis eoque alienae etiam culpae dissimulator.* An. 15, 71. *Atilla mater Annaei Lucani sine absolutione, sine supplicio dissimulata.* Hist. 1, 73. *Per idem tempus expostulata ad supplicium Galvia Crispinilla variis frustrationibus et adversa dissimulantis principis fama periculo exempta est.*

postero iduum die. Sic MSS. Guelf. Agr. (et teste Broterio plurimi codd. MSS.) edd. Spir. (haec *yduum*) Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *postero iduum dierum* MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich. et Iac. Gronov.) Vatic. Covarruv. Bud. Sed utrumque dicendi genus insolens et intolerabile plerisque interpretibus visum est. Quare Lipsius deleto postremo vocabulo volebat *postero iduum.* Pichena: *postero iduum Ianuar.* Ernestius: *postero statim dierum* vel *die* sc. ab adoptione. Sic Tacitum cum Suetonio conciliare studet. Hic enim in Oth. c. 6. mentionem iniicit consilii, quod coniurati iniecerint, post adoptionem statim castra occupandi coenantemque in palatio Galbam adgrediendi. Sed utriusque scriptoris verbis accurate perpensis nemo non intelligit Suetonium ibi quaedam adferre Tacito ignota aut neglecta. Nimis ab hoc loco remota est adoptionis mentio, quam ut auctor verbis: *postero die* nude sic positis ad eam respicere possit. Scripsisset saltem: *ut postero statim post adoptionem die.* Accedit quod Noster, postquam res quatridui, quod medium inter adoptionem et caedem fuit, c. 19. et 20. descripsit, ab initio c. 21. pergit: *Interea Othonem* etc., unde facile intelligis ea omnia, quae porro narrantur, inter quatriduum illud ab Othone esse parata. Sunt alia multa quae Ernestii emendationi obstent. Rupertius emendat: *postero iam die* vel *postridie iam* h. e. postridie quam defectio Germanici exercitus vulgata fuerit adeoque ipso Pisonianae adoptionis die et statim post eam. Nos olim suspicati sumus legendum: *ut postero iduum earum* sc. Ianuar. cf. c. 18. Mox sequuntur *Kalend. Februar.* Sic Spartian. in Hadrian. c. 5. *Tertio iduum earundem.* Sed fortasse vera est scriptura Cod. Flor., ut *iduum dies* sint ipse dies mensis Ianuarii duodecimus et qui illum praecedunt inde a nonis. Nam hi omnes nominantur ab idibus. Igitur *postero iduum dierum* erit *am ersten nach den Idustagen.*

ni incerta. Sic MS. Flor. test. Vict. cum Iac. Gronovio. — *nisi incerta* edd. vett. et recentt. cum MS. Guelf.

timuissent. MS. Guelf. *tenuissent.*

principis sui. Ed. Spir. *sui principis.* Mox ed. Beroald. *Pannonini*, quod Victorius correxit *Pannonici.*

Decembrium

tus esset, ignorantibus plerisque pro Othone destinaretur. Multa erumpentis seditionis indicia per conscios oppressa: quaedam apud Galbae aures praefectus Laco elusit ignarus militarium animorum consiliique quamvis egregii, quod non ipse adferret, inimicus et adversus peritos pervicax.

XXVII. XVIII. Kal. Febr. sacrificanti pro aede Apollinis Galbae haruspex Umbricius tristia exta et instantes insidias ac domesticum hostem praedicit audiente Othone (nam proximus adstiterat) idque ut laetum e contrario et suis cogitationibus prosperum interpretante. Nec multo post libertus Onomastus nuntiat exspectari eum ab architecto et redemptoribus, quae significatio coeuntium iam militum et paratae coniurationis convenerat. Otho causam digressus requirentibus cum emi sibi praedia vetustate suspecta eoque prius exploranda finxisset, innixus liberto per Tiberianam domum in Velabrum, inde ad milliarium aureum sub aedem Saturni pergit. ibi tres et viginti speculatores consalutatum imperatorem ac paucitate salutantium trepidum et sellae

erumpentis. Ed. Spir. *erumpentibus.*

apud Galbae aures. MS. Bud. *apud Galbam audiens.*

elusit. MS. Guelf. *eduxit.* Mox pro *consiliique* ed. Spir. dat *consiliive.*

peritos. MS. Agr. *proditores.* Ed. Spir. *perditos.*

Cap. 27. *pro aede.* MS. Guelf. *pro cede* (h. e. *caede*).

tristia. Ed. Beroald. *tritia.* Victorius correxit *tristia.*

nam proximus adstiterat. In MS. Bud. deest *nam.* Ed. Spir. pro *adstiterat* dat *asciscerat.*

cogitationibus. Ed. Spir. *cognitionibus.*

prosperum. MS. Guelf. *proximum.* Idem mox *interpretantẽ,* et *plus* pro *post.*

redemptoribus. MS. Agr. *reparatoribus.*

cum emi. MS. Guelf. *cũ emi.*

milliarium aureum. Fecit Augustus. cf. Dio 54, 8. Plutarcho in Galb. c. 24. dicitur χρυσοῦς κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν. Plin. 3, 5. *in capite Romani fori statutum.*

sub aedem. Sic vulgo MSS. teste Broterio et ita MS. Guelf. edd. ; ut. sqq. cum silentio Vict. — *sub aede* MS. Reg. ed. Spir., uti est apud Suet. Oth. c. 6. Sed ibi *sub aede* pendet e verbo *opperirentur:* hic *pergit* poscit *sub aedem.* MS. Bud. *in aedem,* unde Rhenanus tentabat *inde in aedem.*

speculatores. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Lips. sqq. — *spiculatores* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Lipsium.

consalutatum. Ed. Spir. *cum salutatum.* Eadem *sellae. Festinanter* etc. deinde *rapiuntur* pro *rapiunt.*

festinanter impositum strictis mucronibus rapiunt. totidem ferme milites in itinere adgregantur, alii conscientia, plerique miraculo, pars clamore et gaudio, pars silentio, animum ex eventu sumpturi.

XXVIII. Stationem in castris agebat Iulius Martialis tribunus. is magnitudine subiti sceleris an corrupta latius castra et, si contra tenderet, exitium metuens, praebuit plerisque suspicionem conscientiae. Anteposuere ceteri quoque tribuni centurionesque praesentia dubiis et honestis: isque habitus animorum fuit, ut pessimum facinus auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur.

XXIX. Ignarus interim Galba et sacris intentus fatigabat alieni iam imperii deos, cum adfertur rumor rapi in castra incertum quem senatorem, mox Othonem esse qui raperetur; simul ex tota urbe ut quisque obvius fuerat, alii formidinem augentes, quidam minora vero,

totidem ferme. MS. Reg. *totidem non.* Ed. Spir. *totidem ue.*

in itinere. MS. Guelf. omittit praepositionem, quam hausit sequens *i*.

adgregantur. Sic MS. Flor. (test. Vict.). — *aggregantur* MS. Guelf. edd. vett.

clamore et gaudio. Ex emendatione Pichenae, quam in contextum recepit Oberl. cum Bipont. cf. infr. 2, 70. Alii malebant *gaudiis*. MSS. et vett. edd. *clamore et gladiis*, quod defenditur a Broterio, ut cogites de strictis crispantibusque gladiis. Verior tamen Pichenae emendatio est. Lapsus fuit facilis et *gladii* potuerunt huc inrepere e loco Suet. Oth. c. 6. *inter faustas acclamationes strictosque gladios ad principem devenit.*

animum. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) edd. Spir. Pich. sqq. — *animos* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Pichenam. — Mox ed. Spir. *sumptum* pro *sumpturi.*

Cap. 28. *Iulius.* Ed. Spir. *Iulius.* MS. Guelf. *marcialis* pro *Martialis.*

magnitudine. Sic edd. Spir. Beroald. (cum silentio Vict.) sqq. — *magnitudinem* edd. Put. M. et V., quae varietas orta est e compendio *magnitudiñ*, quod exstat in Guelf.

et, si contra. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *ac si contra* MS. Guelf. edd. Put. sqq. Mox edd. Spir. Put., uti solent, *suspitionem.*

praesentia dubiis et honestis. cf. An. 1, 2. *tuta et praesentia* etc. Vid. ibi not.

omnes paterentur. Haec est illa dissimulatio, de qua dictum est c. 26.

Cap. 29. *quem senatorem.* Ed. Spir. omittit *quem.*

formidinem. Sic vulgo MSS et edd. Spir. Put. Ber. (cum silentio Vict.) sqq. Unus Iac. Gronovius e MS. Flor., ut ipse testatur, edidit *formidine.* Tum *augere* absolute dicitur, intellecto *rem*, *rumorem* (ut *turbantem* supra c. 7.). Sic An. 15, 11. *cuncta metu extol-*

ne tum quidem obliti adulationis. Igitur consultantibus placuit pertentari animum cohortis, quae in palatio stationem agebat, nec per ipsum Galbam, cuius integra auctoritas maioribus remediis servabatur. Piso pro gradibus domus vocatos in hunc modum adlocutus est: „Sextus dies agitur, commilitones, ex quo ignarus futuri, et sive optandum hoc nomen sive timendum „erat, Caesar adscitus sum: quod domus nostrae „aut rei publicae fatum in vestra manu positum est,

quo fato

lentes. Infr. c. 42. *finxit formidine.* Pugnat pro hac ratione Selling. in Observv. p. 11. Sed Iac. Gronovii fides hic suspecta est ob silentium Victorii et Pichenae: nec apernendus ceterorum librorum consensus. Ceterum *formidinem* si legis, ne intellige adfectum animi, sed res formidolosas. Sic *metus* An. 1, 40. Vid. ibi not.

pertentari. Sic MSS. Flor. (test. Pichen.) Guelf. et Broterii MSS., edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et dein Pich. sqq. — *pretentari* ed. Spir., uti volunt Lips. et Bipontini. Sed cf. c. 25. et An. 6, 20. et recte animadvertit Ernestius *praetentare* esse prius pertentare, quod huic loco non aeque convenit ac Liv. 27, 10. *tentari* MS. Bud. edd. Rhen. sqq. ad Pichenam.

integra. Ed. Spir. *integre.*

vocatos., MS. Agr. ed. Spir. *euocatos.* Eadem ed. Spir. *domos* pro *domus.*

adlocutus. Sic MS. Flor. test. Vict.; *elocutus* ed. Spir.; *allocutus* edd. Put. Ber. sqq.; *alloquutus* MS. Guelf. — Mox ed. Spir. *sive optandum erat hoc nomen sive timendum.*

adscitus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir. — *ascitus* edd. Put. sqq.

quod domus n. aut r. p. fatum i. v. m. p. est. non etc. MSS. Flor. (test. Ryck.) Reg. Agr. Bud. Guelf. edd. Spir. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. habent: *quo domus nostrae aut r. p. fatum* etc. et ed. Spir. quidem coniungit: *adscitus sum quo domus* etc.; ed. Ber. *sum: quo* etc. Bipont. et Oberl. haec edidere sic: *a. sum. Quo d. n. aut r. p. fatum in v. m. positum est; non, quia* etc. idoneo sensu nullo. Nam quo referatur illud *quo* non apparet. Scilicet eo quod Piso Caesar adscitus erat. Sed eo fatum rei publicae non magis in militum manu positum fuit, quam antea. Salebrosum quoque est dicendi genus. Nam *quo* pro *quod eo* in tali contextu nemo unquam dixit. Sunt qui *quo* interpretentur *eo quod* vel *propterea quod*, ut non respiciatur ad praecedentia, sed ad sequens *doleo.* Verum hoc verbum satis habet in sqq. quo pertineat, sc. *si nobis* etc., et *quo* hic nequit esse *propterea quod*, nisi si absurda quaeque Tacito convenire putes. Stromb. plenissimam interpunctionem ponit ante *non quia*, et locum *quo . . . positum est* interpretatur sic: *hierdurch ward gelegt in eure Hand unseres Hauses und des gemeinen Wesens Schicksal.* Sed contra hanc rationem repeto fatum rei publicae adoptione illa non magis in militum manu positum fuisse, quam antea. — Transeamus ad alium hunc locum constituendi modum. Edd. Put. M. et V. Rhen. sqq. *sum: quo domus n. aut r. p fato, in vestra manu positum est. non quia* etc. Placent haec Gutmanno et Ricklefsio. Repetiit etiam Bekkerus, qui tamen virgulam posuit ante *non quia.* Sed utcunque dis-

„non quia meo nomine tristiorem casum paveam, ut
„qui adversas res expertus cum maxime discam ne se-
„cundas quidem minus discriminis habere: patris et se-

tinguas aut interpreteris, nemini persuadebis *fatum* fortuito in codd. MSStos venisse. Si vitium latet, alibi quaerendum est. Sunt qui quaerant in verbo *est*. Sic vir doctus in Supplem. ephemer. litt. Halens. 1825. nr. 114. p. 908, qui legit: *quo ... fatum ... positum esse, non quia* etc. *Quo* illi refertur ad *dies*, ut ita *quo die* sit pro: *sed hodie iam* etc., quod nullo modo ferri potest. Et tunc certe non erat tempus aut locus, ut Piso coram militum auribus doleret, quod domus suae et rei p. fatum in eorum manibus positum sit. Eadem invidia intempestiva est in ea emendatione, quam Rupertius proposuit: *Quod domus nostrae aut rei publicae fatum in v. m. positum est, non* (sc. doleo) *quia* etc. Iterum animadverto verbum *doleo* in sqq. sat habere, quo pertineat nec idoneam esse dictionem: doleo, quod fatum .... in vestra manu positum est, si perire necesse est aut occidere. Minus etiam loco consulitur per coniecturam Gutmanni: *quoi* (h. e. cui) .... *fato* etc. Nam eam sententiam melius inesse Puteolani scripturae nemo non intelligit. Iam ante hos undecim annos coniecturam proposui, qua censebam locum esse legendum: *quod domus* etc., quanquam veram loci rationem tum nondum satis perspexeram. Persto hodieque in sententia paulum immutata verborum explicatione. Nimirum *quod ... fatum* dictum est ad modum loci Ciceroniani de Legg 3, 2. *Omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt: quod genus imperii primum ad homines iustissimos et sapientissimos deferebatur.* Vox *fatum* eo respicit, quod Piso antea dixit: *ignarus futuri et sive optandum hoc nomen sive timendum erat, Caesar adscitus sum.* Nam hoc est: ignarus fati, quod ex hac adoptione eadet in domum nostram aut rem p. Caesar adscitus sum. Hinc apte pergitur: *quod ... fatum* etc. Germanice dices: *und dieses Schicksal unseres Hauses oder des Staates liegt in euerer Hand.* Ceterum vitia similia sunt in ed. Spir. infr. c. 41. *qui diceret* pro *quid diceret.*

non quia ... paveam etc. Sic c. 15. *non quia propinquos aut socios belli non habeam: sed* etc. Elliptice dictum pro *non haec facio, dico, volo, quia* etc. Vid. Ramshorn. Gr. §. 186. *Sed* ante *patris*, ut saepe, omittitur, eaque omissio in praesenti Pisonis ad milites oratione praecipuam debuit exserere vim. cf. Ramshorn. Gr. p. 535. a).

adversas res ... secundas etc. Sic teste Pichena MS. Flor. et inde edd. Ryck. sqq. consentitque in eam scripturam MS. Harl. At Victorius testatur in MS. Flor. legi *adversas rerum* (sic *rẽm*), quod haud dubie reponendum erit. Inde patet quomodo oriri potuerit corrupta scriptura MS. Reg. et ed. Spir. *adversam remp. .... secundas*: unde emendationis causa facta sunt, quae leguntur in MSS. Bodl. Ies. Bud. Guelf. (a pr. m.) edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *adversas ... secundas*, omisso vocabulo *res*. Secunda manus in Guelf. correxit *adversam rem p.* et *secundam*. Edd. Rhen. Ald. Lips. sqq. ad Ryckium: *adversa ... secunda.*

cum maxime discam. Vocem *cum maxime* praeferunt MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Bud. Agr. Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. sqq. — *tum maxime* MSS. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. cf. not. ad An. 3, 59. 4, 27. et alibi. Ceterum edd. Put. Ber. Alc. et deinde Iac. Gronov. sqq. interpunctionem ponunt post *expertus* et coniungunt sequentia. Contra edd Rhen. sqq. *cum maxime* trahunt ad *expertus*, virgula posita

„natus et ipsius imperii vicem doleo, si nobis aut perire „hodie necesse est aut, quod aeque apud bonos miserum „est, occidere. Solatium proximi motus habebamus „incruentam urbem et res sine discordia translatas. pro„visum adoptione videbatur, ut ne post Galbam quidem „bello locus esset."

XXX. „Nihil adrogabo mihi nobilitatis aut mode„stiae: neque enim relatu virtutum in comparatione „Othonis opus est. vitia, quibus solis gloriatur, ever„tere imperium, etiam cum amicum imperatoris ageret. „habitune et incessu, an illo muliebri ornatu merere„tur imperium? falluntur quibus luxuria specie libe„ralitatis imponit. perdere iste sciet, donare nesciet. „stupra nunc et comissationes et feminarum coetus vol-

post *maxime*. Edd. Spir. et Ryck. virgula in utroque loco supersedent. Verbum *discam* est e correctione Freinshemii et in contextum receptum ab Ernestio. *dicam* MSS. Flor. (test. Ryck.) Reg. Agr. Corb. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. *ducam* edd. Rhen. (e mendo typogr., ut videtur: nam in castigatt. est *dicam*) Ald. sqq. Sed *discam* optime huic loco convenit.

ipsius imperii. Voc. *ipsius* deest in MS. Bud.

perire hodie. Ed. Spir. *hodie perire.* Eadem mox *misertum* pro *miserum*; *habeamus* pro *habebamus*; *incruenta urbe* pro *incruentam urbem.* In MS. Guelf. *misertum* est in marg. a sec. m. In contextu vocabulum omittitur.

Cap. 30. *adrogabo.* Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *arrogabo* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

relatu. Ed. Spir. *relatū.*

solis gloriatur. MSS. Harl. Ies. Guelf. *solus gloriatur.*

imperatoris. Sc. Neronis. De formula *agere amicum* vid. not. ad An. 1, 4.

an illo. Ed. Spir. *et illo.* Ed. Put. V. *an alio.* Mox pro *ornatu* MS. Corb. dat *animo.*

mereretur. Acidalius et Ernestius malebant *meretur*, quia veram huius verbi rationem non intelligerent. Est hic idem iste modus, de quo diximus ad An. 4, 6. sub verbo *eximeretur.* cf. Ramshorn. Gr. p. 416. a). Germanice: *sollte er verdienen?* Plane sic *deposcerent* infr. c. 84.

quibus luxuria specie liberalitatis imponit. MSS. et edd. ante Rhenanum dant *speciem*; Rhenanus ex ingenio *specie.* Nam „imponit, ait, hic non est *indit* (An. 14, 39), sed *decipit.*" Vitium potuit oriri e compendio *spē*, quod exstat in MS. Ies. Simillimus locus est apud Plin. epp. 2, 6. *Ne tibi optimae indolis iuveni quorundam in mensa luxuria specie frugalitatis imponat.* Sunt tamen libri, qui in illo quoque loco *speciem* pro *specie* ferunt. In Taciti loco omnes Rhenanum secuti sunt, nisi quod Iac. Gronovius *speciem* repetivit.

donare nesciet. Sic MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. — *donare nescius* MSS. Reg. Agr. ed. Spir. Pro *iste* MS. Agr. habet *ista.*

comissationes. MSS. (test. Broterio), edd. Spir. Put. Ber. (cum si-

„vit animo. haec principatus praemia putat, quorum „libido ac voluptas penes ipsum sit, rubor ac dedecus „penes omnes. nemo enim unquam imperium flagitio „quaesitum bonis artibus exercuit. Galbam consensus „generis humani, me Galba consentientibus vobis Cae„sarem dixit. si res publica et senatus et populus vana „nomina sunt, vestra, commilitones, interest, ne im„peratorem pessimi faciant. Legionum seditio adver„sum duces suos audita est aliquando: vestra fides fa„maque inlaesa ad hunc diem mansit. et Nero quoque „vos destituit, non vos Neronem. Minus triginta trans„fugae et desertores, quos centurionem aut tribunum „sibi eligentes nemo ferret, imperium adsignabunt? „Admittitis exemplum? et quiescendo commune crimen „facitis? · transcendet haec licentia in provincias: et „ad nos scelerum exitus, bellorum ad vos pertinebunt. „Nec est plus quod pro caede principis quam quod in„nocentibus datur: sed proinde a nobis donativo plus „ob fidem quam ab aliis pro facinore accipietis."

lent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Iac. Gronov. Broter. *comessationes.* — *comissationes* edd. Lips. sqq. et nuper Oberlin. sqq. cf. not. ad 2, 76. MS. Guelf. hic fert *comessationes.*

libido ac voluptas. Haec Roth. p. 8. inter synonyma refert.

dedecus. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *decus.* Mox idem Guelf. *questū* pro *quaesitum*: in marg. *quesitum.*

vana nomina. MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Reg. Bud. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. *vacua nomina* — *vana nomina* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Corb: edd. Put. sqq. et nuper Ernest. Broter. Oberl. sqq. et *vana* sane aptius in hac sententia dicuntur nomina quam *vacua*, quod an dici possit pro *inania* dubito. Bahrdtii emendatio *ni* pro *si* legentis plane turbat genuinam loci sententiam, quae est haec: Si res publica et senatus nihil valent, ut ita omne ius imperii conferendi sit apud vos, vestra interest etc. Sin auctor dixisset: *ni* etc., tum debebat pergere: absistite, commilitones, ab adrogantia deligendi imperatorem et reddite eam potestatem populo ac senatui.

pessimi. Ed. Spir. *pessimum.*

inlaesa. Sic MS. Flor. (test. Victorio.). — *illesa* vel *illaesa* MS. Guelf. edd. vett.

adsignabunt. Sic MS. Flor. (test. Vict.). — *assignabunt* MS. Guelf. edd. vett.

et ad nos ... ad vos. Sic vulgo MSS. et edd. Put. sqq. (cum silent. Vict.). — *ut ad nos ... ad nos* ed. Spir. — *ad vos ... ad nos* MS. Harl. Sed vulgata bene se habent.

quod innocentibus etc. MS. Reg. ed. Spir. *quod pro innocentibus. sed proinde a nobis donativo plus ob fidem, quam* etc. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. — Rhenanus duce MS. Bud. expunxit *plus* ut e priore versu huc delapsum. Sic et Aldus. Lipsius adoptavit scripturam ed.

XXXI. Dilapsis speculatoribus cetera cohors non aspernata concionantem, ut turbidis rebus evenit, timore magis et nonnullo adhuc consilio, parat signa, quod postea creditum est insidiis et simulatione. Mis-

Spir., quae ita habet: *sed proinde a nobis donativum ob fidem, quam* etc. Denique e MS. Harl. Broterius edidit *perinde* pro *proinde*, eaque est origo textus, qui hodie vulgatur: *sed perinde a nobis donativum ob fidem quam ab aliis pro facinore accipietis.* Sed primum video nullam particulae *sed* hic esse idoneam rationem. Vidit etiam Ricklefs., qui emendat *et.* Verum ea mutatione locus nondum fit sanus. Nam Pisoni tunc aliud erat pronuntiandum quam quod in hodiernis libris dicit: nempe debebat plus promittere ob fidem, quam alii pro facinore. Perinde enim se daturum ob fidem quam alios pro facinore si dixit, nihil potuit efficere in militum animis. Alia potius est Pisonis sententia. Primum universe loquitur: *nec est plus, quod .... datur.* Iam debebat addere: Quod cum ita sit, haud maiorem pro facinore ab aliis quam a nobis pro fide mercedem exspectabitis: immo plus a nobis ob fidem quam ab aliis pro facinore accipietis. *Proinde* conclusionem facit respicitque ad priorem sententiam universe dictam. *Donativo . . . accipietis* dictum est in modum formulae *dono accipere.* Germanice: *nun aber sollt ihr von uns zur Verehrung mehr für eure Treue, als von andern für die Uebelthat empfangen.*

Cap. 31. *speculatoribus.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Lips. sqq. — *spiculatoribus* edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. cf. not. ad c. 25 et 27.

ut turbidis rebus evenit, timore magis et nonnullo adhuc consilio parat signa, quod etc. Sic edd. Ber. (cum silentio Victorii) Alc. Rhen. Ald. sqq. — *ut turbidis rebus euectior re . et nonnullo adhuc consilio parat signa: quod* etc. ed. Spir. (sic ante *et* relicto spatio). Puteolanus cum Beroaldo consentit, nisi quod pro *parat signa* habet *pars ingens.* Iam vero Pichena in MS. Flor. pro *evenit, timore magis* invenit *euentior te magis*, unde coniecit atque edidit *evenit, forte magis*, quod ad hunc diem vulgatur. Male, ut mihi videtur. Nam primum obstat silentium Victorii, quem, quia e MS. Flor. verbis *ut turbidis rebus evenit* uncos addidit, non puto omissurum fuisse adnotationem de illa scriptura, quam Pichena ibi vidit, si modo adesset. Deinde ex illa ipsa, quam Pichena protulit, scriptura facilius eruitur *timore* quam *forte.* Denique quaero, an signa a cohorte forte parari apte dici possint? an id turbidis rebus evenire soleat, ut signa forte parentur? Etenim cohors parat signa, cum expedit signa eaque aptat et ponit suo loco in cohorte, quod fit a cohorte ad expeditionem se accingente. Ceterum Iac. Gronovius in MS. Flor. pro *parat signa* vidit *par signas*, quae iterum ignorat Victorius. Inter reliquos codices MS. Agr. totum locum habet sic: *evectior* (supra adscriptum est *erectior*) *re magis et nonnullo adhuc consilio parat signa quod* etc. MS. Bud. *euectior ire magis et nullo adhuc consilio parat signa quod* etc. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. *timore magis et nonnullo adhuc consilio pars ingens* (plane ut Puteol.). In Harl. emendatum est *parat signa.* MS. Corb. consentit cum ed. Spir. Praeter Pichenam et alii sanando loco operam dedere. Lipsius coniecit *evenit, ira magis, et nonnulli ad hoc consilio: pars ingens, quod* etc. Freinshemius: *evenit, more magis, et nullo adhuc consilio parat signa; quam ut postea* etc. Trillerus: *erectior te-*

sus et Celsus Marius ad electos Illyrici exercitus Vipsania in porticu tendentes. Praeceptum Amulio Sereno et Domitio Sabino primipilaribus, ut Germanicos milites e Libertatis atrio arcesserent. Legioni classicae diffidebat infestae ob caedem commilitonum, quos primo statim introitu trucidaverat Galba. Pergunt etiam in castra praetorianorum tribuni Cetrius Severus, Subrius

mere magis etc. Bipont. et nuper Rupertius: *evenit, in orbem agi, sed inconsulto adhuc consilio; pars agitans, quod* etc. Heinsius: *ut turbidis rebus* (supple *fieri solet*) *eventi in certa* (vel *incerto*) *magis, et nullo adhuc consilio* (vel *non ullo a. c.*) *raptat signa, quam quod* etc. Hinc Broterius, Oberlinus sqq. locum ediderunt sic: *ut turbidis rebus evenit, forte magis et nullo adhuc consilio, quam quod* etc. De emendatione *forte* iam supra contra Pichenam disputavimus: quae si inepta est et hinc expellenda, minime etiam stare possunt verba: *et nullo adhuc consilio.* Et maximi sane momenti est consensus optimorum librorum in scripturam *nonnullo*: quorum auctoritati impar est MS. Bud. Quid multa? Nimis sedulo viri docti quae Beroaldus dederat hinc expulerunt. Restituo cum ob veterum librorum auctoritatem tum ob internam fidem. *Timore magis* h. e. quia exitum adhuc incertum timerent, *et nonnullo adhuc consilio* h. e. et quia furor seditionis nondum omne consilium ademerat, ut potius providi adhuc dubitarent, — plane ut turbidis rebus evenit. Pertinent vero haec non ad verba *parat signa*, quasi timore et nonnullo adhuc consilio paraverint signa: sed ad vocem *non aspernata*, cuius ratio redditur per ablativos illos. Vocabulum *magis* hic ponitur ut apud Terent. Adelph. 4, 3, 14 sq. *omnes, quibus sunt res minus secundae, magis sunt nescio quomodo suspiciosi: in contumeliam omnia accipiunt magis.* Nil igitur opus est particula *quam*, quam invitis libris infarciunt.

ad electos Ill. ex. Respice ad c. 6. Celsus apud illum exercitum militaverat. cf. An. 15, 25.

Vipsania. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) edd. Iac. Gronov. sqq. *Vipsani* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald.; *Vipsanii* edd. Lips. sqq. ad Iac. Gronov. *Vipsano* MS. Reg. ed. Spir. — MS. Guelf. mox *in porticū*; et *tendentis* MS. Bud. ed. Spir.; *tendentes* MS. Guelf. edd. Put. sqq. Non reticebo a Victorio verba *electos* et *tendentes* et mox *electi* eodem modo esse notata, quo ipsi solent notari defectus. Sed fortasse lineola ista hic alia utitur ratione.

Sereno. Ed. Spir. *Serono.*

arcesserent. Sic MSS. Oxon. (Iac. Gron., qui est Ies. Broterii), Bud. edd. Ernest. Brot. sqq. — *accersirent* ed. Spir. — *accerserent* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. ad Ernest. cf. not. ad c. 14.

diffidebat. Sic libri vett., nisi quod MS. Guelf. a pr. manu Ernestio videbatur habuisse *diffidebatur*: nam in fine verbi est rasura. Sed nihil discerni potest. Credibilius est ibi fuisse *diffidebant*, quia littera *t* in rasura a rec. manu scripta est. Nam et in MS. Ies. legitur *diffidebant*, littera *n* puncto censorio notata. Ernest. Brot. sqq. tanquam e MS. Guelf. vestigiis ediderunt *diffidebatur*. At *diffidebat* respicit ad Pisonem, a quo missus Celsus ad electos Illyr. exercitus, a quo praeceptum Amulio etc.

Cetrius. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gron.) Reg. Corb. ed. Spir. *Cerrius* MSS. Bud. Guelf. (de quo Ernestius falsus est) Harl. Bodl. Ies. In Harl. emendatum est

Dexter, Pompeius Longinus, si incipiens adhuc et necdum adulta seditio melioribus consiliis flecteretur. tribunorum Subrium et Cetrium milites adorti minis, Longinum manibus coërcent exarmantque, quia non ordine militiae sed e Galbae amicis fidus principi suo et desciscentibus suspectior erat. Legio classica nihil cunctata praetorianis adiungitur. Illyrici exercitus electi Celsum ingestis pilis proturbant. Germanica vexilla diu nutavere invalidis adhuc corporibus et placatis animis, quod eos a Nerone Alexandriam praemissos atque inde rursus longa navigatione aegros impensiore cura Galba refovebat.

Cetrius. Edd. inde a Put. ad hunc diem ferunt *Cerius.* Sed mox MS. Guelf. edd. Put. M. et V. dant *Cetrium*, ut ita priore loco *Cerius* vitio operarum tribuendum videatur. Bip. suspicantur *Curtius* ex An. 12. 55.

et necdum. Sic MS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gron) edd. Iac. Gron. Ernest. sqq. Ita iam Rhenanus voluerat in castigatt. — *et nedum* MSS. Reg. Bud. Corb. ed. Spir. — *et nondum* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. ad Iac. Gronov. Copula *et* certe redundat. cf. An. 1, 3. 10. et alibi. Suet. Oct. c. 10. 29. Tib. c. 44. Ner. c. 34 et alibi. Num apud Tacitum fuit *et nec tum?* Nam *dum* et *tum* saepius permutata vidimus. cf. not. ad An. 1, 3. 2, 36. 3, 18. et alibi.

milites adorti. Ed. Spir. et nuper Bekker. *adorti milites.* MS. Guelf. bis habet *milites* sic: *milites. adhorti minis milites.*

quia non ordine militiae. Acidalius volebat: *non ordine militiae, sed quia* etc. Heinsius: *exarmantque vi, non ordine militiae.* Pichena vulgatam scripturam explicat: „quia praetorianorum tribunus factus non fuerat per ordinem et gradus militiae, ut ceteri: sed Galbae tantum amicitia et favore." Sed haec inesse nequeunt, nisi si cum Ferleto intelligas *tribunus factus*, quae ellipsis intolerabilis est. Hinc *ordine* potius accipe positum pro *ob ordinem*, ut sententia sit: quia non, ut Subrius et Cetrius, ob ordinem tantum militiae h. e. tribuni titulo et nomine desciscentibus suspectus erat, sed quia e Galbae amicis eoque suspectior erat.

principi suo. Ernestius *suo* a librario germanissante additum suspicatur. Verum *suo* non caret sua vi eodemque iure hic ponitur quo est c. 26. *principis sui sanguine*; c. 40. *imperatorem suum*; Germ. c. 13. *principem suum*; ib. c. 14. *principi suo.* In tali verborum contextu *suus princeps* opponitur *cuicunque principi.* cf. infr. c. 37. Ceterum vid. not. ad An. 2. 40. sub vv. *in servum suum.*

Celsum ingestis pilis. Pro *Celsum* MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. ferunt *Festum.* Sed supra Celsus ad electos Illyr. exercitus dicebatur missus. Edd. Put. sqq. cum MS. Guelf. consentiunt in *Celsum.* MS. Bud. dat *Festum Celsum*, scripturam e diversis libris conflatam. Pro *ingestis*, quod suppeditant MSS. Bud. Agr. Reg. ed. Spir. (unde recepit Ernest. Oberl. sqq.), alii libri, ut MSS. Harl. Bodl. Guelf. edd. Put. sqq. ad Ernest. et deinde Brot. et Bip., dant *infestis.* In notis tamen Broterius commendat *ingestis.* MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Corb. praebent *in-*

XXXII. Universa iam plebs palatium implebat mixtis servitiis et dissono clamore caedem Othonis et coniuratorum exitium poscentium, ut si in circo ac theatro ludicrum aliquod postularent: neque illis iudicium aut veritas, quippe eodem die diversa pari certamine postulaturis, sed tradito more quemcunque principem adulandi licentia adclamationum et studiis inanibus. Interim Galbam duae sententiae distinebant. T. Vinius manendum intra domum, opponenda servitia, firmandos aditus, non eundum ad iratos censebat: daret malorum poenitentiae, daret bonorum consensui spatium. scelera impetu, bona consilia mora valescere. denique eundi ultro, si ratio sit, eandem mox facultatem: regressus, si poeniteat, in aliena potestate.

XXXIII. Festinandum ceteris videbatur, antequam cresceret invalida adhuc coniuratio paucorum. trepidaturum etiam Othonem, qui furtim digressus, ad ignaros inlatus cunctatione nunc et segnitia terentium tempus

cestis, quod vergit in scripturam ab Ernestio receptam.

CAP. 32. *exitium*. Sic e coniectura Acidalii omniumque consensu edd. Ernest. sqq. — *exilium* vel *exsilium* MSS. et edd. ante Ernest. cf. infr. c. 37. *auditisne, ut poena mea et supplicium vestrum simul postulentur?* c. 72. *impetratum exitium*.

iudicium aut veritas. Ne cum Ernestio puta hic esse ἓν διὰ δυοῖν. Nam *iudicium* spectat ad rem bene consideratam atque intellectam (*reifliche Ueberlegung*). cf. c. 12. 45. 52. *Veritas* referenda est ad sensum (*Aufrichtigkeit*, *herzliche Meinung*).

postulaturis. Ed. Spir. *postulantis*. Eadem *acclamantium* pro *adclamationum; et manibus studiis* pro *et studiis inanibus*.

distinebant. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *destinebant* edd. Put. M. et V.

T. Vinius. Libri vett., ut supra, *non eundum*. Ed. Spir. *non eadem*.

consensui. Sic edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq.; *consensu* MS. Guelf. ed. Spir. cf. not. ad An. 3, 30. 33. 6, 23.

spatium. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Ald. Lips. sqq. *spacium* edd. Put. Ber. Alc. Rhen.

impetu. Ed. Spir. *imperii*.

eundi ultro. *Ultro* h. e. insuper, *überdiess, ausserdem*, sc. postquam poenitentiae malorum et bonorum consensui datum spatium. Nostrates male interpretantur *freiwillig*. Gutmanno id vocabulum omittitur.

si ratio sit. Ed. Spir. *spiratio fit*.

CAP. 33. *trepidaturum*. Ed. Spir. *trepidantum*.

inlatus. Sic MS. Flor. teste Victorio. *illatus* edd. vett. cum MS. Guelf.

cunctatione. Sic edd. Spir. Pich. Gruter. sqq. — *contatione* edd. Put.

imitari principem discat. non exspectandum, ut compositis castris forum invadat et prospectante Galba Capitolium adeat, dum egregius imperator cum fortibus amicis ianua ac limine tenus domum cludit. obsidionem nimirum toleraturos: et praeclarum in servis auxilium, si consensus tantae multitudinis et, quae plurimum valet, prima indignatio elanguescat. Proinde intuta quae indecora: vel si cadere necesse sit, occurrendum discrimini: id Othoni invidiosius et ipsis honestum. Repugnantem huic sententiae Vinium Laco minaciter invasit stimulante Icelo privati odii pertinacia in publicum exitium.

XXXIV. Nec diutius Galba cunctatus speciosiora suadentibus accessit. praemissus tamen in castra Piso, ut iuvenis magno nomine, recenti favore et infensus

Lips. — *conctatione* edd. Alc. Rhen. Ald. MS. Guelf. a prima manu ubique fere habuit *contatio*, quod secunda manus constanter mutavit in *cunctatio*.

non exspectandum. Sic libri vett. omnes. Ut efficaciorem reddant orationem, Freinshemius pro *non* vult *an*, Iac. Gronovius *num* plaudente Strombeckio. Sed longior est periodus, quam ut interrogando commode efferri possit.

ianua ac limine tenus. Synonyma. cf. Roth. p. 8. Intellige: non ultra ianuam ac limen atque ita ut intra ianuam ac limen subsistat neque ulterius quid moliri audeat. Nostrates haec non satis recte expresserunt. Et Ricklefsius quidem audaciore quodam studio *tenus* mutat in *intus*: *durch Thür und Schwelle daheim den Pallast sperre.* MS. Guelf. *ianua et limine.*

cludit. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. edd. Lips. sqq. cf. Dial. de Orat. c. 35. Germ. c. 34 et 35. — *excludit* MS. Corb. ed. Spir. — *claudit* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. sqq. ad Lipsium.

obsidionem nimirum toleraturos. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. Nam licet MS. Flor. (test. Vict.) ferat *obsidione*, facile intelligitur litteram *m* esse absorptam a vocabulo *nimirum*. MS. Bud. (test. Rhen.) *toleraturum*. Vulgo hic locus editur sic: *cludit, obsidionem nimirum toleraturus. Et* etc., uti habetur in MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq.

quae plurimum valet. Sic An. 16, 1. *ut coniectura demonstrat.* Vid. ibi not. et ad An. 2, 26. sub vv. *consultum est.*

prima indignatio elanguescat. MS. Flor. (test. Vict. c. Iac. Gronov.) *prima indignatione languescat*, unde Iac. Gronov. fecit quod edimus praeeuntibus Lallemando, Dottevillio, Oberlino sqq. — *prima indignatio languescat* MS. Guelf. edd. Put. sqq. usque ad Lallemand. et deinde edd. Ernest. Broter. — *prima indignatio languescit* MS. Corb. ed. Spir. Mox libri vett. et recentt. omnes *proinde* cf. not. ad An. 3, 17.

Vinium. Libri vett., ut supra.

Icelo. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. — *Icello* ed. Spir. — *Hycelo* edd. Put. M. et V. Rhen. Ald. — *Hycello* ed. Ber. cf. not.

T. Vinio, seu quia erat seu quia irati ita volebant, et facilius de odio creditur. Vix dum egresso Pisone occisum in castris Othonem vagus primum et incertus rumor: mox, ut in magnis mendaciis, interfuisse se quidam et vidisse adfirmabant credula fama inter gaudentes et incuriosos. multi arbitrabantur compositum auctumque rumorem mixtis iam Othonianis, qui ad evocandum Galbam laeta falso vulgaverint.

XXXV. Tum vero non populus tantum et imperita plebs in plausus et immodica studia, sed equitum plerique ac senatorum posito metu incauti refractis palatii foribus ruere intus ac se Galbae ostentare praereptam sibi ultionem querentes: ignavissimus quisque et, ut res docuit, in periculo non ausurus nimii verbis, linguae ferocis: nemo scire et omnes adfirmare, donec inopia veri

ad 1, 13. MS. Guelf. hic habet *hyelco*.

Cap. 34. *T. Vinio*. Libri vett., ut supra.

seu quia erat. Ed. Spir. *seu qui erat*.

in magnis mendaciis. Ed. Spir. *mendaciis magnis* sine praepositione.

adfirmabant. Sic MS. Flor. teste Vict.; *affirmabant* edd. Spir. Beroald. Alc. sqq. — *affirmant* MS. Guelf. et edd. Put. M. et V.

credula fama. Accipe de hominibus dispergentibus rem temere creditam. Alii adfirmant, alii temere credunt et dispergunt. Haec est credula fama. cf. An. 4, 11. *atrocior semper fama erga dominantium exitus*. Agr. c. 9. *haud semper errat fama, aliquando et elegit*.

et incuriosos. MS. Corb. *et curiosos*. Mox ed. Spir. *multo* pro *multi*.

vulgaverint. Sic codd. MSS. Guelf. Bud. aliique, edd. Spir. Put. M. et V. Rhen. sqq. — *vulgaverunt* edd. Ber. (cum silent. Vict.) Alc.

Cap. 35. *immodica*. MS. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. *in modica*. Alteram scripturam habent edd. Rhen. sqq.

ac senatorum. Ed. Spir. *et senatorum*. Eadem mox: *et se Galbae*; deinde *quaerentes* pro *querentes*, vulgari vitio.

ignavissimus quisque etc. Bekkerus cum Heinsio et secundum MSS. Guelf. Harl. Ies. ed. Spir. haec coniungit cum *querentes*, virgula posita ante *ignavissimus*. Sed verba: *ignavissimus .... ausurus* novum efficiunt subiectum; sequentia: *nimii verbis* etc. sunt in praedicatis, intellecto verbo substantivo.

nimii verbis. Sic edd. Put. Ber. (c. silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *nimiis verbis* MSS. Reg. Guelf. (a sec. manu) ed. Spir.

linguae ferocis. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Reg. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. — *ferocis linguae* ed. Spir. — *linguis feroces* MS. Guelf. — *linguae feroces* edd. Lips. sqq. ad hunc diem. Sed non video quid impediat veterem scripturam. — Mox pro *sumpto* edd. Put. M. et V. ferunt *supreco*.

et consensu errantium victus sumpto thorace Galba inruenti turbae neque aetate neque corpore sistens sella levaretur. Obvius in palatio Iulius Atticus speculator cruentum gladium ostentans occisum a se Othonem exclamavit: et Galba „Commilito „inquit" quis iussit?" insigni animo ad coercendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, adversus blandientes incorruptus.

XXXVI. Haud dubiae iam in castris omnium mentes, tantusque ardor, ut non contenti agmine et corporibus in suggestu, in quo paulo ante aurea Galbae statua fuerat, medium inter signa Othonem vexillis circumdarent. nec tribunis aut centurionibus adeundi locus; gregarius miles caveri insuper praepositos iubebat. strepere cuncta clamoribus et tumultu et exhortatione mutua non tanquam in populo ac plebe variis segni adulatione vocibus, sed ut quemque adfluentium militum aspexerant, prensare manibus, complecti armis, collocare

inruenti. Sic MS. Flor. teste Victorio. *irruenti* MS. Guelf. edd. vett. Ceterum coniunge: *inruenti turbae* (h. e. ab inruente turba) *sella levaretur.* Ratio additur: *neque aetate neque corpore sistens,* h. e. consistens. cf. An. 4, 40. Hist. 3, 21. Dativum sic cum verbo passivo coniungi saepius vidimus. An. 14, 58. *pluribus . . . curabatur;* 15, 3. *Corbuloni . . . audita sunt.* In hunc modum iam Ricklefs. locum est interpretatus: is tamen censet legendum *inruente turba.* Frustra et male. Alii coniungunt: *inruenti turbae . . . sistens,* quod nihili est, nisi cum Lipsio legas *resistens.* Sed ne id quidem satis placet. Nam in ea serie otiosa sunt verba: *neque aetate neque corpore;* etenim inruenti turbae ne iuvenis quidem resisteret. MSS. Bud. (test. Rhen.) et Vat. (test. Vertranio) male omittunt *neque aetate.* MSS. Reg. Agr. Corb. ed. Spir. pro *sistens* ferunt *insistens.* Frustra.

speculator. Libri vett., ut supra. MS. Guelf. hic *speculator.*

exclamavit. Sic MSS. Flor, (test. Pich.) Reg. Harl. Bodl. Ies, Corb. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. Pich. sqq. Victorius intactum reliquit *clamavit,* quod exstat in edd. Put. V. Ber. sqq. ad Pich. — De historia cf. Xiphil. 64, 6.

CAP. 36. *dubiae.* Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Rhen. sqq.; *dubie* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Sed ita plerumque vett. libri *e* ponunt pro *ae.* — Mox ed. Ber. *nec tribunus,* quod Vict. e MS. Flor. correxit *nec tribunis,* uti est in MS. Guelf. edd. Spir. Put. Alc. Rhen. sqq.

exhortatione. Edd. Put. M. et V. *exortatione.*

prensare. Sic MS. Bud. edd. Ernest. Brot. Oberl. sqq. cf. not. ad An. 14, 10. *pressare* MSS. Flor. (test. Ryckio) Reg. Agr. Corb. ed. Spir., quam scripturam puta exortam e compendio *prēsare.* Victorius intactum reliquit *prehensare,* quod exstat in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Ernest. Mox ed. Spir. scribit *conlocare.*

complecti armis. cf. Virg. Aen. 12, 432 sqq. *Postquam habilis lateri clipeus loricaque tergo est,*

iuxta, praeire sacramentum, modo imperatorem militibus, modo milites imperatori commendare. Nec deerat Otho protendens manus adorare vulgum, iacere oscula et omnia serviliter pro dominatione. Postquam universa classicorum legio sacramentum eius accepit, fidens viribus et, quos adhuc singulos exstimulaverat, accendendos in commune ratus pro vallo castrorum ita coepit:

XXXVII. „Quis ad vos processerim, commilitones, dicere non possum, quia nec privatum me vocare sustineo princeps a vobis nominatus, nec principem alio imperante. vestrum quoque nomen in incerto erit, donec dubitabitur, imperatorem populi Romani in castris an hostem habeatis. Auditisne, ut poena mea et supplicium vestrum simul postulentur? adeo manifestum est neque perire nos neque salvos esse nisi una posse. et cuius lenitatis est Galba, iam fortasse promisit, ut qui nullo exposcente tot millia innocentissimorum militum trucidaverit. Horror animum

Ascanium fusis circum complectebar armis.

milites imperatori. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *imperatori milites* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad hunc diem. Restituo meliorem verborum ordinem.

iacere oscula. φιλήματα διὰ τῶν δακτύλων πέμπειν. Xiphil. 64, 8.

classicorum legio. Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich. et Iac. Gron.) Reg. Corb. Bud. (hic *classiorum*) Agr. edd. Spir. Iac. Gron. sqq. — *classiariorum* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. ad Iac. Gronov. Sed cf. supr. c. 31. infr. 2, 11. 67.

Cap. 37. *processerim.* Ed. Spir. *processerit.* Ita et MS. Guelf. a secunda manu.

vocare. Sic codd. MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. aliique (test. Brot.), edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Pichen. sqq. — *vocari* MS. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. ad Pich.

imperante. MS. Bud. *imperitante.*

perire. MS. Guelf. *perisse.*

et cuius lenitatis. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) Harl. Bodl. Ies. Agr. Guelf. Bud. edd. Ryck. Iac. Gron. sqq. — *et cuius levitatis* edd. Put. sqq. ad Ryck. — *ut cuius levitatis* ed. Spir. — *levitatis* exstat etiam in MS. Reg.

promisit. Ed. Spir. *permisit.* Ricklefs. vult *prompsit* adfirmatque vulgatum sine idoneo sensu esse. Fallitur. cf. Senec. Controv. 29. *per quae se parricidam scelera promiserit.*

militum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Agr. Bud. Corb. edd. Spir. Pich. sqq. — *civium* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. ad Pich. Sed vid. supr. c. 6. *trucidatis tot millibus inermium militum.*

„subit, quotiens recorder feralem introitum et hanc so„lam Galbae victoriam, cum in oculis urbis decumari „deditos iuberet, quos deprecantes in fidem acceperat? „his auspiciis urbem ingressus, quam gloriam ad prin„cipatum attulit nisi occisi Obultronii Sabini et Corne„lii Marcelli in Hispania, Betui Chilonis in Gallia, Fon„teii Capitonis in Germania, Clodii Macri in Africa, „Cingonii in via, Turpiliani in urbe, Nymphidii in „castris? Quae usquam provincia, quae in castris sunt „nisi cruenta et maculata aut, ut ipse praedicat, emen„data et correcta? Nam quae alii scelera, hic remedia „vocat, dum falsis nominibus severitatem pro saevitia, „parcimoniam pro avaritia, supplicia et contumelias „vestras disciplinam appellat. Septem a Neronis fine „menses sunt et iam plus rapuit Icelus quam quod Po„lycleti et Vatinii et qui alii perierunt. minore avaritia

Obultronii Sabini. E correctione Lipsii. cf. An. 13, 28. Congruit fere MS. Corb., in quo est: *Abultroniis Abini.* Ed. Spir. *ab ultroniis a semet.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Lips. *Obultronii Albini.* Lipsius in libris invenit *ab ultroniis Albini.*

Cornelii Marcelli. Vocem *Cornelii* Lipsius fide librorum addidit. Nam sic ed. Spir. et MS. Corb. cf. An. 16, 8. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Lips. omittunt *Cornelii.*

Betui Chilonis. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryck.) Corb. Bodl. Bud. Agr. Vid. inscriptionem apud Gruter. p. 375. *Bethuichilonis* MSS. Reg. Guelf. ed. Spir. — *Berui chilonis* edd. Put. Ber. sqq. — *Vettii Chilonis* e coniectura Rhenani Lipsio probata edidere Freinshemius sqq. ad Iac. Gronovium, qui veram scripturam restituit.

Fonteii. Sic edd. Pich. sqq. *Fontei* MS. Guelf. edd. ante Pich. (cum silent. Vict.). cf. not. ad c. 7.

Clodii. Ed. Spir. *Dodii.*

Cingonii. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. — *Gingonii* ed. Spir. — *Cyconii* edd. Put. M. et V. Ber. — *Ciconii* MS. Guelf. edd. Rhen. Ald. cf. not. ad c. 6.

quae in castris sunt. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. ed. Spir., unde iam restituo. *quae castra sunt* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad hunc diem. Non tacebo in ed. Spir. etiam esse: *quae usquam in provincia;* et mox *correpta* pro *correcta.*

Icelus. Libri, ut supra c. 33. MS. Guelf. hic *icellus.*

Polycleti. Libri, ut An. 14, 39. MS. Guelf. hic *Polycleti.* Mox ed. Spir. *vatim* pro *Vatinii.*

et qui alii perierunt. MS. Flor. teste Vict. *et egi alii perierunt,* sive *et egi alii* secundum I. Gron., sive *et egiali* sec. Pichenam. Ed. Spir. *et Egi et alii perierunt.* MS. Agr. *et Egi et alii qui perierunt.* Etiam MS. Bud. habet *et Egi* vel *Aegi;* an ibi sit *perierunt* nemo prodidit. MS. Guelf. *et egis et alii paraverunt.* — *et aegris et alii paraverunt* edd. Put. M. et V. — *et Egii et alii paraverunt* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips.

„ac licentia grassatus esset T. Vinius, si ipse imperasset: „nunc et subiectos nos habuit tanquam suos, et viles ut „alienos. una illa domus sufficit donativo, quod vobis „nunquam datur et quotidie exprobratur."

XXXVIII. „Ac ne qua saltem in successore Galbae „spes esset, arcessit ab exsilio quem tristitia et avaritia „sui simillimum iudicabat. Vidistis, commilitones, „notabili tempestate etiam deos infaustam adoptionem „adversantes. idem senatus, idem populi Romani ani„mus est. vestra virtus exspectatur, apud quos omne „honestis consiliis robur et sine quibus quamvis egregia „invalida sunt. Non ad bellum vos, nec ad periculum „voco: omnium militum arma nobiscum sunt. nec una „cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet. cum „vos aspexerit, cum signum meum acceperit, hoc solum „erit certamen, quis mihi plurimum imputet. Nullus

prima. Mox Lipsius pro *Egii* dedit *Elii* secundum Xiphil. 63, 12. 64, 3., ubi legitur Ἥλιος libertus. cf. An. 13, 1. Lipsio suadente Pichena delevit *et alii* ut natum e priore voce. Ryckius tamen id vocabulum non frustra adesse ratus *et alii* mutabat in *et Haloti*, quod edidit Broterius. Nam *Haloti* mentio est An. 12, 66. Suet. Galb. c. 15. Iac. Gronovius pro *et aegi*, quod est in MS. Flor., coniiciebat *Cethegi*. Recentiores editores sequuntur Pichenam. Nemo tamen prodidit, quae sit auctoritas in verbo *paraverunt*, quum meliores libri ferant *perierunt*. Et illud quidem ex emendandi studio esse profectum facile tibi persuadebis. Melius e verbo *rapuit* ad *quam quod* intelligitur *rapuerunt*. Verbum *perierunt* nil cunctatus restitui. Praecedentia *et qui alii* latere in corrupta vett. librorum scriptura vix dubitari potest. Fortasse tamen fuit: *et Elii et qui alii*. — *Perierunt*: nam a Galba Neronis libertos punitos legimus infr. c. 49. Sunt hic odiorum nomina, de quibus infr. 2, 95.

ac licentia. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Bud, Guelf. edd. Spir. Pich. sqq. — *aut licentia* edd. Put. sqq. ad Pich.

grassatus. Ed. Spir. *crassatus*.

T. Vinius. Libri, ut supra.

habuit. Ed. Spir. *haberet*.

quotidie. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Ber. Alc. Rhen. Ald. *cotidie* MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. *quottidie* edd. Put. Hodiernae edd. variant.

Cap. 38. *arcessit*. Sic edd. recentt. inde ab Ernest. cf. not. ad c. 14 et 31. Vett. libri *accersit*.

iudicabat. Ed. Spir. *indicabat*.

adversantes. Sic MSS. et vett. edd. praeter MS. Agr., unde Ernest. sqq. edidere *aversantes*, et sic suadente Ursino e veteri codice prius ediderat Pichena. Sed vid. not. ad An. 1, 28. Et hic saltem *notabili tempestate adversari* haud dubie aptius dicitur quam *n. t. aversari*. Mox pro *omne* ed. Spir. habet *omnes*.

nobiscum. MS. Guelf. *uobiscum*.

nec una cohors etc. Brevius dictum pro: *et cohors illa, quae una est et togata non defendit* etc. Ed. Spir. *nunc defendit*. Mox MS.

„cunctationi locus est in eo consilio, quod non potest „laudari nisi peractum." Aperire deinde armamentarium iussit. rapta statim arma sine more et ordine militiae, ut praetorianus aut legionarius insignibus suis distingueretur: miscentur auxiliaribus galeis scutisque. nullo tribunorum centurionumve adhortante sibi quisque dux et instigator, et praecipuum pessimorum incitamentum, quod boni maerebant.

XXXIX. Iam exterritus Piso fremitu crebrescentis seditionis et vocibus in urbem usque resonantibus egressum interim Galbam et foro adpropinquantem adsecutus erat: iam Marius Celsus haud laeta rettulerat, cum alii in palatium redire, alii Capitolium petere, plerique rostra occupanda censerent, plures tantum sententiis aliorum contradicerent, utque evenit in consiliis infelicibus, optima viderentur quorum tempus effugerat. Agitasse Laco ignaro Galba de occidendo T. Vinio dicitur, sive ut poena eius animos militum mulceret seu

Bud. *hoc solum, cum signum m. acceperit, erit certamen.*

cunctationi. Sic MSS. Guelf. Bud. edd. Put. (*contationi*) Ber. (*cōctationi* cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. At Ryckius testatur in MSS. Flor. et Agr. esse *cunctationis*, quod non abhorret ab usu latinitatis, et sic habet etiam ed. Spir. Eadem mox ante *non potest* omittit *quod*, datque *inde* pro *deinde* post *aperire*, et *rapit* pro *rapta*. Pro *aperire* Pichena suadentibus Mureto et Acidalio ediderat *aperiri*, quod duravit usque ad Ernestium, qui vetus restituit. MS. Guelf. *aperire deinde iussit armamentarium.*

miscentur auxil. g. scutisque. Vulgo interpretantur: *sie mischen sich unter die Hülfsvölker*, quasi tum Romae copiae auxiliares adfuissent. Verum *miscentur* est promiscue et contra decus ordinemque armantur, ut ita milites auxiliaribus galeis scutisque armati mixti essent militibus praetoriano aut legionario modo armatis. Ed. Spir. et MS. Agr. *auxiliatoriis.* In MS. Bud. deest voc. *galeis.*

maerebant. Sic edd. Lips. sqq. — *moerebant* edd. Spir. Rhen. Ald. — *merebant* edd. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. — *merebant* MS. Guelf.

fremitu, MS. Guelf. *strepitu.*

Cap. 39. *crebrescentis.* Ed. Spir. *crebescentis.* Eadem mox *usque in urbem*; deinde *iterum* pro *interim*; *propinquantem* pro *adpropinquantem*; *retulerant* pro *rettulerat.* MS. Guelf. ante *capitolium* addit *in.* Pro *tantum* idem habet *tamen.*

utque evenit, Ed. Spir. *ut quod evenit.* MS. Agr. *utque evenire in c. i. solet.* Mox ed. Spir. *morum* pro *quorum.*

T. Vinio, Libri, ut supra.

sive ut poena. Ed. Spir. *seu ut poena.* Mox *consium* pro *conscium.*

conscium Othonis credebat, ad postremum vel odio. haesitationem attulit tempus ac locus, quia initio caedis orto difficilis modus: et turbavère consilium trepidi nuntii ac proximorum diffugia, languentibus omnium studiis qui primo alacres fidem atque animum ostentaverant.

XL. Agebatur huc illuc Galba vario turbae fluctuantis impulsu, completis undique basilicis ac templis, lugubri prospectu. neque populi aut plebis ulla vox, sed attoniti vultus et conversae ad omnia aures. non tumultus, non quies, quale magni metus et magnae irae silentium est. Othoni tamen armari plebem nuntiabatur. ire praecipites et occupare pericula iubet. igitur milites Romani, quasi Vologesem aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri ac non imperatorem suum inermem et senem trucidare pergerent, disiecta plebe,

ad postremum vel odio. Ex emendatione Rhenani, quam ipse in contextum recepit posteriore editione. cf. infr. 2, 27. *ad postremum Valens* etc.; 4, 16. *ad postremum gubernatores* etc. MSS. et vett. edd. unanimi consensu: *Ad posterum vel odio haesitationem* etc., nisi quod ed. Spir. pro *odio* dat *Clodio.* Locus per Rhenani emendationem nondum sanus mihi videtur.

attulit. Sic MS. Guelf. edd. vett.; *adtulit* MS. Flor. teste Victorio.

ac locus. Ed. Spir. *et locus.*

diffugia. Vocabulum novum atque ab Hillo vituperatum, a Buhlio defensum p. 48 sq. Cum detur *effugium*, *refugium*, *confugium*, *perfugium* apud Ciceronem aliosque, *suffugium* apud Quintilianum, *transfugium* apud Plinium, cur non permittamus *diffugium* Tacito?

ostentaverant. MS. Flor. (test. Vict.) *ostentaverint.* Vulgatum tuentur edd. vett. cum MS. Guelf.

Cap. 40. *huc illuc.* MS. Bud. interponit *et.* Frustra. cf. An. 1, 56.

prospectu. Sic MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *aspectu* MS. Agr. ed. Spir. — *arospectu* MS. Flor. test. Ryckio; sed fac. Gronovius eam varietatem reticet, et aperte ibi *prospectu* latet.

nuntiabatur. Ed. Spir. *nuncupabatur.*

occupare. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Lips. Pich. sqq. *occupari* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. et Lips. prima.

Vologesem. Sic An. 12, 14. 50. 13, 9. 14, 25. et alibi. Eandem scripturam huic loco vindicavit Beroaldus (cum silent. Vict.). At MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. *Vologesum.* Sic An. 13, 7. *Vologeso* et 13, 37. *Vologesi fratris.* Quae inconstantia utrum librariis, an Tacito tribuamus, ambigo.

inermem et senem. Ed. Spir. omittit copulam. De verbo *pergerent* cf. not. ad An. 1, 28.

proculcato senatu, truces armis, rapidi equis forum inrumpunt. nec illos Capitolii aspectus et imminentium templorum religio et priores et futuri principes terruere, quo minus facerent scelus, cuius ultor est quisquis successit.

XLI. Viso cominus armatorum agmine vexillarius comitatae Galbam cohortis (Atilium Vergilionem fuisse tradunt) dereptam Galbae imaginem solo adflixit. eo signo manifesta in Othonem omnium militum studia, desertum fuga populi forum, destricta adversus dubitantes tela. Iuxta Curtii lacum trepidatione ferentium Galba proiectus e sella ac provolutus est. extremam eius vocem, ut cuique odium aut admiratio fuit, varie

proculcato. Ed. Spir. *proconculcato.* MS. Agr. *conculcato.*

rapidi equis. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Bud. — *rapidis equis* MS. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. quae scriptura quum emendationis speciem prae se ferat, malui sequi MS. Florentinum.

Cap. 41. *comitatae Galbam cohortis.* MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) *comitatę Galbę cohortis*, unde suadentibus Ryckio et I. Gronovio Ernestius fecit, quae hodie eduntur. Nam MSS. Bud. et inde edd. Rhen. sqq. *comitantis Galbam cohortis.* MSS. Harl. Bodl. Ies. *comitantes Galbae cohortis.* In Bodl. emendatum est *comitantis.* MS. Guelf. *comitatas Galbae cohortes.* Sec. manus fecit *comitatus.* MSS. Reg. Agr. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *comitatus Galbae cohortis.* Sic et ed. Spir., nisi quod omittit voc. *cohortis.*

Atilium Vergilionem. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Put. sqq. — *Adilium V.* MS. Flor. test. Vict. cum Iac. Gron.; *Adilium Virgilionem* MS. Reg.; *Acilium Virgilionem* MS. Corb.; *adillum Virgilionem* ed. Spir.

dereptam. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Rhen. Ald. Lips. Pich. Grut. sqq. — *direptam* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. sqq. et Lips. postrema. cf. not. ad An. 1, 20.

adflixit. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Ryck. aliaeque. *afflixit* edd. Put. Ber. Rhen. Ald. Lips. posteriores, Pich. sqq. *affixit* MSS. Harl. Bodl. Ies. Corb. Bud. edd. Spir. et Lips. prima. In MS. Harl. emendatum est *afflixit.* cf. An. 4, 45. *saxoque caput adflixit.* — MS. Guelf. a sec. manu *affixit.*

destricta. Sic MS. Flor. (test. Vict.) Reg. edd. Spir. Put. M. et V. et deinde Ryck. sqq. — *districta* MS. Guelf. edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Ryck. cf. not. ad An. 1, 32.

Curtii lacum. Sic MSS. Flor. (cuius tamen dubia sunt vestigia teste Iac. Gronovio) Agr. edd. Spir. Iac. Gron. sqq. et sic infr. 2, 55. et Suet. Galb. c. 20. Plutarch. in Galb. c. 27. περὶ τὸν Κούρτιον καλούμενον λάκκον. MS. Reg. *Curti lacum* per contractionem. *Curtium* (sive *curcium*) *lacum* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Iac. Gron. — Xiphil. 64, 6. ἐν μέσῃ τῇ Ῥωμαίων ἀγορᾷ.

e sella. Ed. Spir. *est sella*, errore, dum *e* pro compendio *ē* aliquis accepit.

prodidere. alii suppliciter interrogasse, quid mali meruisset? paucos dies exsolvendo donativo deprecatum: plures obtulisse ultro percussoribus iugulum, agerent ac ferirent, si ita e re publica videretur. non interfuit occidentium, quid diceret. De percussore non satis constat. quidam Terentium evocatum, alii Lecanium: crebrior fama tradidit Camurium quintaedecumae legionis militem impresso gladio iugulum eius hausisse. ceteri crura brachiaque (nam pectus tegebatur) foede laniavere: pleraque vulnera feritate et saevitia trunco iam corpori adiecta.

XLII. Titum inde Vinium invasere. de quo et ipso ambigitur, consumpseritne vocem eius instans metus an proclamaverit non esse ab Othone mandatum, ut occideretur. quod seu finxit formidine, seu conscientia coniurationis confessus est: huc potius eius vita famaque inclinat, ut conscius sceleris fuerit, cuius causa erat. Ante aedem divi Iulii iacuit primo ictu in poplitem, mox

prodidere. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *prodere*, media syllaba omissa, MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir.

quid mali meruisset. Xiphil. l. l. *καὶ τί κακὸν ἐποίησα;*

exsolvendo. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. *exoluendo* edd. vett. cum MS. Guelf.

si ita e re publica v. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Iac. Gronovius in MS. Flor. vidit *si ita re publ. v.*, unde ipse cum Ryckio suspicatur legendum *si id e rep. v.* — MSS. Corb. Agr. ed. Spir. *si ita rei publ. v.*

quid diceret. Ed. Spir. *qui diceret.* cf. not. ad c. 29. sub vv. *quod domus.*

Terentium evocatum. Sic edd. Spir. Put. Ber. Alc. et deinde Ryck. Iac. Gron. Brot. Bekker. *Terentium Evocatum* edd. Rhen. Ald. Lips. aliaeque. Sed vid. not. ad An. 2, 68.

Lecanium. Ed. Spir. *decanium.*

nam pectus tegebatur. MS. Corb. *tegebat.* MS. Agr. *nam pectus thorax tegebat.*

pleraque. MS. Guelf. *pluraque.* Eandem varietatem vidimus An. 13, 5.

corpori. Ed. Spir. *corpore.*

adiecta. h. e. super priora illa vulnera, quibus occisus est, addita. Groslotius frustra coniecit *adacta.*

Cap. 42. *de quo et ipso.* Sic MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Rhen. sqq. *de quo ipso* ed. Spir.

seu conscientia c. c. est. Sic MSS. et vett. edd. omnes. Perperam Oberlin. sqq. ex Acidalii aliorumque opinione ediderunt *conscientiam.* Nam verbum *confessus est* habet accusativum suum *quod*, et in verbis Vinii latet confessio se cum Othone conspirare, idque Vinius tum aut finxit formidine aut conscientia coniurationis confessus est h. e. aut mentitus est formidine aut vera dixit conscientia coniura-

ab Iulio Caro legionario milite in utrumque latus transverberatus.

XLIII. Insignem illa die virum Sempronium Densum aetas nostra vidit. centurio is praetoriae cohortis, a Galba custodiae Pisonis additus, stricto pugione occurrens armatis et scelus exprobrans ac modo manu, modo voce vertendo in se percussores quanquam vulnerato Pisoni effugium dedit. Piso in aedem Vestae pervasit exceptusque misericordia publici servi et contubernio eius abditus non religione nec caerimoniis, sed latebra imminens exitium differebat, cum advenere

tionis. Ceterum in MS. Agr. deest *est* post *confessus*.

Iulio Caro. Sic MSS. Flor. (test. Ernest. et Brot., qua auctoritate non invenio) edd. Ber. (cum silent. Vict.) Rhen. sqq. *Iulio Cario* MSS. Harl. Bodl. Ies. Reg. Corb. Bud. Guelf. (de quo Ernestius falsus est) edd. Spir. Put. M. et V. Alc. Pro *ab* edd. Spir. et nuper Weisius habent *a*.

in utrumque latus. Sic libri vett. omnes. E sententia I. Fr. Gronovii edd. Oberlin. sqq. omisere praepositionem *in*, quam Heinsius utroque loco delendam censebat. Et sane ante *poplitem* illud *in* apte stare nequit, si deletur ante *utrumque latus*. Melius tamen utroque loco retinebitur. Nam Tacitus monstrat quasi vulnera, ubi sederint, nec dubito Graecos etiam in tali loco addituros fuisse εἰς.

Cap. 43. *virum Sempronium*. In edd. Spir. Beroald. Alc. inter utrumque vocabulum adduntur haec: *et senem trucidare pergunt disiecta plebe*, e cap. 40. male repetita. Delevit Rhenanus. Absunt etiam a MS. Flor. (test. Vict.) edd. Put. M. et V. Eaedem edd. Spir. Ber. Alc. ante *aetas* addunt *quem*. Delevit et ipse Rhenanus.

a Galba custodiae Pisonis additus. Ex emendatione Lipsii, quam in contextum recepit Pichena. MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. habent: *ad Galbae custodiam a Pisone additus*. At MS. Flor. (test. Pich.) *a Galba custodi et a Pisonis additus*, quae scriptura satis confirmat Lipsii emendationem. MSS. Farnes. Reg. Corb. ed. Spir. *ac Galbae custodiae a Pisone additus*. Pro Lipsii emendatione stat contextus loci. In diversam partem abeunt Plutarchus et Xiphilinus, qui Sempronium perhibent defensorem Galbae et in ea defensione occisum. Nam Xiphil. 64, 6. καὶ αὐτῷ (Galbae) Σεμπρώνιος Δῆνσος ἑκατόνταρχος ἐπαμύνας ἐς ὅσον ἠδυνήθη, τέλος, ὡς οὐδὲν ἤνυσεν, ἐπεσφάγη.

armatis. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. Reg. Corb. Harl. Bodl. Ies. edd Rhen. sqq. *armis* ed. Spir. *armatus* edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

exceptusque. Ed. Spir. *deceptusque*.

abditus. Sic edd. Spir. Ber. (c. silent. Vict.) sqq. — *additus* edd. Put. M. et V.

nec caerimoniis. MS. Agr. *non cerimoniis*.

cum advenere. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Rhen. sqq.; *cum advenirent* MS. Reg. ed. Spir.; *tum advenere* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Corb. edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

missu Othonis nominatim in caedem eius ardentes Sulpicius Florus e Britannicis cohortibus, nuper a Galba civitate donatus, et Statius Murcus speculator: a quibus protractus Piso in foribus templi trucidatur.

XLIV. Nullam caedem Otho maiore laetitia excepisse, nullum caput tam insatiabilibus oculis perlustrasse dicitur, seu tum primum levata omni sollicitudine mens vacare gaudio coeperat seu recordatio maiestatis in Galba, amicitiae in T. Vinio quamvis immitem animum imagine tristi confuderat: Pisonis ut inimici et aemuli caede laetari ius fasque credebat. Praefixa contis capita gestabantur inter signa cohortium iuxta aquilam legionis, certatim ostentantibus cruentas manus qui occiderant, qui interfuerant, quive vere, qui falso

missu Othonis. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Pich. sqq. — *missi* MSS. Reg. Corb. ed. Spir.; *iussu* MS. Bud. et inde edd. Rhen. sqq. ad Pichenam.

Sulpicius. Sic MS. Guelf. edd. Rhen. sqq. — *Sulpitius* edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Sed Graecis id nomen scribitur Σουλπίκιος.

Statius Murcus. Sic edd. Put. sqq. — *Stacius Marcus* ed. Spir.

speculator. Libri, ut supra. MS. Guelf. hic *speculator.*

trucidatur. Sic editiones. At MS. Flor. test. Vict. *trucidatus.*

Cap. 44. *sollicitudine.* Sic edd. Spir. Ernest. Brot. sqq. — *solicitudine* edd. Put. sqq. ad Ernestium. In MS. Guelf. altera littera *l* erasa est.

vacare. Sic vulgo MSS. et edd. vett. (cum sil. Vict.). — *vagare* MSS. Flor. (test. Ryckio, nescio qua fide, quum Pichena et Iac. Gronovius taceant) Vatic. (t. Lips.) Bud. edd. Lips. Pich. Grut. — *vagari* MS. Corb. Utrumque defendi potest. Sed Freinshemius *vacare* bene restituit.

maiestatis. MS. Guelf. *magnetis.*

ius fasque. Synonyma putat Roth. p. 8. Sed cf. not. ad An. 1, 10. sub vv. *de habitu cultuque.* Eadem formula exstat infr. 3, 5.

praefixa contis capita. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *praefixis contis capita* ed. Spir.

gestabantur. Sic edd. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *gestantur* edd. Spir. Put. M. et V. In MSS. Oxon. (test. Iac. Gronov.) Harl. Bodl. Guelf. hoc verbum deest, et abesse illud posse consentiunt Iac. Gronov. et Ernestius. In marg. Bodl. additur *gestabantur*: in marg. Guelf. *gestantur.*

quive vere, qui falso. Sic MSS Flor. (teste Iac. Gronovio) Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — *quive vere, quive falso* edd. Rhen. sqq. ad Pichenam, qui dedit *qui vere, qui falso*, quod vulgatur ad hunc diem e consensu MSS. Covarruv. Corb. ed. Spir. Dubito an recte. Nam tertio et quarto loco *qui* non eodem tenore ponitur ac primum et secundum; sed

ut pulchrum et memorabile facinus iactabant. Plures quam centum et vinginti libellos praemium exposcentium ob aliquam notabilem illa die operam Vitellius postea invenit, omnesque conquiri et interfici iussit non honore Galbae, sed tradito principibus more, munimentum ad praesens, in posterum ultionem.

XLV. Alium crederes senatum, alium populum. ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum praecurrentibus, increpare Galbam, laudare militum iudicium, exosculari Othonis manum: quantoque magis falsa erant, quae fiebant, tanto plura facere. Nec aspernabatur singulos Otho, avidum et minacem militum animum voce vultuque temperans. Marium Celsum consulem designatum et Galbae usque in extremas res amicum fidumque ad supplicium expostulabant industriae eius innocentiaeque quasi malis artibus infensi. Caedis et praedarum initium et optimo cuique perniciem quaeri apparebat. sed Othoni nondum auctoritas inerat

inest hoc: et qui sive vere sive falso h. e. inter eos, qui occidisse caedique interfuisse iactarent, alios vere alios falso iactasse.

ut pulchrum. Ed. Spir. *qui pulchrum.*

praemium. Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Guelf. Bud. Agr. ceterique, et edd. Spir. Iac. Gronov. — *praemia* edd. Put. sqq. ad Iac. Gronovium, et quae post Gronovium prodiere. Sed quamvis plures exposcerent, recte tamen *praemium* ponitur ut in genere.

munimentum ad praesens, in posterum ultionem. I. Fr. Gronovius bene animadvertit haec verba esse ἐπεξήγησιν loci praecedentis. cf. not. ad An. 1, 27. sub vv. *causam discordiae* etc. Roth. in Quaest. Gramm. (*Neues Archiv f. Philol. u. Päd.* 1830. nr. 3. u. 4. p. 26.) At in sententia explicanda Gronovius falsus est. Hoc sibi vult auctor: Vitellium illos conquiri et interfici iussisse, non ut Galbae manes tali vindicta placaret, sed tradito principibus more interfectores principum interimendi, in quo ad praesens quidem et dum id faciant, nihil spectent nisi munimentum suae salutis, quum proditores ipsis debeant esse suspecti; in posterum autem et postquam facinus commissum sit, id dici ultionem, ut eo nomine excusetur.

Cap. 45. *exosculari.* Sic MS. Corb. edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.) Rhen. sqq. cf. An. 1, 34. et infr. 2, 49. — *et osculari* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Alc.

fiebant. Ed. Spir. *flebant.* Mox MS. Guelf. *pluris* pro *plura*, et *aspernebatur* pro *aspernabatur*. Ed. Spir. *signatum* pro *designatum.* Deinde eadem pergit: *industriae eius atque innocentiae: quae quasi* etc. Pro *quaeri* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. dant *queri*, vulgari vitio.

ad prohibendum scelus: iubere iam poterat. ita simulatione irae vinciri iussum et maiores poenas daturum adfirmans praesenti exitio subtraxit.

XLVI. Omnia deinde arbitrio militum acta. praetorii praefectos sibi ipsi legere, Plotium Firmum e manipularibus quondam, tum vigilibus praepositum et incolumi adhuc Galba partes Othonis secutum: adiungitur Licinius Proculus intima familiaritate Othonis suspectus consilia eius fovisse. Urbi Flavium Sabinum praefecere iudicium Neronis secuti, sub quo eandem curam obtinuerat, plerisque Vespasianum fratrem in eo respicientibus. Flagitatum, ut vacationes praestari centurionibus solitae remitterentur. namque gregarius miles ut tributum annuum pendebat. quarta pars manipuli sparsa per commeatus aut in ipsis castris vaga, dum mercedem centurioni exsolveret: neque modum oneris quisquam neque genus quaestus pensi habebat. per latrocinia et raptus aut servilibus ministeriis militare otium redimebant. tum locupletissimus quisque miles labore ac saevitia fatigari, donec vacationem emeret.

ad prohibendum scelus, *iubere iam poterat*. Desunt haec in MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Addita sunt margini MS. Harl. Adsunt etiam in vett. edd. cum silent. Victorii.

exitio. Ed. Spir. *auxilio*.

Cap. 46. *tum vigilibus*. MS. Guelf. *tum vigiliis*. Ed. Spir. *cum vigilibus*. Eadem mox *suspecta* pro *suspectus*; *detinuerat* pro *obtinuerat*.

vacationes. Vetus querela. cf. An. 1, 17.

quarta pars manipuli sparsa per commeatus. Sic edd. Bernegger. sqq. ex emendatione Pichenae, quam ipse margini adposuerat. Namque MSS. Flor. (teste Pichena) Corb. Agr. Guelf. (a sec. manu ibi est *quarta* in margine adpositum, quum in contextu defecisset) ed. Spir. habent: *quarta pars manipulis pars per comeatus*. Contra MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *pars manipulis: pars per commeatus*, omissa vocula *quarta*. Ed. Spir. scribit *comeatus*, uti solet. Bipontini: *pendebat quartam* e coniectura Lipsii, qui tamen et ipse nil Pichenae emendatione melius veriusve iudicavit.

exsolveret. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. — *exolveret* MS. Guelf. edd. vett.

quaestus. Sic edd. Beroald. sqq. — *questus* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V., vulgari vitio. Mox ed. Spir. omittit *aut* ante *servilibus*.

tum locupletissimus. Particula *tum* continuat orationem i. q. praeterea, insuper. cf. Sueton. Iul. c. 27. *Tum reorum* etc.

ubi sumptibus exhaustus socordia insuper elanguerat, inops pro locuplete et iners pro strenuo in manipulum redibat: ac rursus alius atque alius eadem egestate ac licentia corrupti ad seditiones et discordias et ad extremum in bella civilia ruebant. Sed Otho, ne vulgi largitione centurionum animos averteret, fiscum suum vacationes annuas exsoluturum promisit, rem haud dubie utilem et a bonis postea principibus perpetuitate disciplinae firmatam. Laco praefectus, tanquam in insulam seponeretur, ab evocato, quem ad caedem eius Otho praemiserat, confossus: in Marcianum Icelum ut in libertum palam animadversum.

exhaustus. MS. Guelf. a sec. manu *exhaustis.*

insuper elanguerat. MS. Flor. *ins'*, unde Pichena fecit *insuper*, quia saepe in illo cod. *s'* est pro *super.* Iac. Gronovius in describenda illa nota contra Pichenam dicit. Ante Pichenam edebatur *miser elanguerat*, quod exstat in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Pichenam, ante quem Lipsius coniecerat *misere.* MSS. Corb. Reg. Agr. ed. Spir. omittunt voculam ante *elanguerat.* Mox ed. Beroald. dat *streuuo*, quod Vict. corr. *strenuo.*

ad seditiones. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Corb. Agr. edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. — *seditionem* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq.

et ad extremum in bella civilia. Praepositionem *in* Oberlinus addidit ex Heinsii sententia: omittitur in vett. libris, nec adeo necessario adest, quanquam facile potuit absorberi ab ultima littera praecedentis vocabuli.

averteret. Ed. Spir. *euerteret.*

fiscum suum. Sic edd. Iac. Gronov. sqq. — *et fiscum suum* MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Corb. Agr. ed. Spir., in quibus libris copula *et* e repetita postrema syllaba praecedentis verbi exorta videtur. MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. Beroald. sqq. ad Iac. Gronov. *ex fisco suo* (Guelf. *ex physico suo*). Ernestio hic iterum vocula *suum* suspecta est. cf. not. ad c. 31. Sed bene se habet. Tacitus adfert ipsa Othonis verba, qui dixit: *Fiscus meus* (sive *noster*) *v. a. exsolvet*, quae in oratione obliqua debebant exprimi: *fiscum suum* etc. Non eadem est ratio loci c. 58. et 65.

firmatam. Ed. Spir. *formatam.*

tanquam. Intellige hoc simulatum et divulgatum esse, quanquam morti destinatus esset Laco. Perperam Bipont. *tum, quum.*

Icelum. Sic MS. Flor. (teste Vict.) edd. Lips. sqq. — *Icellum* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Lipsium. *Icelium* ed. Spir.

ut in libertum. Sic MSS. et edd. omnes praeter Ernestii aliorumque, qui illum secuti sunt. Is correxit: *ut in libertinum.* Nam conditionem hominis exprimi ait, in qua *libertinus* dicatur, non *libertus.* Sed potest etiam *libertus* dici de conditione hominis, nec aliud quid in hoc vocabulo spectatur

XLVII. Exacto per scelera die novissimum malorum fuit laetitia. Vocat senatum praetor urbanus. certant adulationibus ceteri magistratus. adcurrunt patres: decernitur Othoni tribunicia potestas et nomen Augusti et omnes principum honores, adnitentibus cunctis abolere convicia ac probra, quae promiscue iacta haesisse animo eius nemo sensit. omisisset offensas an distulisset, brevitate imperii in incerto fuit. Otho cruento adhuc foro per stragem iacentium in Capitolium atque inde in palatium vectus concedi corpora sepulturae cremarique permisit. Pisonem Verania uxor ac frater Scribonianus, T. Vinium Crispina filia composuere, quaesitis

nisi necessitudo hominis vel ratio, qua utitur erga dominum et quae inde oritur eiusdem conditio. Hoc satis verum est libertum non cogitari sine domino, qui libertatem concesserit, et ad quem ut patronum ille pertineat. Ea tamen non est causa satis idonea, ut putemus necessario ubique nomen domini addi, cuius quis libertus dicatur: quanquam hic satis patet Icelum dici libertum domus principalis, cum qua a Galba iam transierat ad Othonem. cf. infr. 2, 94., ubi sunt *liberti principum* sc. priorum, qui cum principatu ab alio ad alium transibant, et 4, 11., ubi: *Asiaticus enim (is libertus)*. Similis plane disceptatio auctore Ernestio exorta est ad Sueton. Vespas. c. 23. *de Cerulo liberto*, ubi Ernestius correxit *libertino*, quia non credibile ipsi videbatur Vespasiani libertum fuisse Cerulum. At fuit ille e libertis principum, quos Graeci vocant Καισαρείους. cf. Reimarus ad Dion. 56, 32. Vid. etiam not. ad Germ. c. 25.

Cap. 47. *malorum*. Hoc deest in MS. Ies. Idem liber dat *occurrunt* pro *adcurrunt*. Mox *convicia ac probra* sunt synonyma. cf. Roth. p. 8. Vid. infr. 2, 52. 3, 10.

iacta. MS. Reg. ed. Spir. *acta*.

haesisse. MS. Guelf. *exisse*, in contextu: in margine eadem manu *hesisse*.

omisisset offensas. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. — Pichena testatur in MS. Flor. legi *omisisse tot fensas*. MS. Bud. *omisisse tot offensas:* unde Rhenanus voculam *tot* contextui inseruerat; expulit Pichena.

per stragem. Sic MSS. Agr. Corb. edd. Spir. Lallemand. Ernest. Broter. sqq. — *per strages* MSS. Guelf. Bud. al., edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. Plures fuisse iacentium strages facile credideris, quanquam parum refert. Mox ed. Spir. *atque in capitolium: atque inde* etc.

inde in palatium. MS. Guelf. omittit praepositionem *in*.

concedi ... *permisit*. Haec dicendi ratio displicet Acidalio et Heinsio, sine causa puto. Similis plane tautologia viris doctis videbatur esse An. 3, 3. in *perferre* ... *toleravit*. Vid. ibi not. Otho permisit custodibus, ut amicis caesorum concederent corpora ad sepulturam etc.

ac frater Scribonianus. Ed. Spir. *ac fratres Scribonianum*.

redemptisque capitibus, quae venalia interfectores servaverant.

XLVIII. Piso unum et tricesimum aetatis annum explebat, fama meliore quam fortuna. fratres eius Magnum Claudius, Crassum Nero interfecerant. Ipse diu exsul, quatriduo Caesar, properata adoptione ad hoc tantum maiori fratri praelatus est, ut prior occideretur. T. Vinius quinquaginta septem annos variis moribus egit. pater illi praetoria familia, maternus avus

Cap. 48. *explebat.* Sic libri omnes. Ernestius vult *explerat.* De mortuo enim sermonem esse. Broterius respondet: „At, ut videtur, tricesimum unum aetatis annum Piso nondum expleverat." Fallitur uterque. Nam recepto usu Tacitus ponit *explebat* pro eo, quod Ernestius volebat, *expleverat.* cf. infr. 3, 86. *septimum et quinquagesimum aetatis annum explebat.* Sic An. 6, 29. *statuebant* et 12, 32. *coeptabant.* Infra 2, 71. *celebrabat:* ad quos locos vid. not. *Explebat, er stand in dem Alter voller ein und dreifsig Jahre. Expleverat* exprimit id quod certo temporis momento factum est: nempe unum et tricesimum aetatis annum Piso *expleverat* eo die, quo incepit tricesimum secundum.

Magnum Claudius, Crassum Nero. Sic edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *magnum Claudius Crassum: Nero* etc. edd. Puteol. — *Magnum Claudium et Crassum Nero* etc. ed. Spir. cum MS. Guelf. (a sec. m.), in quo prius fuit *Magnum Claudius, Crassum Nero.*

interfecerant. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. (a pr. m.) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et deinde Pich. sqq. — *interfecerat* MSS. Guelf. (a sec. m.) Bud. et edd. Spir. Rhen. sqq. ad Pichenam. cf. not. ad An. 13, 12. sub v. *genitus.*

exsul. Ed. Spir. *nexui.* Mox pro *quatriduo* MS. Flor. (test. Vict.) dat *quadriduo.* Deinde edd. Put. M. et V. ponunt puncti notam post *adoptione.*

ad hoc. Sic codd. MSS. Bud. Guelf. et fortasse alii, edd. Spir. Rhen. sqq. — *ad haec* MSS. Harl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Eadem varietas saepius invenitur in illis libris originemque traxit e compendio *ad h̃*, quod exstat in cod. Guelf. et fortasse ponitur pro *ad haec.* cf. not. ad An. 12, 20. 13, 34. 14, 24.

quinquaginta septem. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Agr. Bud. Corb. edd. Spir. Ryck. Iac. Gron. sqq. — *XLVII.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Ber. sqq. ad Ryckium.

praetoria familia. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Bud. Corb. ed. Spir. Ita mox c. 52. *equestri familia* et 4, 13. *regia stirpe.* — MS. Guelf. edd. Put. Ber. (c. sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *e praetoria familia.* Sic An. 12, 1. *e familia Tuberonum;* 15, 22. *Cornelia ex familia Cossorum.* Sed in hisce locis quaeritur, unde aliquis sit: in illis locis, qualis sit vel qua dignitate, eaque ratio praepositionem respuit, quae huc venit e sequenti voce: *e proscriptis.* — Mox post *infamis* puncti notam revocavi ex edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. prima. — Ed. Spir. ibi plane omittit interpunctionem. Edd. Lips. posteriores, Pich. sqq. ponunt virgulam.

e proscriptis. prima militia infamis. legatum Calvisium Sabinum habuerat, cuius uxor mala cupidine visendi situm castrorum per noctem militari habitu ingressa cum vigilias et cetera militiae munia eadem lascivia temperasset, in ipsis principiis stuprum ausa; et criminis huius reus T. Vinius arguebatur. igitur iussu C. Caesaris oneratus catenis, mox mutatione temporum dimissus cursu honorum inoffenso legioni post praeturam praepositus probatusque, servili deinceps probro respersus est, tanquam scyphum aureum in convivio Claudii furatus: et Claudius postera die soli omnium Vinio fictilibus ministrari iussit. sed Vinius proconsulatu Galliam Narbonensem severe integreque rexit. mox

temperasset. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. Harl. Bodl. les. Reg. Corb. ed. Spir. In marg. Bodl. additum est *tentasset.* MS. Agr. *inspectasset.* Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *temptasset.* Edd. Rhenan. Ald. Lips. Pich. Gruter. *tentasset.* E coniectura Rhenani Freinshemius posuerat *temerasset,* quod duravit usque ad Bipont. et Oberl., qui restituere *tentasset.* Sed nihil verius est quam quod praeferunt optimi codd. MSS. *temperasset* eo sensu, quo id verbum significat *moderari, regere.* cf. An. 1, 67. *arma temperanda consilio.* Sueton. Oct. c. 68. *Viden', ut cinaedus orbem digito temperet?* Ovid. Met. 13, 366. *ratem temperare.* Iam quid sit *temperare vigilias et cetera militiae munia*, satis monstrat Dio 59, 18., qui de eadem historiola scribit: καὶ γὰρ ἐκείνη ὡς φυλακάς τε ἐφοδεύσασα καὶ τοὺς στρατιώτας ἀσκοῦντας ἰδοῦσα αἰτίαν ἔσχεν. Porro quid sit ἐφοδεύειν φυλακάς docet Polyb. de mil. Rom. c. 5. ἡ τῆς ἐφοδείας πίστις εἰς τοὺς ἱππεῖς ἀνατίθεται. Ὁ γὰρ ταξίαρχος τὴν ἐπιμέλειαν ποιεῖται τοῦ κατὰ φυλακὴν βουκανᾶν. Συνάψαντος δὲ τοῦ καιροῦ τὴν πρώτην ἐφοδεύει φυλακὴν ὁ ταύτην λαχών, ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ μάρτυρας τῶν φίλων κ. τ. λ. Cum his cf. Veget. 3, 8. *Idoneos tribuni et probatissimos eligunt, qui circumeant vigilias et renuntient, si qua emerserit culpa, quos circuitores appellant. Nunc militiae factus est gradus et circitores appellantur.* Igitur Cornelia (id nominis mulieri erat) lascivia sua amicis circuitoribus se immiscuit et circuitionis more vigilias et cetera militiae munia temperavit. *Tentare vigilias* etc. ab hoc loco alienum est. Gutmann: dicit: *ausforschen*; Ricklefs.: *erforschen;* Strombeck.: *betrachten.* Quorum nihil isti voci inest. Num putas ipsam excubando tentasse vigilias? an larvae speciem praeferens tentavit?

ausa. Ernestius et Bipontini volunt *passa.* Frustra. Nihil enim impedit, quo minus mulier stuprum ausa dicatur, si cum audacia, ut hic, eam rem fecit.

criminis. Ed. Spir. *criminibus.* Eadem mox *inoffensus* pro *inoffenso; ciphum* pro *scyphum; postero* pro *postera.*

iussu. Hoc deest in MSS. Bud. (teste Rhenano) et Guelf. Hic liber mox pro *oneratus* fert *ornatus;* deinde *repressus* pro *respersus;* *omnia* pro *omnium.*

Galbae amicitia in abruptum tractus, audax, callidus, promptus et, prout animum intendisset, pravus aut industrius eadem vi. Testamentum T. Vinii magnitudine opum inritum. Pisonis supremam voluntatem paupertas firmavit.

XLIX. Galbae corpus diu neglectum et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum dispensator Argius e prioribus servis humili sepultura in privatis eius hortis contexit. caput per lixas calonesque suffixum laceratumque ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis punitus a Galba fuerat) postera demum die repertum et cremato iam corpori admixtum est. Hunc exitum habuit Servius Galba tribus et septuaginta annis quinque principes prospera fortuna emensus et alieno imperio felicior quam suo. Vetus in familia nobilitas, magnae opes: ipsi medium ingenium, magis extra vitia

callidus. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. et sic vulgo MSS. — Iac. Gronovius in MS. Flor. invenit *calido;* Oberlinus in MS. Bud. *calidus:* vitium haud dubium, quanquam I. Gronovio *calidus* placebat ob locum Liv. 35, 32. *Callidos audacesque* Tacitus etiam coniunxit supr. c. 25.

eadem vi. Testamentum etc. Sic interpungunt edd. Rhen. Ald. sqq. — *Eadem vi testamentum* etc. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *eadem in testamentum* etc. ed. Spir., puncto posito ante *eadem.*

inritum. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *irritum* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. — *tritum* ed. Spir.

Cap. 49. *e prioribus servis.* Priores sunt veteres h. e. qui ante principatum servi Galbae fuere. Faërnus, Ursinus et Savilius frustra volebant *e primoribus* ex vet. codice. Plutarcho in Galb. c. 28. Ἀργεῖος ἀπελεύθερος vocatur. Sed dispensatores sunt e servis. cf. Sueton. Oth. c. 5.

hortis. MS. Guelf. ed. Spir. *ortis*, uti solent.

caput per lixas. Sic MS. Guelf. (a pr. manu) edd. Put. Beroald. (c. sil. Vict.) sqq. — *caput eius per lixas* etc. MS. Reg. ed. Spir. et MS. Guelf. a sec. manu. Pronomen melius abest. Parenthesis (*libertus .... fuerat*), quae exstat in edd. Rhen. sqq., non agnoscitur prioribus editoribus, qui dant: *tumulum. libertus ... fuerat. Postera* etc.

tribus et septuaginta. Agebat septuagesimum tertium aetatis annum, cum periret. cf. Suet. Galb. c. 23. Aurel. Vict. epit. c. 6. Xiphil. 64, 6. Zonaras: ἔτη δύο καὶ ἑβδομήκοντα καὶ ἡμέρας τρεῖς καὶ εἴκοσιν. Sed ita non convenit ratio cum anno natali, quem posuit Suet. Galb. c. 4. cf. ibi Baumgarten-Crusius et Oudendorp. atque Reimar. ad Xiphil. 64, 1.

principes. Ed. Spir. *princeps.* Mox eadem: *ipsi et medium ingenium.*

quam cum virtutibus. famae nec incuriosus nec venditator. pecuniae alienae non adpetens, suae parcus, publicae avarus. amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens: si mali forent, usque ad culpam ignarus. sed claritas natalium et metus temporum obtentui, ut, quod segnitia erat, sapientia vocaretur. Dum vigebat aetas, militari laude apud Germanias floruit. pro consule Africam moderate, iam senior citeriorem Hispaniam pari iustitia continuit, maior privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax imperii nisi imperasset.

L. Trepidam urbem ac simul atrocitatem recentis sceleris, simul veteres Othonis mores paventem novus insuper de Vitellio nuntius exterruit ante caedem Galbae

venditator. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. Pich. Grut. sqq. — *vendicator* MS. Bud. edd. Spir. Put. Beroald. Alc. Rhenan. Ald., quod Oberlinus accipit pro *vindicator*, nec spernendum esse censet, et legitur ita in MS. Guelf. De ceteris libris silentium est.

pecuniae alienae etc. MS. Agr. *alieni non appetens, sui parcus, publice avarus.* Vulgatam scripturam tuentur MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. et edd. vett., nisi quod ed. Beroald. dat *aliene* pro *alienae*. Victorius non omisit corrigere. cf. Sallust. Cat. c. 5. Sidonius Apollin. ep. 3, 5.

ignarus. Acidalius et Heinsius volebant *ignavus*. Sed vulgatum bene se habet. Tam ignarus fuit vitiorum in amicis libertisque, ut excusari et culpa purgari in hac re non posset.

obtentui. Sic MSS. Flor. (test. Ryckio) Reg. Bodl. Bud. Agr. edd. Rhen. Ald. sqq. Sed de MS. Flor. aliud testatur Victorius: is ibi invenit *obtinui*. Ed. Spir. *obtimuit*. MSS. Harl. Ies. Guelf. (Bodl. in margine) edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *obtinuit*, quod cum Lipsio verum puto. Nam formula *obtentui (zum Vorwand dienen)* ab hoc loco aliena est. cf. An. 1, 10. 12, 7. Hist. 2, 14. Immo *claritas ... obtinuit* h. e. claritate natalium et metu temporum Galba obtinuit, ut etc.

segnitia. MS. Guelf. *sceuitia.*

apud Germanias. Tacitus Hillo displicet ob usum praepositionis *apud*. Buhle eius usus rationem reddit dicitque Romanos bellum contra Germanos maximam partem in ipsis Germaniae confiniis Galliam et Italiam versus gessisse. Sed vulgari latinitatis lege *apud* sic ponitur, ut regionem indicet, latiore termino (ut Franco-Gallorum *en Allemagne*). cf. An. 1, 34. *quae apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset;* An. 1, 2. *apud Siciliam oppressus;* ib. c. 5. *apud urbem Nolam.* Suet. Vespas. c. 5. *apud Iudaeam.*

pro consule. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Bud. edd. Iac. Gronov. Ernest. et nuper Bekker. cf. not. ad An. 2, 52. et alibi. *proconsul* MSS. Corb. Reg. edd. Spir. Put. sqq. ad Iac. Gronovium. — MS. Guelf. *Procos.* Idem liber mox *moderante* pro *moderate.*

omnium consensu. Ed. Spir. *omni consensu.*

suppressus, ut tantum superioris Germaniae exercitum descivisse crederetur. tum duos omnium mortalium impudicitia, ignavia, luxuria deterrimos velut ad perdendum imperium fataliter electos non senatus modo et eques, quis aliqua pars et cura rei publicae, sed vulgus quoque palam maerere. nec iam recentia saevae pacis exempla, sed repetita bellorum civilium memoria captam totiens suis exercitibus urbem, vastitatem Italiae, direptiones provinciarum, Pharsaliam, Philippos et Perusiam ac Mutinam, nota publicarum cladium nomina, loquebantur. prope eversum orbem, etiam cum de principatu inter bonos certaretur. sed mansisse C. Iulio, mansisse Caesare Augusto victore imperium: mansuram fuisse sub Pompeio Brutoque rem publicam. nunc pro Othone an pro Vitellio in templa ituros? utrasque impias preces, utraque detestanda vota inter duos, quorum bello solum id scires, deteriorem fore qui vicisset. Erant qui Vespasianum et arma Orientis augurarentur. et ut potior utroque Vespasianus, ita bellum aliud atque

Cap. 50. *ut tantum.* MS. Guelf. *ut tamen.*

ad perdendum. MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. *ad partiendum.* Lipsius revocavit *ad perdendum*, quod ceteris libris inest.

electos. Intellige a fato et ex omnibus mortalibus. Perperam Heinsius: *evectos*, quia electi non sint a senatu populoque.

pars et cura. Roth. p. 36. haec habet inter dicta per figuram ἓν διὰ δυοῖν. Non satis recte, ut mihi videtur. *Pars* rei publicae est eis, in quorum manu sunt potestates rei publicae; *cura* rei p. est ei, cui interest, ut res publica salva sit. Utrumque coniunctum esse solet. Ed. Spir. *et rei pu. cura.* Eadem cum edd. Put. *merere* pro *maerere.*

captam totiens. MS. Bud. *captam quotiens.*

suis exercitibus. Sic codd. MSS. Flor. (test. Pich.) aliique, edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Pich. sqq. — *suis civibus* MS. Bud. et inde edd. Rhenan. sqq. ad Pichenam, ante quem iam Lipsius animadvertit *exercitibus* e MSS. restituendum esse. MS. Guelf. pro *suis* habet *sive.*

imperium: mansuram fuisse. Ed. Spir. *imperium mansurū fuisse.* Eadem *in templo* pro *in templa*; *obtestanda* pro *detestanda.*

solum id scires. Sic infr. c. 57. *Scires illum ... fuisse.*

Vespasianum et arma Or. cf. Roth. p. 46.

augurarentur. MS. Guelf. *arguerentur.*

et ut potior. Ricklefs. mutat *et* in *sed.* Male. Nam nihil hic praecedentibus opponitur. De copula *et* sic posita dictum est ad An. 1, 11. — Mox ed. Spir. verba legit et coniungit sic: *clades. Horrebant et ambigua de Vespasiani fama*

alias clades horrebant. et ambigua de Vespasiano fama, solusque omnium ante se principum in melius mutatus est.

LI. Nunc initia causasque motus Vitelliani expediam. Caeso cum omnibus copiis Iulio Vindice, ferox praeda gloriaque exercitus, ut cui sine labore ac periculo ditissimi belli victoria evenisset, expeditionem quam otium, praemia quam stipendia malebat. Diu infructuosam et asperam militiam toleraverant ingenio loci coelique et severitate disciplinae, quam in pace inexorabilem discordiae civium resolvunt paratis utrimque corruptoribus et perfidia impunita. Viri, arma, equi ad usum et ad decus supererant. sed ante bellum centurias tantum suas turmasque noverant, exercitus finibus provinciarum discernebantur. tum adversus Vin-

etc. Quae ratio si tibi placet, verba *bellum aliud atque alias clades* referes ad *augurarentur*, sublato puncto post id verbum nunc posito. MS. Bud. pro *atque alias* dat *et alias*.

CAP. 51. *expeditionem quam otium*. Sic edd. Oberlin. sqq. ex emendat. Lips. — Libri vett. *expeditionem et aciem*. Bipontini coniectaverunt: *expeditionem et facilia*. At eam sententiam si velis, commodius et veteribus vestigiis propius erit: *expeditionem quam aciem*. Valde tamen dubito an omnino veteris scripturae poeniteat, in qua *expeditionem et aciem* ut synonyma accipies, illud *quam otium* intelligi potest et sine dubio intelligitur, si quis dicitur malle expeditionem et aciem. Neque ita Noster studet similitudini membrorum, ut propterea Lipsii emendationem praeferas. *Praemia* pro praeda dici docuit I. Fr. Gronovius ad Liv. epit. 89. Hic tamen id vocabulum spectat ad donationes, quas exspectabant ab imperatore, cui opem ferrent in bello civili. cf. An. 1, 16. 42. Suet. Oct. c. 15.

malebat. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhenan. sqq. — *mallebat* MS. Guelf. (a sec. m.) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

diu infructuosam . . . toleraverant. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Bud. Agr. Reg. Corb. edd. Spir. et suadente Iac. Gronovio Oberlin. sqq. — *diuque . . . toleraverat* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. Victorius *diu* sine *que* e MS. Flor. sistit: *toleraverat* ipsi intactum mansit. Etiam in MS. Bodl. *que* a sec. manu deletum est.

inexorabilem. Ed. Spir. *exorabilem*.

ad usum et ad decus. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *ad usus et dedecus* MS. Corb. ed. Spir. — *ad dedecus* etiam MS. Bud., e mala repetitione syllabae *de*, quod vitium saepius accidit in transitu ab uno versu ad alterum.

supererant. cf. Germ. c. 6. *Ne ferrum quidem superest*.

tantum. MS. Guelf. *tamen*.

suas turmasque. MS. Bud. *suasque*, omisso altero vocabulo.

dicem contractae legiones seque et Gallias expertae quaerere rursus arma novasque discordias: nec socios ut olim, sed hostes et victos vocabant. Nec deerat pars Galliarum, quae Rhenum adcolit, easdem partes secuta ac tum acerrima instigatrix adversus Galbianos. hoc enim nomen fastidito Vindice indiderant. Igitur Sequanis Aeduisque ac deinde, prout opulentia civitatibus erat, infensi expugnationes urbium, populationes agrorum, raptus penatium hauserunt animo, super avaritiam et adrogantiam, praecipua validiorum vitia, contumacia Gallorum inritati, qui remissam sibi a Galba quartam tributorum partem et publice donatos in igno-

contractae. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Rhen. Ald. sqq. — *confractae* MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. Alc.

expertae! Ed. Spir. *ex parte.* Eadem mox *qua Rhenum* pro *quae R.*; *investigatrix* pro *instigatrix.*

easdem partes. MS. Guelf. *easdem partis.* Idem liber mox: *hęc enim nō* pro *hoc enim nomen.*

fastidito Vindice. Sententia est: *nachdem sie dieselben lange genug und zum Ueberdrufs nach dem Vindex genannt hatten.* Gutmann. dedit: *mit Verächtlichkeit gegen V.* Dionys. Godofredus IC. perperam tentabat: *fatis dato Vindice.* Ed. Spir. *fastidico vindice.*

Sequanis. Ed. Ber. *Sequauis,* quod Vict. e MS. Flor. correxit in *Sequanis.*

Aeduisque. Sic edd. Lips. 1574. sqq. et *Aeduos* eosdem dicit inscriptio, quam e Chifletii MSS. publicavit Broterius ad An. 11, 23. Vett. edd. *Heduisque.* MS. Guelf. *Eduisque.*

penatium. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *penatum* ed. Spir.

super avaritiam. Sic MS. Flor. (testatur Pichena *super* ibi esse per notam scriptum, ut supr. c. 46. et An. 12, 9.) edd. Pichen. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *secundum avaritiam* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. edd. Spir. Put. sqq. ad Pichenam. Freinshemius defendit *secundum*, quod post Pichenam edidere Bernegg. et Gronovii 1672. Sed cf. An. 13, 18. *super insitam avaritiam*; 1, 59. *super insitam violentiam.* Suet. Oth. c. 5. *super animi dolorem.*

inritati. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *irritati* MS. Guelf. edd. vett. — Mox MS. Guelf. *quartam* (hoc in margine a sec. manu) *partem tributorum*, *partem* etc.

et publice donatos. „Agris, quos Galba Treveris eripuerat aliisque." Lips. cf. infr. c. 53. et Plutarch. in Galb. c. 22. Alii ad *donatos* intelligunt civitate Romana. Nam supr. c. 8. legimus: *Galliae obligatae recenti dono R. civitatis et in posterum tributi levamento.* Fortasse de utraque et agrorum et R. civitatis donatione hic sermo est. *Publice* ponitur ut An. 4, 36. et infr. c. 66. Caes. B. G. 2, 21. Sueton. Iul. c. 83. et alibi. Ad *donatos* omissum est *se*, quod sexcenties ita omittitur apud Nostrum, nec ullam necessitatem video legendi cum Gutmanno et Rupertio: *publice se donatos.* Oberlinus Bipontinorum coniecturam secutus edidit *damnatos* pro *donatos*, simul *eos* pro *et.* Qua in re id so-

miniam exercitus iactabant. Accessit callide vulgatum, temere creditum, decumari legiones et promptissimum quemque centurionum dimitti. undique atroces nuntii, sinistra ex urbe fama: infensa Lugdunensis colonia et pertinaci pro Nerone fide fecunda rumoribus. Sed plurima ad fingendum credendumque materies in ipsis castris odio, metu et, ubi vires suas respexerant, securitate.

LII. Sub ipsas superioris anni Kal. Decembres Aulus Vitellius inferiorem Germaniam ingressus hiberna legionum cum cura adierat. redditi plerisque ordines, remissa ignominia, adlevatae notae, plura ambitione, quaedam iudicio: in quibus sordem et avaritiam Fonteii Capitonis adimendis adsignandisve militiae ordinibus integre mutaverat. Nec consularis legati mensura, sed in maius omnia accipiebantur. et Vitellius apud severos humilis: ita comitatem bonitatemque

lum est verum, quod audaculam illam dicit coniecturam. Veterem scripturam reduxere Bekkerus et Lünemannus. Legiones victos Gallos hostes vocabant, oppressosque volebant: recreatos et donatos dolebant, inque exercitus ignominiam illorum iactationem accipiebant. Ceterum ed. Spir. pro *et publice d.* habet *etiam publice d.*

callide. MS. Bud. *calide*, ut supra *calidus* pro *callidus.*

decumari. Ed. Spir. *decumare.* Mox *incensa* pro *infensa.*

pertinaci pro N. fide. Causam quaere An. 16, 18.

fecunda. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Lips. sqq. — *foecunda* edd. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. — *facunda* MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir.

materies. Hoc vocabulum deest in MS. Guelf. (a pr. manu) edd. Put. M. et V. — In Guelf. secunda manus in margine addidit: inseruit vero post *castris.*

CAP. 52. *superioris anni.* MS. Bud. *prioris.* Mox MS. Guelf. *non cura* pro *cum cura.*

adlevatae. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *allevatae* edd. vett. — *alevatae* MS. Guelf.

sordem. Acidalius volebat *sordes*, uti est infr. c. 60. Ernestius pro vulgato adfert e Cicer. Flacc. 4. *nullam sordem in re familiari*; ad Attic. 1, 16. *sordem urbis.*

Fonteii. Sic edd. Pichen. sqq.; *Fontei* edd. ante Pich. cum MS. Guelf.

adsignandisve. MS. Corb. ed. Spir. *adsignandisque*, vulgari permutatione. cf. not. ad An. 15, 22.

militiae. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Rhen. Ald. sqq. — *suae militiae* MS. Agr. edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.). Quod augmentum e male repetitis praecedentis verbi litteris extremis exortum puta.

nec consularis etc. MS. Guelf. *ne consularis* etc.

et Vitellius etc. Sic locum e MSS. et vett. edd. restituo. Au-

faventes vocabant, quod sine modo, sine iudicio donaret sua, largiretur aliena. simul aviditate imperandi ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur. multi in utroque exercitu sicut modesti quietique ita mali et

ctor describit Vitellii mores, ita tamen, ut simul enuntiet, et qualis revera fuerit et qualis a faventibus acceptus sit. Etenim in maius omnia accipiebantur h. e. in eum modum, quasi Vitellius non consularis legatus, sed summi fastigii vir esset. Nam quae apud minores dicitur humilitas, in summi fastigii hominibus vocatur comitas: quae nobis homuncionibus est sana mens, principum virorum laudatur praecipua sapientia. Iam Noster ponit huius rei exempla. Eleganter ab initio utitur particula *et*, quae eam habet vim, ut rationem reddat ducatque exempla. cf. An. 3, 38. *Non enim Tiberius, non accusatores fatiscebant. et Ancharius Priscus* etc. Particula *ita* ponitur pro *itaque*. Sic infr. c. 58. *ita in custodia habitus.* Supra c. 45. *iubere iam poterat. ita simulatione irae vinciri iussum* etc. An. 4, 15. *unusque e senatoribus Rhodii secessus comes. ita quanquam novo homini* etc. Germ. c. 36. *Ita, qui olim boni aequique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur.* Iam membra cohaerent sic: *Vitellius apud severos humilis: ita comitatem* (sc. faventes vocabant. *id* intelligendum, non scribendum est): *bonitatemque* etc. Quam loci rationem quum non intelligerent, varie mutabant. MS. Agr. post *Vitellius* a sec. m. addit *ut*. Rhenanus volebat: *et ut Vitellius* etc. Grotius pro *ita* substituit *id*, quod edidere Ernest. sqq. Ceterum ed. Spir. pro *severos* dat *Seuoros.*

simul aviditate imperandi etc. In his quoque veterum librorum distinguendi rationem reduxi. Nil enim sani est in ea distinctione, quam Oberlinus a Bipontinis acceperat: *aliena: simul aviditate imperandi. Ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur multi* etc. Aviditatem imperandi refer ad eos, qui interpretabantur; intellige fautores Vitellii. Hi aviditate obtinendi imperium (nam sic imperare dicuntur, quorum dux imperium tenet) ipsa vitia Vitellii pro virtutibus interpretabantur. Absurda est ratio eorum, qui cum Ernestio aliisque veterum interpretum verbum *imperandi* accipiunt significatu passivo. Exempla, quibus eum usum student probare, aliam plane usurpant rationem. Male etiam Ryckius e MS. Agr. recepit *impetrandi* pro *imperandi.* Quid enim impetrare cuperent nisi imperium? Iam vero melius dicemus *aviditatem imperandi* eodem sensu. Gronmanno tamen placet *impetrandi*, qui coniecturam Ryckii esse dicit. At scriptura MS. Agr. est. *Vitia* ne intelligas illam humilitatem apud severos aut dilargitionem sui alienique, sed turpiora *(wirkliche Laster).* Cogita de Vitellii gula.

multi in utroque etc. Vetus punctum ante *multi* Oberlinus cum Bipont. sustulerat, ut ita multi in utroque exercitu, sicut modesti quietique, ita mali et strenui, ipsa vitia pro virtutibus interpretati dicerentur. Miror tam pinguem ineptamque locutionem viris doctis placuisse. Quid enim modesti quietique et mali strenuique commune habeant cum iis, qui vitia pro virtutibus interpretabantur, non video, nec quid sibi velit illud *sed* ab initio sequentis loci. Alia plane horum verborum ratio est. Pergit Noster in describendo habitu exercituum. *Mali* opponuntur *quietis, strenui modestis.* Sententia est: is quidem omnino erat habitus utriusque exercitus, ut inter multos quietos (h. e. qui res novas non cu-

strenui: sed profusa cupidine et insigni temeritate legati legionum Alienus Caecina et Fabius Valens: e quibus Valens infensus Galbae, tamquam detectam a se Verginii cunctationem, oppressa Capitonis consilia ingrate tulisset, instigare Vitellium ardorem militum ostentans. ipsum celebri ubique fama, nullam in Flacco Hordeonio moram, adfore Britanniam, secutura Germanorum auxilia, male fidas provincias, precarium seni imperium et brevi transiturum. panderet modo sinum et venienti Fortunae occurreret. merito dubitasse Verginium equestri familia, ignoto patre, imparem, si recepisset imperium, tutum, si recusasset. Vitellio tres patris consulatus, censuram, collegium Caesaris et imponere iampridem imperatoris dignationem et auferre privati securitatem.

gerent) et modestos (qui ardua non peterent) multi etiam essent mali (inquieti, turbulenti. cf. c. 54. *inter malos*) et strenui (alacri et forti animo ad capessenda civilis belli pericula, δραστήριοι): sed praecipue profusa cupidine et insigni temeritate praecellebant legati legionum etc. Ceterum *sed* ferunt MSS. Flor. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) et deinde Lips. (postrema) Pich. sqq. — MS. Bud. et inde edd. Rhenan. Ald. sqq. babent: *Et profusa cupidine, insigni temeritate* etc. Pro *et strenui* MSS. Harl. Bodl. dant *et extremi*, in margine *et strenui*. Hoc etiam MS. Guelf. habet a sec. manu: quid ante fuerit, Ernestio adsequi non licuit. Mihi indubia vestigia voc. *extremi* ibi apparuerunt. Pro *temeritate* in ed. Spir. video *teneritate*.

Alienus Caecina. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Reg. Agr. Corb. Bud. edd. Spir. (haec *Cecina*) Lips. Pich. sqq. Consentit Xiphil. cf. Reimar. ad Xiphil. 65, 10. — *A. Caecina* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. *(Cecina)* Ber. Rhen. Ald. (haec *Caecinna*, de more). Sunt tamen qui plenum viro nomen vindicent: *A. Alienus Caecina*. cf. Ryck. ad h. l. et Reinesius in Var. Lect. 1, 17.

detectam a se V. cunctationem. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Put. M. et V. (*contationem*) Beroald. Alc. *(conctationem)* Lips. Pichen sqq. — *decretam a se V. cunctationem* ed. Spir.; *discretam* MS. Reg. Sed cf. c. 8 et 9. — *detecta a se V. cunctatione* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. — *Verginii* MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq.; *Virginii* MS. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. ad Lips. cf. not. ad c. 8.

Hordeonio. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Ald. Lips. sqq. — *Ordeonio* MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. Alc. Rhen. Infra c. 54. omnes habent *Hordeonius*.

secutura. Ed. Spir. *secuta*. Eadem mox omittit *seni*.

Verginium. Libri, ut antea. At c. 58. omnes ferunt *Verginium*.

imperium, tutum. Ed. Spir. *in impium tutum*.

collegium Caesaris. cf. Sueton. Vitell. c. 2.

et imponere ... et auferre. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.)

LIII. Quatiebatur his segne ingenium, ut concupisceret magis quam ut speraret. At in superiore Germania Caecina, decora iuventa, corpore ingens, animi immodicus, scito sermone, erecto incessu, studia militum inlexerat. hunc iuvenem Galba quaestorem in Baetica impigre in partes suas transgressum legioni praeposuit: mox compertum publicam pecuniam avertisse ut peculatorem flagitari iussit. Caecina aegre passus miscere cuncta et privata vulnera rei publicae malis operire statuit. nec deerant in exercitu semina discordiae, quod et bello adversus Vindicem universus adfuerat, nec nisi occiso Nerone translatus in Galbam atque in eo ipso sacramento vexillis inferioris Germaniae praeventus erat. Et Treveri ac Lingones, quasque alias civitates atrocibus edictis aut damno finium Galba perculerat, hibernis legionum propius miscentur. unde seditiosa collo-

Reg. Corb. edd. Spir. Pich. Gruter. — *imponere ... et auferre* omissa priore copula edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. Utramque copulam omittunt MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. et nuper Oberlin. sqq. Sed molesta sunt asyndeta cumulata ad taedium usque languidamque efficiunt orationem, praesertim cum duo illa *et imponere ... et auferre* invicem sint opposita. Ed. Spir. omittit vocabulum *privati*.

Cap. 53. *quam ut speraret.* Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Pich. Bernegg. sqq. — *quam speraret*, omisso *ut*, MSS. Bud. Agr. Corb. Reg. edd. Spir. Rhen. Ald. Lips. Grut.

at in sup. G. MS. Flor. teste Victorio pro *at* scribit *ad*, vulgari litterarum confusione.

decora iuventa. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *decori iuventa* MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir., ut duo distinguas et *decori* accipias in ablativo. Sed praestat vulgatum, adhaesitque illud *i* e voc. sequenti.

scito sermone. E coniectura Lipsii sic edidere Ernest. sqq. — *cito sermone* MSS. et vett. edd. Quaeritur an *cito sermone* sit ταχύγλωσσος h. e. pronior in sermonem *(gesprächig)*, facilis in adloquendis militibus. Sic *cito credere* apud Ovid. Art. Am. 3, 685. h. e. facilem esse in credendo. Sed praestat Lipsii emendatio; littera postrema praecedentis verbi absorpsit litteram *s*.

inlexerat. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) edd. Pich. sqq. — *illexerat* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alciat. — *allexerat* MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. Lips. Gruter.

Baetica. Sic edd. Lips. sqq. — *Bethica* MS. Guelf. ed. Spir. — *Betica* edd. Put. Beroald. Alciat. Rhen. Ald.

Vindicem. Ed. Beroald. *Vindecem*, et mox *preculerat*.

in Galbam. Ed. Spir. *in Galba*.

unde seditiosa. MS. Corb. ed. Spir. *unde et seditiosa*.

quia et inter paganos corruptior miles et in Verginium favor cuicunque alii profuturus.

LIV. Miserat civitas Lingonum vetere instituto dona legionibus dextras, hospitii insigne. legati eorum in squalorem maestitiamque compositi per principia, per contubernia modo suas iniurias, modo civitatum vicinarum praemia, et ubi pronis militum auribus accipiebantur, ipsius exercitus pericula et contumelias conquerentes accendebant animos. nec procul seditione aberant, cum Hordeonius Flaccus abire legatos, utque occultior digressus esset, nocte castris excedere iubet. inde atrox rumor adfirmantibus plerisque interfectos, ac nisi ipsi consulerent, fore ut acerrimi militum et praesentia conquesti per tenebras et inscitiam ceterorum occiderentur. Obstringuntur inter se tacito foedere legiones. adsciscitur auxiliorum miles, primo suspectus, tanquam circumdatis cohortibus alisque impetus in le-

Cap. 54. *Lingonum.* Ed. Spir. *Lingonium.*

dextras. cf. Montefalcon. in Antiq. Expl. t. 3. pl. 197. Noster infr. 2, 8.

insigne. MS. Bud. *insignes.* Ed. Put. V. *insingne.*

modo suas. MS. Flor. teste Victorio *modo in suas.*

civitatum. Ed. Beroald. (cum silentio Victorii) *civitatium.* cf. not. ad An. 3, 63. 4, 14. MS. Guelf. *vicinarum civitatum.*

auribus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Bud. Guelf. Reg. Ies. (a sec. manu) edd. Pich. Lips. (1607.) Grut. sqq. — *animis* edd. Spir. Put. sqq. ad Pichenam.

utque occultior. Ed. Spir. *ut qui occultior*, quod vitium e compendio scripturae ortum puta.

adfirmantibus. Sic MS. Flor. teste Victorio. *affirmantibus* MS. Guelf. edd. vett. — MSS. Reg. Corb. ed. Spir. ante *affirmantibus* addunt *et*, ut haec coniungas cum verbo *obstringuntur*, quanquam ed. Spir. post *occiderentur* punctum ponit. MS. Guelf. post *rumor* habet rasuram eo loco, ubi illi libri ferunt *et.*

nisi ipsi consulerent. Sic MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Agr. Bud. Guelf. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. et deinde Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *ni sibi consulerent* edd. Rhen. (ex ingenio) Ald. sqq. ad Ryckium. — *nisi consulerent* MS. Harl.

fore ut. Ed. Spir. *forĕt ut.*

inscitiam. MS. Bud. *inscientia.* Hinc Rhenanus coniecit *inscitia* non satis feliciter, ut mihi videtur. Solet quidem Noster variare structuram: sed hic verba *per tenebras et inscitiam* artius cohaerent, ut unum explicet alterum.

adsciscitur. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. et ed. Spir. — *asciscitur* edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald.

alisque. Ed. Spir. *aliisque.* Eadem mox *in legione impetus.* Teste Victorio etiam MS. Flor. habet *in legione.*

giones pararetur, mox eadem acrius volvens, faciliore inter malos consensu ad bellum quam in pace ad concordiam.

LV. Inferioris tamen Germaniae legiones solemni Kalend. Ianuariarum sacramento pro Galba adactae multa cunctatione et raris primorum ordinum vocibus, ceteri silentio proximi cuiusque audaciam exspectantes, insita mortalibus natura propere sequi quae piget inchoare. sed ipsis legionibus inerat diversitas animorum. primani quintanique turbidi adeo, ut quidam saxa in Galbae imagines iecerint: quintadecuma ac sextadecuma legiones nihil ultra fremitum et minas ausae initium erumpendi circumspectabant. At in superiori exercitu quarta ac duodevicesima legiones

acrius volvens. Sic MSS. et edd. ante Rhenanum, in cuius editionem vitio operarum inrepsit *acrius volens*, idque dein in libris propagatum est usque ad Iac. Gronovium, qui suadente Ryckio *volvens* restituit. De locutione cf. not. ad An. 1, 64.

Cap. 55. *Inferioris tamen.* Sic MSS. Guelf. Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *inferioris inde* edd. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc., quam varietatem e compendio scripturae ortam facile cum Ernestio credideris.

primani. Ed. Spir. *perimani.*

iecerint. Sic MS. Guelf. edd. vett. (cum sil. Vict.) et recentt. — *iecerit* MSS. Harl. Bodl.

quintadecuma ac sextadecuma. Sic MS. Flor. test. Vict. — *quinta decima ac sexta decima* MS. Guelf. edd. vett. et recentt. cf. not. ad An. 1, 17.

at in superiori exercitu. Sic MSS. Bodl. Reg. Corb. Bud. Guelf. (in margine), edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. sqq. usque ad Ernestium, qui e MSS. Guelf. (a prima manu) Harl. les. dedit *at in superiori*, omisso *exercitu* et intellecto *Germania.* Restituo veterem scripturam, quae in se nil habet, quo offendamur, et meliorum librorum nititur auctoritate. Videtur etiam vocabulum *Germaniae* longius abesse, quam ut commode hic intelligi possit. *Superior exercitus* pro *superioris Germaniae exercitus* probum est. cf. An. 1, 31. 36. 37. 40. Cum Tacitus alibi ablativum constanter exhibeat *superiore* (cf. infr. c. 61. et 4, 37.), coniicio formam *superiori* contra Taciti usum inrepsisse.

duodevicesima. Sic MSS. Bud. Guelf. Bodl. (a pr. manu) Agr. (a sec. m. — a prima manu *quarta et duodecima*) edd. Put. Beroald. (c. silent. Vict.) Alc. Rhenan. Ald. et Lipsii priores; deinde Pich. sqq. — *duo et vicesima* MSS. Flor. (test. Pich.) Covarruv. Corb. edd. Spir. (haec *due vicesimae*) et Lipsii posteriores. Sed Pichena ad hunc locum scribit: „Duo exercitus in Germania fuerunt. Superior Hordeonio Flacco, inferior Vitellio parebat. Vitellius ad bellum in Italiam proficiscens suum militem aut cum Valente praemisit aut ipse duxit: et ex superioris Germaniae legionibus partem Caecinae ducendam tradidit, partem ad tutandam Rheni ripam Flacco reliquit, et in-

iisdem hibernis tendentes ipso Kalend. Ianuariarum die dirumpunt imagines Galbae, quarta legio promptius, duodevicesima cunctanter, mox consensu. ac ne reverentiam imperii exuere viderentur, senatus populique Romani oblitterata iam nomina sacramento advocabant, nullo legatorum tribunorumve pro Galba nitente, quibusdam ut in tumultu notabilius turbantibus. non tamen quisquam in modum concionis aut suggestu locutus. neque enim erat adhuc, cui imputaretur.

ter eas, ut paulo infra ostenditur, *duodevicesimam.* nam duoetvicesima cum Vitelliano in Italia exercitu semper fuit, ut libro seq. in fine (c. 100.) et libro tertio non semel apparet. Et quod duodevicesima in Germania remanserit, patet libro quarto (c. 24 et 37.), cum a Civili vetera castra obsessa fuerunt, ubi in optimis exemplaribus legitur: *Dillio Voculae duodevicesimae legionis legato:* quod perperam Rhenanus mutavit *duoetvicesimae.* nam et inferius eod. libro quarto has duas legiones, *quartam* et *duodevicesimam*, simul nominat. ait enim *primani, quartanique et duodevicesimani.* Recte igitur hic *duodevicesima*, et paulo infra *duodevicesimae et duodevicesimam.*" Cap. 56. etiam ed. Spir. habet *quartam et duodevicesimam.* cf. not. ad 4, 24 et 37.

iisdem hibernis. Ed. Spir. *isdem ibernis.*

dirumpunt. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Ald. Lips. sqq. — *dirrumpunt* edd. Put. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Acidalius volebat *diruunt* vel *deripiunt:* hoc placet Freinshemio, illud Heinsio. Frustra utrumque.

promptius. Ed. Spir. *prope.* Mox *due et vicesima.*

cunctanter. Sic edd. Pich. sqq. — *contanter* edd. Put. M. et V. Lips. — *conctanter* edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. — *cunctantur* ed. Spir. — *cunctatur* MS. Corb. — *constanter* MS. Guelf.

mox consensu. Hodiernam huius loci interpunctionem auctore Lipsio Pichena induxit. Ed. Spir. *cunctantur: mox consensu at ne* etc. Edd. Put. *contanter. Mox consensu. Ac ne* etc. Edd. Alc. Rhenan. Ald. sqq. *conctanter. Mox consensu, ac ne* etc.

sacramento advocabant. Sic MSS. Corb. Agr. ed. Spir. et suadente Iac. Gronovio Ernestius sqq. — *in senatus .... nomina, sacramenta advocabant* MSS. Bud. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Ernestium. — *sacramenta advocabant* (omisso *in* ante *senatus*) MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Harl. Bodl. Ies.

aut suggestu. Sic MSS. et vett. edd. omnes. Oberlinus sqq. e coniectura Groslotii et Ryckii dedere *e suggestu*, deleto *aut.* Frustra. Non enim quaeritur de loco, unde quis locutus sit, sed de modo et ratione loquendi. Igitur verba *in modum concionis aut suggestu* constituunt ἓν διὰ δυοῖν dicuntque neminem in modum concionis posito suggestu locutum esse. Victorius in suo exemplari vocabulum *suggestu* lineola subscripta notavit, uti solet in vocabulis, quae a MS. Flor. absunt. Sed neque Pichena neque I. Gronovius quidquam de hoc vocabulo prodiderunt.

imputaretur. MS. Guelf. *imputarentur.*

LVI. Spectator flagitii Hordeonius Flaccus consularis legatus aderat, non compescere ruentes, non retinere dubios, non cohortari bonos ausus, sed segnis, pavidus et socordia innocens. quattuor centuriones duodevicesimae legionis, Nonius Receptus, Donatius Valens, Romilius Marcellus, Calpurnius Repentinus, cum protegerent Galbae imagines, impetu militum abrepti vinctique. nec cuiquam ultra fides aut memoria prioris sacramenti, sed, quod in seditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuere. Nocte, quae Kal. Ianuarias secuta est, in coloniam Agrippinensem aquilifer quartae legionis epulanti Vitellio nuntiat quartam et duodevicesimam legiones proiectis Galbae imaginibus in senatus et populi Romani verba iurasse. id sacra-

CAP. 56. *ruentes.* Ed. Spir. *mentes.*

socordia innocens. Innocens in hoc contextu intelligitur, qui a seditione novisque rebus alienus est. Iam vero Flaccus non fide et iudicio et Galbae amore, sed socordia innocens mansit, quippe qua odisset quidquid quietem sibi turbaturum esset. Sic *segnem innocentiam* legimus An. 14, 51. Addit haec auctor, ne quis putet et ipsum Flaccum seditionis fautorem adstitisse, quia neque compescebat ruentes neque cohortabatur bonos. Nil igitur opus est emendatione Boxhornii: *inter nocentes*, aut Gronovii: *socordia nocens*, aut Heinsii: *in socordiam nocens*. Alii vulgatam scripturam ita explicant, ut *socordia innocens* sit culpa vacuus et excusatus ob socordiam. Dureau de Lamalle: *sa lâcheté fait sa iustification*. Ernestius: „hoc nomine tantum innocens, quod nihil egit contra Galbam." Strombeck.: *nur durch Dummheit schuldlos*. Gutmann.: *aus Schlaffheit schuldlos*. Ricklefs.: *aus Schlaffheit unschuldig*.

Nonius Receptus. Ed. Spir. *nouimus receptus.* Antea pro *legionis* eadem habet *legiones.* MS. Corb. dat *Novius* pro *Nonius*. In MS. Guelf. sec. manus ita superscripsit *v*, ut legas *Nonuius*; prius fuit *Nonius*.

Romilius. Sic MSS. Reg. Corb. edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. sqq. — *Romulus* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Spir. Puteol. M. et V. cf. not. ad c. 59.

Calpurnius. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. — *Calphurnius* MS. Guelf. edd. vett. — Mox pro *abrepti* MS. Bud. dat *obiecti.*

nocte, quae etc. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *nocteque*, vulgari vitio, quod e comp. scr. ortum est.

in coloniam. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich. et Iac. Gron.) Guelf. Reg. Corb. (et, nisi fallor, et alii codd.) edd. Spir. Put. M. et dein Pich. sqq. — Ex ed. Put. V. excidit praepositio *in* vitio operarum, ut videtur, quod vitium retinuerunt Beroald. Alc. Rhen Ald. Lips. Gruter.

et populi Romani. Ed. Spir. *ac populi ro.* Eadem *iurauisse* pro *iurasse*; *mane* pro *inane.*

mentum inane visum. occupari nutantem Fortunam et offerri principem placuit. missi a Vitellio ad legiones legatosque, qui descivisse a Galba superiorem exercitum nunciarent: proinde aut bellandum adversus desciscentes aut, si concordia et pax placeat, faciendum imperatorem: et minore discrimine sumi principem quam quaeri.

LVII. Proxima legionis primae hiberna erant et promptissimus e legatis Fabius Valens. is die postero coloniam Agrippinensem cum equitibus legionis auxiliariorumque ingressus imperatorem Vitellium consalutavit. secutae ingenti certamine eiusdem provinciae legiones: et superior exercitus speciosis senatus populique Romani nominibus relictis III. Nonas Ianuarias Vitellio accessit. scires illum priore biduo non penes rem publicam fuisse. Ardorem exercituum Agrippinenses, Treveri, Lingones aequabant, auxilia, equos, arma, pecunias offerentes, ut quisque corpore, opibus, ingenio validus.

proinde. Sic MS. Guelf. edd. vett. omnes (c. sil. Vict.). cf. not. ad An. 3, 17.

aut bellandum. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. In MS. Ies. deest *aut*. MS. Reg. et ed. Spir. *ad bellandum*.

minore. Ed. Spir. *minori*.

quaeri. MS. Guelf. *queri*, vulgari confusione.

Cap. 57. *die postero*. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Put. sqq. — *die proximo* MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Agr. Reg. Corb. ed. Spir. In margine MS. Flor. (test. Ryck.) legitur *al. postero*. Utrum sit a Tacito, dubium videri potest.

ingressus. Sic MS. Guelf. edd. vett. cum silent. Vict. — Ryckius tamen testatur in MS. Flor. legi *gressus*, in Agr. *egressus*, unde ipse cum amico coniectabat *praegressus*. Frustra, immo male.

ingenti certamine. MSS. Covarruv. et Bud. *ingenti agmine*. Mox *tertio nonas* edd. Spir. et Ryck.; *III nonas* MS. Guelf. edd. Put. sqq.; *tertium nonas* edd. Iac. Gronovii et Broterii, ut e MS. Flor.

Vitellio. Ed. Spir. *Vitelli9*. MS. Guelf. *Victellio*.

fuisse. Ardorem etc. Sic interpungunt edd. Rhen. sqq. — *fuisse ardorem* etc. MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. Alc., et Put. Beroald. Alc. quidem punctum ponunt ante *Agrippinenses;* ed. Spir. sine ulla distinctione pergit datque *Agripienses*. Eadem mox omittit *equos*.

pecunias. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. *pecuniam*. Vulgatum inest edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq.

ingenio validus. Vocem *ingenio* non concoquebant Lipsius, Acidalius, Ernestius, vitiumque subesse suspicabantur. Pichena illam accipit de senibus invalidis, qui ingenio adiuvarent, sc. ceteros populares ambitu, concionibus et consilio accendendo. Ricklefsius ante *offerentes* interponit

Nec principes modo coloniarum aut castrorum, quibus praesentia ex adfluenti et parta victoria magnae spes: sed manipuli quoque et gregarius miles viatica sua et balteos phalerasque, insignia armorum argento decora loco pecuniae tradebant instinctu et impetu et avaritia.

LVIII. Igitur laudata militum alacritate Vitellius ministeria principatus per libertos agi solita in equites Romanos disponit: vacationes centurionibus ex fisco numerat: saevitiam militum plerosque ad poenam exposcentium saepius adprobat, partim simulatione vinculorum frustratur. Pompeius Propinquus procurator Belgicae statim interfectus. Iulium Burdonem Germanicae classis praefectum astu subtraxit. exarserat in eum iracundia exercitus, tanquam crimen ac mox insidias Fonteio Capitoni struxisset. grata erat memoria Capitonis: et apud saevientes occidere palam, ignoscere non nisi fallendo licebat. ita in custodia habitus et post victoriam demum stratis iam militum odiis dimissus est.

se ipsos, et ita locum sanari putat. Sed nulla hic medela opus est. Verba *ingenio validus* referenda sunt ad artifices in armis aliisque belli instrumentis fabricandis versatos. Sic *Daedalus ingenio fabrae celeberrimus artis* apud Ovid. Met. 8, 159.

nec principes. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *nec princeps.*

praesentia. Sic MS. Guelf. edd. Rhen. Ald. sqq. — *praesentes* MS. Agr. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *pñtes* ed. Spir.

ex adfluenti. Sic Noster Agr. c. 15. *tanquam ex facili tolerantibus.* Structura Graeca, de qua vid. Matth. Gramm. § 574.

manipuli quoque et gregarius miles. cf. Roth. p. 46.

phalerasque. Ed. Spir. *fallerasque.* Eadem *et insignia.*

Cap. 58. *ex fisco.* MS. Guelf. *ex physco.*

partim simulatione. Sic e Lipsii coniectura edd. Pich. sqq. — *pari simulatione* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Rhenan. Ald. Lips. Gruter. In MS. Guelf. sec. manus ante *pari* addidit *et*. — I. Fr. Gronovius in diatr. ad Statii Silv. c. 29. p. 181. intelligit *pari* ac Otho c. 45., quod contortum est. — *parum simulatione* MS. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc., quod facillime potuit oriri e *partim.*

Burdonem. Sic MS. Guelf. (a sec. manu) edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *Burdunem* MSS. Guelf. (a pr. manu) Harl. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc.

stratis iam m. odiis. Sic vulgo MSS. et edd. Spir. Put. sqq. — *statis* pro *stratis* ferunt MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Reg. — Ed. Bernegg. ex emendatione Freinshemii habet *satiatis i. m. odiis.* Rhenanus coniecit *frustratis i. m. animis.* Sed nihil laborat vetus scriptura eamque restituit I. Fr. Gronovius.

Interim ut piaculum obiicitur centurio Crispinus. sanguine Capitonis se cruentaverat, eoque et postulantibus manifestior et punienti vilior fuit.

LIX. Iulius deinde Civilis periculo exemptus, praepotens inter Batavos, ne supplicio eius ferox gens alienaretur. et erant in civitate Lingonum octo Batavorum cohortes, quartaedecumae legionis auxilia, tum discordia temporum a legione digressae, prout inclinassent, grande momentum sociae aut adversae. Nonium, Donatium, Romilium, Calpurnium centuriones, de quibus supra rettulimus, occidi iussit damnatos fidei crimine, gravissimo inter desciscentes. Accessere partibus Valerius Asiaticus Belgicae provinciae legatus, quem mox Vitellius generum adscivit, et Iunius Blaesus Lugdunensis Galliae rector cum Italica legione et ala Taurina Lugduni tendentibus. nec in Raeticis copiis mora, quo minus statim adiungerentur. ne in Britannia quidem dubitatum.

sanguine C. se cruentaverat. Sic edidimus ex emendatione I. Gronovii, quae nititur auctoritate MSS. Flor. Reg. Corb. Agr. ed. Spir., qui libri ferunt *sanguine Capitonis cruentaverat*, omisso *se*, quod facillime potuit absorberi inter vocabula *Capitonis* et *cruentaverat*. Ex ea omissione dein exorta est scriptura: *qui se sanguine C. cruentaverat*, quam praeferunt vulgus MSStorum et edd. Put. sqq.

et postulantibus. MS. Guelf. *ut postulantibus.*

Cap. 59. *Batavorum.* Ed. Spir. *bactauorum:* ante tamen *batauos.*

sociae aut adversae. MS. Corb. *aversae*, vulgari confusione.

Nonium, Donatium. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Rhen. sqq. — *Nonium donatum* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *Nouium donatiuum* ed. Spir.

Romilium. cf. not. ad c. 56. Hic *Romulium* edd. Spir., Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *Romulum* MS. Guelf. edd. Put. — *Romilium* MS. Bud. edd. Rhen. sqq.

Calpurnium. Libri, ut supra c. 56.

Belgicae. Ed. Spir. *Belginae.*

adscivit. Sic MS. Guelf. ed. Spir. — *ascivit* edd. Put. Beroald. sqq. Victorius litteram *c* puncto subscripto notavit, tanquam in MS. Flor. non appareret.

ala Taurina. Sic MS. Bud. edd. Rhen. sqq. et sic infr. c. 64. et 2, 66. — *ala Tauriana* codd. MSS. Guelf. aliique, edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc.

Lugduni. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. (a sec. manu) edd. Put. Rhen. sqq. — *lugdunium* ed. Spir. — *Lugdunum* MS. Guelf. (a pr. manu) edd. Beroald. Alc.

Raeticis. cf. not. ad An. 1, 44. Hic ed. Spir. *reticis.* — MS. Guelf.

LX. Praeerat Trebellius Maximus per avaritiam ac sordes contemptus exercitui invisusque. accendebat odium eius Roscius Caelius legatus vicesimae legionis, olim discors, sed occasione civilium armorum atrocius proruperat. Trebellius seditionem et confusum ordinem disciplinae Caelio, spoliatas et inopes legiones Caelius Trebellio obiectabat, cum interim foedis legatorum certaminibus modestia exercitus corrupta eoque discordiae ventum, ut auxiliarium quoque militum conviciis proturbatus et adgregantibus se Caelio cohortibus alisque desertus Trebellius ad Vitellium perfugerit. quies provinciae quanquam remoto consulari mansit: rexere legati legionum, pares iure, Caelius audendo potentior.

LXI. Adiuncto Britannico exercitu ingens viribus opibusque Vitellius duos duces, duo itinera bello

edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Lips. prima *Rheticis;* posteriores Lips. sqq. *Rhaeticis.*

Cap. 60. *Praeerat.* Edd. Put. cum MS. Guelf. *preerat.* Mox *avaritiam ac sordes* sunt synonyma. cf. Roth. p. 8. Vid. supr. c. 52.

vicesimae. MS. Flor. (t. Vict.) *vicensimae*, et sic saepius ille codex. Ed. Spir. vocabulum *olim* collocat post *legatus.*

proruperat. Sic MSS. Flor. (a pr. manu, dein a sec. manu adscriptum est *n*, teste Iac. Gronovio) Guelf. (ibi est *prorumperat*) Harl. edd. Spir. Ernest. Broter. sqq. — *proruperant* MSS. Bud. Corb. Ies. Agr. edd. Put. Beroald. (c. sil. Vict.) sqq. ad Ernestium, qui animadvertit verbum *discors* satis indicare de uno tantum sermonem esse.

Trebellio. MS. Flor. (test. Vict.) *Tribellio.* Antea *Trebellius* Victorio intactum mansit.

conviciis. Sic edd. Lips. Grut. Gron. sqq. — *convitiis* MS. Guelf. edd. ante Lips. (cum silent. Vict.) et post Lipsium edd. Pich. et Bernegg.

proturbatus. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Pich. Grut. sqq. *proturbantibus* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. ad Pichenam. Veterem scripturam restituendam esse iam Lipsius viderat. MSS. Bodl. Ies. Guelf. (de quo Ernestius falsus est) *perturbatus*, vulgari confusione.

adgregantibus. Sic MS. Flor. teste Victorio. *aggregantibus* vett. edd. cum MS. Guelf.

alisque. Ed. Spir. *aliisque.*

perfugerit. Sic MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. *profugerit* MS. Agr. ed. Spir. — Ernestius perperam volebat *perfugeret.*

audendo. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *audiendo*, vulgari vitio. cf. not. ad c. 6.

Cap. 61. *viribus opibusque.* Synonyma. cf. Roth. p. 8. Ita et infr. 4, 86. *opes viresque.* An. 1, 11. *opes publicae continebantur* etc.

destinavit. Fabius Valens adlicere vel, si abnuerint, vastare Gallias et Cottianis Alpibus Italiam inrumpere, Caecina propiore transitu Peninis iugis degredi iussus. Valenti inferioris exercitus electi cum aquila quintae legionis et cohortibus alisque ad quadraginta millia armatorum data: triginta millia Caecina e superiore Germania ducebat, quorum robur legio una, primaetvicesima, fuit. addita utrique Germanorum auxilia, e quibus Vitellius suas quoque copias supplevit, tota mole belli secuturus.

LXII. Mira inter exercitum imperatoremque diversitas. instare miles, arma poscere, dum Galliae tre-

---

vel si abnuerint. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. — *vel si abnuerent* edd. Rhen. sqq. Sed *abnuerent* exprimit detrectationem durantem, et hic sermo est de facto, quod fit in temporis momento. Namque *abnuerent* et *abnuerint* aeque diversa sunt atque *abnuebant* et *abnuerunt.*

Cottianis. Sic edd. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Bernegg. sqq. — *Cotianis* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. Lips. Pich. Grut. — *quotidianis* ed. Spir. — *quottidianis* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. cf. infr. c. 87. et 4, 68.

Peninis. Sic edd. Lips. sqq. — *Poeninis* edd. Rhenan. Ald. — *apēnini* ed. Spir. — *a peninis* edd. Put. M. et V. — *apeninis* edd. Beroald. Alc. E MS. Flor. Victorius adfert *pennis*, quod ipse corrigit *peninis.* cf. Liv. 21, 38. ibique interpretes. MS. Guelf. *a poenninis.*

degredi. Sic edd. Rhen. (e MS. Bud.) Ald. sqq. — *digredi* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. — *disgredi* ed. Spir. cf. An. 2, 54. 4, 49.

electi cum aquila quintae etc. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *electum aquilex quintae* ed. Spir. — *aquilex* etiam MSS. Reg. Vatic., unde Lipsius coniiciebat *cum aquila decimae quintae.* MSS. Corb. Agr. *aquilis.*

alisque. Ed. Spir. *aliisque*, ut supra.

millia. MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. *milia*, et sic saepius; MS. Guelf. constanter.

e superiore. Ed. Spir. *ex superiore.*

legio una, primaetvicesima. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Bud. Guelf. Agr. Corb. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. sqq., nisi quod edd. ante Lipsium et Lips. prima omittunt virgulam ante *prima*, quam is addidit. Etenim edd. Spir. Put. et Ber. virgulam non usurpant, contentae sunt puncto et duplici puncto. Ed. Spir. et MS. Reg. omittunt *prima* leguntque *una et vicesima*, ut c. 67. et sic volebant Lipsius, Ernestius, Lallemandus: immo Freinshemius eam scripturam in contextum admisit. Veterem scripturam Ryckius revocavit. Recte. Nam cum emphasi ponitur *una*, ut bene vidit Oberlinus. In MS. Harl. deletum est *una.*

Cap. 62. *Mira inter exercitum* etc. Ed. Spir. *Mirante exercitum* etc.

pident, dum Hispaniae cunctentur. non obstare hiemem neque ignavae pacis moras. invadendam Italiam, occupandam urbem. nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi facto magis quam consulto opus esset. Torpebat Vitellius et fortunam principatus inerti luxu ac prodigis epulis praesumebat medio diei temulentus et sagina gravis, cum tamen ardor et vis militum ultro ducis munia implebat, ut si adesset imperator et strenuis vel ignavis spem metumque adderet. instructi intentique signum profectionis exposcunt. Nomen Germanici Vitellio statim additum: Caesarem se appellari etiam victor prohibuit. Laetum augurium Fabio Valenti exercituique, quem in bellum agebat, ipso profectionis die aquila leni meatu, prout agmen incederet, velut dux viae praevolavit: longumque per spatium is gaudentium militum clamor, ea quies interritae alitis

et fortunam. Ed. Spir. *et fortuna.* Antea MS. Guelf. *torpedat* pro *torpebat.*

inerti luxu. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. (cum silent. Vict.) — MS. Corb. *in inerti.* — Ed. Spir. *in inermi.*

ardor et vis. Haec Roth. p. 9 inter synonyma habet, dubito an recte.

et strenuis vel ignavis. Ed. Spir. *et strenuus et ignavus.* Ed. Put. V. *et strenuisve ignavis*, vitio typ.; MS. Guelf. *et strenuus vel ignavus.*

intentique. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. Reg. edd. Spir. Lips. sqq. et sic Lipsius in suis libris reperit. — *interritique* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. usque ad Lipsium.

nomen Germanici Vitellio statim additum. Sic MSS. Reg. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silentio Victorii) Alc., et nuper Ernest. Brot. sqq. — *nomine . . . addito* MSS. Bud. Corb. edd. Spir. Rhen. sqq. ad Ernest. Et Rhen. Ald. Lips. Pich. Grut. ponunt virgulam post *exposcunt*, punctum ante *Caesarem.* Edd. Bernegg. sqq. utroque loco ferunt signum (:). Rectius distingueres: *exposcunt. Nomine . . . addito, Caesarem* etc. Sed praestat recepta scriptura. Ceterum cf. infr. 2, 62. 3, 58. Sueton. Vitell. c. 8. Plutarch. Galb. c. 22. Reimar. ad Xiphil. 65, 1.

se appellari. Ed. Spir. *appellari se.* Eadem mox *imbellum* pro *in bellum.*

agebat. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Harl. Corb. edd. Spir. et dein Pich. sqq. — Victorius tamen intactum reliquit *cogebat*, quod exstat in MSS. Guelf. Bud. Bodl. Ies. edd. Put. Ber. sqq. ad Pichenam.

leni meatu. Sic suadente Acidalio edd. Pich. Lips. postrema sqq. — MSS. et vett. edd. *leui meatu*, vulgari confusione. Etenim syllabae *ni* et *ui* in MSS. non solum confunduntur, sed vix discernuntur.

spatium. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Lips. sqq. — *spacium* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Lipsium.

ea quies interritae alitis f. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. — *ea quies*

fuit, ut haud dubium magnae et prosperae rei omen acciperetur.

LXIII. Et Treveros quidem ut socios securi adiere. Divoduri (Mediomatricorum id oppidum est) quanquam omni comitate exceptos subitus pavor terruit, raptis repente armis ad caedem innoxiae civitatis non ob praedam aut spoliandi cupidine, sed furore et rabie et causis incertis eoque difficilioribus remediis, donec precibus ducis mitigati ab excidio civitatis temperavere. caesa tamen ad quattuor millia hominum. isque terror Gallias invasit, ut venienti mox agmini universae civitates cum magistratibus et precibus occurrerent, stratis per

interrita alitis f. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. — *ea quies interrita: ea ales fuit* MS. Corb. ed. Spir.

omen. Ed. Spir. *nomen.*

Cap. 63. *Treveros.* Sic edd. Lips. sqq. cum MS. Guelf. a sec. manu. — *Treviros* edd. ante Lips. cf. not. ad An. 1, 41.

ut socios. Ed. Spir. *et socios.*

Divoduri. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. et ed. Spir. scribit *diuo duri*, nulla distinctione ante *diuo* facta. — *Dinodurium* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. (ibi est *Dinodrium*) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *diuodric* MS. Bud. (test. Oberl.); *Devedruros* MS. Corb.

exceptos. Ed. Spir. *acceptos.*

terruit. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. et inter recentiores Iac. Gron. — *exterruit* MSS. Reg. Corb. Harl. (a sec. manu) edd. Spir. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. et post Iac. Gron. edd. Ernest. Brot. sqq. Nam legitimum in tali formula verbum esse *exterrere* adseveravit Ernestius. Sed non video quo nomine magis legitimum hic sit *exterrere* quam *terrere*, quod saepius Noster sic posuit. cf. An. 1, 65. *ducem terruit dira quies.* Ibid. c. 66. *equus clamore territus.*

raptis repente armis. Sic MS. Guelf. edd. omnes. Pichena e MS. Flor. adfert *raptisve repente a.*, unde ipse coniiciebat *raptisque*, I. Fr. Gronovius *raptis derepente*, quod edidit Iac. Gronovius, qui tamen in MS. Flor. vidit *raptis aerepente*. Victorius locum silentio tramittit. Heinsius volebat *vi repentina*. Melius in vulgata scriptura acquiescimus. Nam parum momenti est in illa cod. Flor. varietate, quia syllaba litigata ponitur in fine versiculi et videtur esse pro syllaba prima sequentis vocis. Hinc illud Victorii silentium.

spoliandi cupidine. Sic MSS. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ryck. Ernest. sqq. — *spoliandi cupidinem* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. ad Ryckium et dein Iac. Gron. Nisi fallor, Tacitus scripsit *cupidinem*, quoniam variatio stracturae aequabilius et aptius incipit a sequentibus demum: *sed furore* etc. Quae si non adessent, recte defenderes *cupidine.*

ad quattuor millia. Ed. Spir. et MS. Corb. omittunt *ad.*

cum magistratibus et precibus. cf. Roth. p. 52. Desunt haec in MS. Guelf. Ceteri libri habent.

vias feminis puerisque, quaeque alia placamenta hostilis irae non quidem in bello, sed pro pace tendebantur.

LXIV. Nuntium de caede Galbae et imperio Othonis Fabius Valens in civitate Leucorum accepit. nec militum animus in gaudium aut formidinem permotus: bellum volvebat. Gallis cunctatio exempta, et in Othonem ac Vitellium odium par, ex Vitellio et metus. Proxima Lingonum civitas erat, fida partibus. benigne excepti modestia certavere: sed brevis laetitia fuit cohortium intemperie, quas a legione quartadecuma, ut supra memoravimus, digressas exercitui suo Fabius Valens adiunxerat. iurgia primum, mox rixa inter Batavos et legionarios, dum his aut illis studia militum adgregantur, prope in proelium exarsere, ni Valens animadver-

Ernestio suspectum erat additamentum *et precibus*, quod tamen satis apte hic legitur.

feminis puerisque. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) Agr. Bud. ed. Spir. — *pueris feminisque* MS. Guelf. edd. Put. sqq. Ricklefs. mire: *Kinder und Weiber hingewürgt an den Wegen.* Rectius alii.

non quidem in bello, sed pro pace. H. e. licet iis non esset bellum cum Romanis, ita tamen faciebant, ut pacem ab illis impetrarent. Acute dictum atque acerbe.

tendebantur. Sic MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *tendebant* MSS. Reg. Corb. Agr. ed. Spir., quod placet Ernestio. Nam in passivo, inquit, forte dixisset: *tenduntur.* cuius rei nullam video rationem. Utraque forma eodem sensu admitti potest. *Tenduntur* ab hoc loco alienum est. Efficit enim sententiam in universum dictam, qualis hic non legitur. Acidalius malebat *tentabantur.* Frustra. Nam *tendere* sic dicitur de supplicibus. cf. An. 2, 29. ibique not.

Cap. 64. *Leucorum.* Victorius e MS. Flor. adfert *Leuchrorum.* MS. Guelf. *Leucrorum.*

in gaudium aut formidinem. MS. Bud. *formidine* test. Rhen. et Oberl. — *in gaudio aut formidine* MS. Corb. ed. Spir.

bellum volvebat. Sic An. 3, 38. Ceterum distinctio *permotus: bellum volvebat* pridem fuit apud Puteolanum. Rhenanus male dederat *permotus, bellum volvebat.* Meliorem rationem Graevio suadente (ep. ad Heins. T. IV. coll. Burm. p. 158.) reduxit Ernestius. Frustra tamen idem Graevius coniecit: *volebant*, Heinsius: *volvebant.* Nam aptissime *animus militum* dicitur bellum volvisse.

cunctatio. Libri, uti solent in hoc vocabulo.

excepti. Ed. Spir. *accepti.*

a legione quartadecuma. Ed. Spir. *a legionibus quatuordecī*, quod vitium exortum est e nota *XIIII.* Ita edd. Put. et MS. Guelf.

iurgia primum, mox rixa . . . exarsere. Nihili erat interpunctio Ernestii: *Iurgia primum: mox rixa* etc. Nec opus est emendatione Freinshemii: *Iurgio primum* etc. Immo *iurgia* et *mox rixa exarsere*, ut An. 14, 21. *studia plebis.*

in proelium. MS. Guelf. *imperium.* Idem *admovisset* pro *admonuisset.*

sione paucorum oblitos iam Batavos imperii admonuisset. Frustra adversus Aeduos quaesita belli causa. iussi pecuniam atque arma deferre gratuitos insuper commeatus praebuere. quod Aedui formidine, Lugdunenses gaudio fecere. Sed legio Italica et ala Taurina abductae. cohortem duodevicesimam Lugduni solitis sibi hibernis relinqui placuit. Manlius Valens legatus Italicae legionis quanquam bene de partibus meritus nullo apud Vitellium honore fuit: secretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum et, quo incautior deciperetur, palam laudatum.

LXV. Veterem inter Lugdunenses Viennensesque discordiam proximum bellum accenderat. multae invicem clades, crebrius infestiusque quam ut tantum propter Neronem Galbamque pugnaretur. et Galba reditus

oblitos iam Batavos imperii admonuisset. Genitivus *imperii* ad utrumque verbum pertinet, ad *oblitos* et *admonuisset.* Simile exemplum exstat An. 2, 14. *si taedio viarum ac maris finem cupiant.* cf. Roth. Quaest. Gr. (*Neues Arch. f. Ph. u. P.* 1830. p. 28).

deferre. Ed. Spir. *deferrent.* Eadem mox *comeatus p̃imbuere.*

gaudio fecere. Faventes Vitellio contra Neronis suumque inimicum ituro. cf. c. 65.

legio Italica et ala Taurina. cf. supr. c. 59.

cohortem duodevicesimam. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Vatic. et Farnes. (test. Lips.) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. (haec *decimam octavam*) Pich. Grut sqq. — *cohortes XVIII* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. Ber. sqq. ad Pichenam. Et edd. Put. Ber. interpungunt: *abductae cohortes XVIII* etc. Rhenanus ante *cohortes* punctum posuit. At una tantum cohors praesidium Lugduni agitabat. cf. An. 3, 41. Ceterum ita et cohortes singulas praeter legiones habitas (cf. not. ad An. 1, 8) numero distingui docet etiam locus infr. c. 80. Vocabulum *Lugduni* abest a MS. Ies. — *Sibi* est in MSS. Flor. Agr. Guelf. aliisque (test. Brot.), edd. vett. — Rhenanus e Bud. dederat *ibi.* Vetus redditum est a Pichena.

hibernis. MS. Guelf. *hyberni.*

Manlius. Ed. Spir. cum MS. Agr. a manu sec. *Manilius.* Eadem ed. Spir. mox *tanquam* pro *quanquam; ignarus* pro *ignarum; laudatur* pro *laudatum.*

infamaverat. MS. Guelf. *infamerat.*

Cap. 65. *veterem inter L. V. discordiam.* „Cuius origo hinc repetenda. Primi Lugduni incolae, Vienna expulsi, iure oderant quos iniquissime sua per vim occupasse norant." Savilius ad h. l. cf. Dio 46, 50. Victorius vocabulum *Viennensesque* supposita lineola notavit, uti notare solet, quae in MS. Flor. non apparent. In MS. Guelf. et ed. Spir. deest *Viennensesque;* eadem ed. Spir. pro *Lugdunenses* fert *Lugdunensem.* Vulgatam scripturam habet Puteolanus, nisi quod scribit *vienensesque;* in sqq. *vienenses.*

pugnaretur. Ed. Spir. *purgaretur.*

reditus. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. *redditus.* Mox ed. Spir. *ire* pro *irae.*

Lugdunensium occasione irae in fiscum verterat: multus contra in Viennenses honor. unde aemulatio et invidia et uno amne discretis connexum odium. igitur Lugdunenses exstimulare singulos militum et in eversionem Viennensium impellere, obsessam ab illis coloniam suam, adiutos Vindicis conatus, conscriptas nuper legiones in praesidium Galbae referendo. et ubi causas odiorum praetenderant, magnitudinem praedae ostendebant. nec iam secreta exhortatio, sed publicae preces: Irent ultores, exscinderent sedem Gallici belli. cuncta illic externa et hostilia: se coloniam Romanam

occasione irae. Gutmann.: *in einer zornigen Stunde*; Ricklefs.: *im Ausbruch des Zorns*; Strombeck.: *von Zorn bewogen.* Sed haec non insunt. *Ira* hic ponitur, ut An. 1, 43. *irae civiles*, de discordia inter Galbam imperia capessentem et Lugdunenses pro Nerone conspirantes. Ea Galbae praebuit occasionem vertendi in fiscum reditus Lugdunensium.

in Viennenses. Ed. Spir. *vienēses* omisso *in*, quod absorpsit sequens syllaba *vi.*

et uno amne discretis connexum odium. *Uno amne* h. e. *bloſs durch einen Fluſs.* Ed. Spir. pro *discretis* dat *discretum.* Iohn Hill Tacitum vituperat, quod hic incongruam et ineptam antithesin admiserit in verbis *uno amne discretis connexum odium.* Quaerit ille: „quomodo potuit amnis eos discernens mutuum eorum odium connectere? Nonne in verbis: *decretis* et *connexum odium* antithesis falsa?" Respondet Buhle (p. 39): non esse antithesin; verba *uno amne discretis* absolute esse adposita.

ostendebant. MS. Guelf. *extendebant.*

exhortatio. Ed. Spir. *adhortatio.*

exscinderent. Sic edd. Lips. sqq.; *excinderent* edd. Put. sqq. ad Lipsium; *exciderent* MS. Guelf. ed. Spir. cf. An. 2, 25.

illic. MS. Guelf. *illi.*

se coloniam Romanam. Nonne et Vienna colonia Romana? cf. c. 66. *tum vetustas dignitasque coloniae* (Viennensis) *valuit* etc. Claudius in oratione marmori Lugdunensi incisa: *ornatissima ecce colonia valentissimaque Viennensium* etc. Ergo quaeritur, quo sensu Lugdunenses se dicant *coloniam Romanam* prae Viennensibus. Lipsius conii it Viennenses donatos colonico iure etsi civibus Romanis non deductis; Lugdunum contra magnam partem Romanis familiis stetisse. Boxhornius vocabulum *Romanam* accipit de fide, adfectu, obsequio in Romanos. Probat Ernestius, quod miror. Historia pugnat pro Lipsii sententia. Nam *Vienna* vetus erat urbs, quae ante Romanorum in Galliam adventum exstitit. cf Caes. B. G. 7, 9. Contra *Lugdunum* conditum est iubente senatu Romano. Nam Dio l. l. in actis a. u. 711. *οἱ γὰρ βουλευταὶ ἐπειδὴ ἐπύθοντο τὸν Σιλανὸν τὰ τοῦ Ἀντωνίου πράξαντα, ἐφοβήθησαν τόν τε Λέπιδον καὶ τὸν Πλάγκον τὸν Λούκιον, μὴ καὶ ἐκεῖνος αὐτῷ συνάρηται· καὶ πέμψαντες πρὸς αὐτοὺς οὐδὲν ἔτι δεῖσθαι σφῶν ἔφασαν. ἵνα τε μηδὲν ὑποτοπήσωσι κἀκ τούτου τι κακουργήσωσιν, ἐκέλευσαν αὐτοῖς τοὺς ἐκ Οὐϊέννης τῆς Ναρβωνησίας ὑπὸ τῶν Ἀλλοβρίγων ποτὲ ἐκπεσόντας καὶ ἐς τὸ μεταξὺ τοῦ τε Ῥοδανοῦ καὶ τοῦ Ἀράριδος, ᾗ συμμίγνυνται ἀλλήλοις, ἱδρυθέντας, συν-*

et partem exercitus et prosperarum adversarumque rerum socios. si fortuna contra daret, iratis ne relinquerentur.

LXVI. His et pluribus in eundem modum perpulerant, ut nec legati quidem ac duces partium restingui posse iracundiam exercitus arbitrarentur, cum haud ignari discriminis sui Viennenses velamenta et infulas praeferentes, ubi agmen incesserat, arma, genua, vestigia prensando flexere militum animos. addidit Valens trecenos singulis militibus sestertios. tum vetustas dignitasque coloniae valuit, et verba Fabii salutem incolumitatemque Viennensium commendantis aequis auribus ac-

οικίσαι. καὶ οὕτως ἐκεῖνοι ὑπομείναντες τὸ Λουγούδουνον μὲν ὀνομασθέν, νῦν δὲ Λούγδουνον καλούμενον ἔκτισαν. Lugdunum igitur vera colonia Romana: Vienna ita dicta.

et prosperarum adu. r. socios. Ed. Spir. *et persarum adversarumque rerum socio.*

contra daret. Sic MSS. Guelf. Bud. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. cf. An. 15, 13. Ryckius testatur in MS. Flor. legi: *ctra deret*, quod facit pro recepta scriptura. *Contraderet* etiam MS. Corb.; *contra cederet* MS. Agr.; *contradiceret* MS. Reg. ed. Spir.

relinquerentur. Ed. Spir. *relinqueretur.*

Cap. 66. *ut nec legati quidem.* Sic MSS. et vett. edd. unanimi consensu. I. Fr. Gronovius suadebat: *ut ne l. q.*, et sic edd. Iac. Gron. sqq. Perperam. *nec . . . quidem* est *auch nicht einmal* graviusque negat quam *ne . . . quidem.* cf. not. ad An. 4, 35.

ac duces. Ed. Spir. *et duces.*

restingui. MS. Agr. *restringi.* Idem liber dat *iram* pro *iracundiam.*

discriminis sui. MS. Guelf. voculam *sui* non habet in contextu, sed in marg. a secunda manu, censebatque Ernestius, eam abesse posse. Sed *ignari discriminis* sunt in universum qui ignorant discrimen: *ignari discriminis sui*, qui ignorant certum aliquod discrimen, in quo nunc versantur. Vir doctus ille saepe hoc vocabulum lacessivit. cf. not. ad c. 46. et 31. alibique.

Viennenses. MS. Guelf. ed. Spir. *vienenses.* Eadem ed. Spir. mox *sibi* pro *ubi.*

prensando. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Bud. edd. Iac. Gron. sqq. cf. An. 1, 21. 2, 30. 4, 51. — *prehensando* MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. — *pressando* MS. Agr. ed. Spir. — cf. Caes. B. C. 2, 12. Liv. 30, 36. 24, 30. 45, 26.

trecenos. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Covarr. (test. Lips.) Bud. edd. Pich. sqq. — *tricenos* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Pich. — MS. Reg. et ed. Spir. omittunt numerum, qui etiam in MS. Agr. punctis suppositis notatus est.

vetustas dignitasque. Ed. Spir. et MS. Agr. *vetusta dignitas.*

salutem incolumitatemque. Synonyma. cf. Roth. p. 9. Ita mox *stupris et adulteriis.*

commendantis etc. Ed. Spir. corrupte: *datis equis saturibusque accepta publice: tamen* etc. Etiam edd. Put. dant *equis* pro *aequis.*

cepta. publice tamen armis multati, privatis et promiscuis copiis iuvere militem. sed fama constans fuit ipsum Valentem magna pecunia emptum. is diu sordidus, repente dives, mutationem fortunae male tegebat, accensis egestate longa cupidinibus immoderatus et inopi iuventa senex prodigus. Lento deinde agmine per fines Allobrogum et Vocontiorum ductus exercitus, ipsa itinerum spatia et stativorum mutationes venditante duce foedis pactionibus adversus possessores agrorum et magistratus civitatum, adeo minaciter, ut Luco (municipium id Vocontiorum est) faces admoverit, donec pecunia mitigaretur. quotiens pecuniae materia deesset, stupris et adulteriis exorabatur. Sic ad Alpes perventum.

LXVII. Plus praedae ac sanguinis Caecina hausit. inritaverant turbidum ingenium Helvetii, Gallica gens, olim armis virisque, mox memoria nominis clara, de caede Galbae ignari et Vitellii imperium abnuentes. initium bello fuit avaritia ac festinatio unaetvicesimae legionis. rapuerant pecuniam missam in stipendium

vulgari oscitantia. MS. Guelf. *commendatis* pro *commendantis*.

multati. Sic MS. Flor. teste Victorio. cf. not. ad An. 1, 77. *mulctati* MS. Guelf. edd. omnes, cum alibi nonnulli scribant *multare*.

accensis. MS. Guelf. a secunda manu *accensus*, commate posito post *longa*. Eandem distinguendi rationem usurpat Puteolanus, qui etiam punctum posuit ante *accensis*.

senex. MS. Guelf. *senes*.

Vocontiorum. Ed. Spir. *vocantiorum*. MS. Guelf. *Vocuntiorum*, et ita mox.

stupris et adulteriis. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) edd. Spir. Pich. Lips. (1607) Grut. sqq. et ita volebant Faërnus, Ursinus, Muretus, Acidalius. At MSS. Bud. Harl. Bodl. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips. priores addunt alterum *et* ante *stupris*.

Cap. 67. *ac sanguinis Caecina.* MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) post *sanguinis* interponit *p̃*, quae littera quid sibi velit non apparet, quanquam non frustra adesse videtur. Iac. Gronovius suspicabatur legendum esse: *plus praedae ac sanguinis plus.*

olim armis. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. e Rhenani ingenio. — *soli in armis* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. edd. Spir Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Vitii originem facile intelliges. Mox MS. Agr. *clari* pro *clara*, ex emendandi studio et ob praecedens *soli.*

ac festinatio. Haec a MS. Guelf. absunt: eadem manus adposuit in margine.

unaetvicesimae leg. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Corb. edd. Pich. (hic *unetvices.*) Grut. Bernegg. sqq. Recte. cf. c. 61. — *unde et vicesimae* MS. Bud. ed. Spir. — *undevicesimae* MS. Bodl. edd. Put. Ber. sqq. ad Pich. — *unius et vicesimae* MS. Guelf. a secunda manu.

rapuerant. Sic codd. MSS.

castelli, quod olim Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur. aegre id passi Helvetii interceptis epistolis, quae nomine Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur, centurionem et quosdam militum in custodia retinebant. Caecina belli avidus proximam quamque culpam, antequam poeniteret, ultum ibat. mota propere castra, vastati agri, direptus longa pace in modum municipii exstructus locus, amoeno salubrium aquarum usu frequens. missi ad Raetica auxilia nuntii, ut versos in legionem Helvetios a tergo adgrederentur.

LXVIII. Illi ante discrimen feroces, in periculo pavidi, quanquam primo tumultu Claudium Severum ducem legerant, non arma noscere, non ordines sequi, non in unum consulere. exitiosum adversus veteranos proelium, intuta obsidio dilapsis vetustate moenibus. hinc Caecina cum valido exercitu, inde Raeticae alae cohortesque et ipsorum Raetorum iuventus sueta armis et more militiae exercita. undique populatio et caedes. ipsi in medio vagi, abiectis armis, magna pars saucii aut palantes in montem Vocetium perfugere. ac statim

omnes, nisi quod Harl. a secunda manu habet *rapuerat*, quod non displicet Broterio. Cum MSS. consentiunt edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. In Rhenani ed. operarum vitio, ut videtur, inrepsit *rapuerunt*, quod propagavere Ald. sqq. ad Pich., qui veterem scripturam restituit e cod. Flor.

quod olim Helvetii. Ed. Spir. omittit *olim.*

retinebant. MS. Agr. ed. Spir. *detinebant.*

locus, amoeno sal. aq. usu frequens. Hodie *Baaden* in pago Tigurino. Victorius verba *salubrium aquarum* lineola supposita notavit.

in legionem. MS. Guelf. *in regionem.*

CAP. 68. *non arma noscere.* Heinsius vult *poscere.* Perperam. *noscere* ut graec. γιγνώσκειν Tacito est *scire.* cf. An. 1, 48. 62. Iam *noscere arma* significat scire usum armorum. Sic An. 1, 64. *sciens secundarum ambiguarumque rerum.*

Raetorum. Edd. Spir. Put. M. et V. *rhetorum.* MS. Guelf. a secunda manu *reetorum.*

ipsi in medio. Ed. Spir. cum MS. Guelf. omittit *in*, quod hausere littera postrema praecedentis vocabuli et littera prima sequentis.

palantes. Sic MS. Flor (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. — *pallantes* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

Vocetium. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Agr. edd. Spir. Lips. sqq. — *Vocecium* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. — *Vocensium* MS. Bud. — Lipsius in quibusdam libris invenit *Vocetum.* Andr. Schottus volebat *Vogesum.* Rhe-

immissa cohorte Thracum depulsi et consectantibus Germanis Raetisque per silvas atque in ipsis latebris trucidati. multa hominum millia caesa, multa sub corona venundata. cumque dirutis omnibus Aventicum gentis caput iusto agmine peteretur, missi qui dederent civitatem: et deditio accepta. in Iulium Alpinum e principibus ut concitorem belli Caecina animadvertit: ceteros veniae vel saevitiae Vitellii reliquit.

LXIX. Haud facile dictu est, legati Helvetiorum minus placabilem imperatorem an militem invenerint. civitatis excidium poscunt, tela ac manus in ora legatorum intentant. ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat: cum Claudius Cossus, unus ex legatis, notae facundiae, sed dicendi artem apta trepidatione occultans atque eo validior, militis animum mitigavit, ut est mos vulgo, mutabilem subitis et tam pronum in misericor-

nanus adnotavit montem *Vocetium* germanice dici *der Boetzberg*, quae est pars Iurae montis inter Salodurum et Vindonissam procurrentis. cf. *d'Anville*, *Notice de la Gaule*, p. 714.

dirutis omnibus. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Agr. Harl. Bodl. edd. Spir. Ber. (cum silent. Vict.) Ern. sqq. cf. An. 15, 17. *dirutaque quae Euphratem ultra communierat Corbulo.* Vid. ib. not. — *diruptis* MSS. Guelf. Bud. edd. Put. Alc. Rhen. Ald. — *direptis* edd. Lips. sqq. ad Ernestium. cf. An. 1, 20. *direptisque proximis vicis.*

iusto agmine. Ed. Spir. *in isto agmine.* Eadem mox *dederint* pro *dederent*; *conditione* pro *deditio*, nimirum nulla distinctione post *accepta* posita.

Cap. 69. *placabilem.* Victorius apud hoc vocabulum notavit: „Deficit vetus codex usque ad *an metu, Vitellius* etc. (vid. c. 75. extr.)." Pichena prodidit eandem cod. Flor. litt. Lang. scripti lacunam eamque supplevit collatione alterius MSti in eadem bibliotheca adservati.

civitatis. Ed. Spir. *novitatis.* Eadem mox *verbis ac minis* pro *minis ac verbis*, quae inter dicta per figuram ἓν διὰ δυοῖν bene adnotavit Roth. p. 27.

ne Vitellius quidem. MS. Agr. *nec Vitell. quidem.*

Claudius Cossus. MS. Ies. *Cornelius Cossus*, quod et Iac. Gronovio et Ernestio verum videbatur, quia *Cossus* est cognomen *Corneliorum.* cf. Dio 55, 28. ubi est *Cornelius Cossus* cognomento *Gaetulici* ornatus. Tacit. An. 4, 34. 14, 20.

artem. MS. Guelf. *arte.*

apta trepidatione. In MS. Bud. deest *apta.*

ut est mos vulgo; mutabilem subitis et tam pronum in m. etc. Locus varietate scripturae insignis. *ut est mos vulgo mutabile subitis et tam pronum in m. quam immodicum s. f.* codd. MSS. Reg. Corb. (hic *vulgus*) ed. Spir. (haec eadem quoque verborum distinctione). Conspirant MSS. Bud. Agr., nisi quod *mox* ferunt pro *mos*, vulgari litterarum *x* et *s* con-

diam quam immodicus saevitia fuerat: effusis lacrimis et meliora constantius postulando impunitatem salutemque civitati impetravere.

LXX. Caecina paucos in Helvetiis moratus dies, dum sententiae Vitellii certior fieret, simul transitum Alpium parans, laetum ex Italia nuntium accipit, alam Sullanam circa Padum agentem sacramento Vitellii accessisse. Proconsulem Vitellium Sullani in Africa habuerant: mox a Nerone, ut in Aegyptum praemitterentur, exciti

fusione. MS. Agr. etiam habet *vulgus*. — MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *ut est mos vulgo mutabilem subitis: et tam pronum in misericordiam* (Guelf. *miseriam*): *quam inmodicum* (edd. Put. *in modicum*) *saevitia fuerat.* Vocabulum *mutabilem* ibi respicit ad *animum*: sed quid tum sibi velit *immodicum* vel *in modicum*, non apparet. Quare Freinshemio auctore Berneggerus, Gronovii (1672), Iac. Gronovius et nuper Bekkerus edidere: *ut est mos vulgo, mutabilem .... quam immodicus s. f.* Et meliora sane nemo praebuit, quanquam scriptura *immodicum* omnium vett. librorum auctoritate nititur. Rhenanus ex suo ingenio emendaverat: *ut est mos vulgo mutabili subitis, et tam prono in m., quam immodicum s. f.*, quam scripturam tacite retinuere Ald. Lips. Pich. Grut. — Ernestius locum restituit sic: *ut est mos vulgo; mutabile subitis, et tam pronum in misericordiam, quam immodicum saevitia fuerat: effusis* etc. quae cum inconcinna omnique membrorum nexu soluta esse viderentur, Bip. Oberl. sqq. maluere sequi Ryckium, qui e MS. Agr. dedit: *ut est mox vulgus mutabile subitis, et tam pronum in misericordiam, quam immodicum saevitia fuerat. effusis* etc., languide et contorte. Nam si quis *mutabilis subitis*, intolerabilis certe pleonasmus est eum dici *mox mutabilem subitis.* Obstat etiam *vulgo*, quod tuentur vett. libri omnes praeter MSS. Corb. et Agr. Accedit quod formula: *ut est mos vulgo* alibi quoque apud Nostrum frequens est. cf. infr. c. 80. et supr. c. 7. An. 1, 39. 4, 64.

effusis lacrimis. MS. Guelf. *effusus lachrymis.* Ed. Spir. *effusi lacrimis.* Sic *effusi in lacrimas* infr. 2, 45. *effusus in amorem* An. 1, 54; *effundi in vota* An. 1, 11. Sed *effusos lacrimis* alibi legi non memini.

meliora. Acidalius coniiciebat *molliora*. cf. not. ad An. 12, 46. Hist. 4, 32. Sed *meliora* in tali contextu satis recte dicuntur pro *mollioribus*, *lenioribus*.

Cap. 70. *in Helvetiis.* Ed. Spir. *in heluetios.* MS. Guelf. *ielueciis.* Idem mox *Vitelli* pro *Vitellii.*

alam Sullanam. Sic edidi cum Bekkero et mox *Sullani.* MSS. Agr. Bud. Corb. edd. Spir. Oberl. sqq. *Silanam* et mox *Silani.* — MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. *Syllanam* et *Syllani.* cf. not. ad An. 1, 1. sub v. *Sulla.* E scriptura ed. Spir. nil certi peti potest: nam is liber solet scribere *Silla* pro *Sulla.* Infra 2, 17. eadem ala in cod. Flor. dicitur *Siliana* sive *Silina:* unde Bipontini et huic loco Silianam et Silianos vindicabant. Sed crisis in tali re trepidat.

et ob bellum Vindicis revocati ac tum in Italia manentes instinctu decurionum, qui Othonis ignari, Vitellio obstricti robur adventantium legionum et famam Germanici exercitus attollebant, transiere in partes: et ut donum aliquod novo principi firmissima Transpadanae regionis municipia Mediolanum ac Novariam et Eporediam ac Vercellas adiunxere. id Caecinae per ipsos compertum. et quia praesidio alae unius latissima pars Italiae defendi nequibat, praemissis Gallorum, Lusitanorum Britannorumque cohortibus et Germanorum vexillis cum ala Petrina, ipse paululum cunctatus, num Raeticis iugis in Noricum flecteret, adversus Petronium [urbis] procuratorem, qui concitis auxiliis et interruptis flumi-

revocati. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Ber. Alc. Ryck. (e MS. Agr.) Ern. Brot. sqq. — *remorati* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Rhen. Ald. sqq. ad Ryck. et deinde ed. Iac. Gronov. In marg. MS. Harl. *al. revocati.* — cf. supr. c. 6. *opprimendis Vindicis coeptis revocaverat*, qui locus eximie facit pro recepta scriptura.

ac tum in Italia. Ed. Spir. *At tum in Italia*, puncto posito ante *At.*

ut donum aliquod. Ed. Put. V. *ut domum aliquod.*

ac Novariam. Ed. Spir. *ac Novaria.* Eadem *et Eperediam* pro *et Eporediam.* MS. Guelf. *Iporegiam* a secunda manu. Prius ibi fuit vulgatum. Pro *ac Vercellas*, quod induxit Rhenanus, MS. Guelf. et edd. ante Rhenanum praeferunt *et Vercellas.* Mox ed. Spir. *q̃ praesidio* pro *et quia praesidio*, nulla distinctione post *compertum* posita; *Italiae pars* pro *pars Italiae.*

Lusitanorum Britannorumque. Ed. Spir. *lusitanorumque et britannicorum.* In *britannicorum* male consentit MS. Reg.; an etiam in ceteris cum editione Spir. faciat, non est proditum.

cum ala Petrina. MSS. Vat. (test. Lips.) Guelf. *cum alpe* (Guelf. *alpae*) *tarina.* Ed. Spir. *cum alpe triarina.* MSS. Farnes. et Covarr. (test. Lips.) *in alpe triaria.* MS. Bud. *in alpe trianna.* MS. Agr. ed. Ryck. *cum ala Taurina*, uti coniecerat Lipsius. At *ala Taurina* cum Valente. cf. c. 64. Ryckius quidem censet eodem nomine potuisse plures alas appellari: sed tum Noster haud neglexisset addere numerum, *prima*, *secunda.* Rectius igitur Savilius emendavit *cum ala Petrina*, cuius emendationis fundamentum est locus infr. 4, 49. Savilii coniecturam recepere Berneggerus, Gronovii (1672), Iac. Gronovius, Ernest. sqq. — Edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. *in alpe Graia*, quam scripturam ab historia mendacii convinci ad h. l. docuit Lipsius.

paululum. Ed. Spir. *paulum.* Eadem cum MS. Guelf. (a secunda manu) post *cunctatus* addit *est.*

num Raeticis iugis. MS. Corb. *ut Raeticis.* Ed. Spir. cum MS. Guelf. (a secunda manu) *unde reticis*, puncto posito ante *unde.*

flecteret. MS. Guelf. *flecteretur.*

adversus Petronium [urbis] procuratorem. Vocabulum *urbis* addunt MSS. Bud. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. — *urbi* MSS. Reg. Agr. Flor. alter, Corb. ed. Spir. Utrumque esse vitiosum facile intelligitur. Nam neque *ur-*

num pontibus fidus Othoni putabatur. sed metu, ne amitteret praemissas iam cohortes alasque, simul reputans plus gloriae retenta Italia, et ubicunque certatum foret, Noricos in cetera victoriae praemia cessuros, Penino itinere subsignanum militem et grave legionum agmen hibernis adhuc Alpibus traduxit.

LXXI. Otho interim contra spem omnium non deliciis neque desidia torpescere. dilatae voluptates, dissimulata luxuria et cuncta ad decorem imperii composita, eoque plus formidinis adferebant falsae virtutes et vitia reditura. Marium Celsum consulem designatum per speciem vinculorum saevitiae militum subtractum acciri in Capitolium iubet. clementiae titulus e viro claro et partibus inviso petebatur. Celsus constanter servatae erga Galbam fidei crimen confessus exemplum

bis neque *urbi* procuratorem locus patitur. Quare Lipsius haud inepte *urbi* mutat in *ibi*, quod Broterius in contextum recepit. cf. infr. 2, 16. *trierarchum liburnicarum ibi navium*. Rectius fortasse Freinshemius coniecit *Urbicum* (cf. An. 11, 35.); quanquam magis placet Heinsii emendatio *Turpilianum*, quod est Petroniae gentis cognomen (cf. An. 14, 29). Iac. Gronovius volebat *Vibum*. Interim uncis inclusi vocabulum spurium, uti alii prius fecere.

simul reputans. Sic MS. Corb. edd. Rhen. Ald. sqq. (fortasse e MS. Bud.). *simulas reputans* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *simulavere putans* ed. Spir.

in cetera victoriae praemia. Sic MSS. Bud. Guelf. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. — *in certa* MSS. Corb. Agr. — *icerta* ed. Spir. — *in caeterae victoriae p.* edd. Bernegg. (auctore Freinsh.) Gronov. (1672) Ryck. Iac. Gron. sqq. Puteolani scripturam restituere Brot. Bip. Oberl. sqq.

cessuros. Sic alter cod. Flor. Covarruv. Guelf. aliique codd. MSS. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. et deinde Pich. sqq. — *accessuros* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. ad Pichenam.

Penino itinere subs. m. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *Penino subsignanum militem itinere* edd. Rhen. (hic *Poenino*) Ald. (ut Rhen.) Lips. sqq. Sed non video, quare hic verborum ordo praecellat illum.

hibernis adhuc Alpibus. Sic MSS. Covarruv. Flor. (alter ille) Reg. Bud. Corb. edd. Spir. (haec *aduc*) Pich. sqq. — *hibernis adhuc nivibus* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Pich.

traduxit. MS. Corb. *transduxit*.

Cap. 71. *ad decorem*. Edd. Oberl. Weikert. *ad decorum*, fortasse operarum culpa. Nam priores libri omnes tuentur *ad decorem*.

constanter. Hoc in MS. Guelf. non legitur.

ultro imputavit. Nec Otho, quasi ignosceret, sed, ne hostes metueret, conciliationes adhibens, statim

imputavit. MS. Bud. *impetravit.* Male. Ernestius vulgatum bene explicuit: „Ita locutus est, ut demonstraret exemplum fidei a se editum gratum esse Othoni debere: tantum abesse, ut iram eius meruerit: interesse enim et ipsius fidos amicos habere, talemque se in eius amicitia futurum, qualis in Galbam fuisset."

nec Otho, quasi ignosceret, sed, ne hostes metueret, conciliationes adhibens, statim etc. Sic MSS. Flor. (non Langob.) Corb. Agr. ed. Ryck., nisi quod Flor. et Corb. antiqua scriptura ponunt *conciliationis* pro *conciliationes.* Coniunge: *nec Otho conciliationes adhibens, quasi ignosceret, sed ne hostes metueret* etc. Germanice: *und Otho, welcher die Gewinnung der Gemüther versuchte, nicht als ob er verziehen hätte, sondern um sie nicht als Feinde fürchten zu dürfen* etc. Sic auctor occurrit falsae opinioni, quam quis de Othone ex hoc loco conciperet, quasi verissimum et mollissimum ad offensionem deponendam habuisset animum. *Metuere aliquid* est metuere, ne quid fiat. Sic *metuere hostes* h. e. metuere, ne fiant hostes. cf. An. 1, 56. *imbresque et fluminum auctus metuebatur.* *Ignosceret* Tacito dicitur pro eo, quod Ernestius diceret *ignovisset.* cf. Ernest. ad An. 2, 42. 3, 55. 6, 49. *Hostes* autem Noster scribit, non *inimicos*, quod Ernestius hic requiri adfirmabat: nam Otho metuebat, ne hostes h. e. partes hostiles bellum contra ipsum paraturae orirentur. Et in bello etiam civili partes diversas hostes invicem dici notissimum est. Ryckius non satis recte: „Causam reddit auctor, cur Otho inter intimos amicos Celsum adsumpserit, videlicet ut adhibendo huiusmodi conciliationes gratiae hostes suos non tantopere metuere cogeretur, quoniam isti videntes hanc eius clementiam mitiores erga eum erant futuri." Iam videamus, quid suppeditent alii libri. Paululum a nostra scriptura deflectunt MS. Reg. et ed. Spir. *sed ne hostes metuere conciliationis adhibens.* MS. Guelf. *et Otho quasi* (sic: q̃t h. e. *quasi*, non *qui*, ut videbatur Strombeckio) *ignosceret sed ne hostis metum, quasi reconciliationis adhiberet statim intra i. a. h.* Bud. test. Rhen. et Oberl. *sed ne hostis metu, reconciliationis adhibens.* MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. *nec O. quasi ignosceret, sed ne hostis metum reconciliationis adhiberet, statim* etc. Explicant: „ne Vitellius, qui hostis erat, adhiberet metum reconciliationis, ut Othonem formidabiliorem invisioremque faceret." Sic Broterius e Petavii opinione. Huetius: „ne accepto inclementius Celso metum Vitellio iniiceret, quo minus sibi reconciliari vellet." Ernestius: „*metum alicuius rei adhibere* est iniicere, movere metum eius, efficere, ut aliquis quid metuat. Et sic dixere Cic. de Or. 2, 45. (?). Quintil. 1, 3." Sed valent de his interpretationibus Lipsii verba: „Frons aliqua sententiae apparet; sed si excutias, vanae et falsae." Nam quidquid adferunt ad defendendam formulam *metum reconciliationis adhibere*, ut significet quod illi volunt, vaga et languida est dictio. Accedit quod de *reconciliatione* hic sermo esse nequit: immo de *conciliatione.* Nam Tacitus verbis compositis non abutitur pro simplicibus, ut Suetonius: contra simplicia haud raro ponit pro compositis. cf. An. 1, 58. *conciliator;* ib. c. 41. *ad concilianda vulgi studia.* An. 15, 14 et 23. Hist. 1, 18. 2, 58. Quare plerique consentiunt mendosum esse contextum a Puteolano vulgatum variisque coniecturis locum vexant. Rhenanus: *nec Otho quasi ignosceret seu hostis metu reconciliationi ad-*

inter intimos amicos habuit et mox bello inter duces delegit; mansitque Celso velut fataliter etiam pro Othone fides integra et infelix. Laeta primoribus civitatis, celebrata in vulgus Celsi salus ne militibus quidem ingrata fuit eandem virtutem admirantibus, cui irascebantur.

LXXII. Par inde exsultatio disparibus causis consecuta impetrato Tigellini exitio. Sophonius Tigellinus, obscuris parentibus, foeda pueritia, impudica senecta, praefecturam vigilum et praetorii et alia praemia virtutum quia velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam et virilia scelera exercuit corrupto ad omne facinus Nerone, quaedam ignaro ausus, ac postremo eiusdem desertor ac proditor. unde non alium

nivens, *statim* etc. Lipsius: *sed nec hostis metu*, *reconciliationi se adhiberet*. Acidalius: *nec O. quasi ignosceret*, *sed ne hostis metum reconciliationi exhiberet*. Freinshemius: *sed ne hosti metum reconciliationis adhiberet*; *statim etc.* et sic edd. Bernegg. Gronov. (1672) lac Gronov. — Ernestius sqq. Puteolani scripturam retinent. — Bipont.: *sed, ne hostis metueretur*, *conciliationes adhiberet*. Rupertius: *sed nunc hostis metu reconciliationes adhibens*. Vir doctus in *Ephem. Lit. Ien.* 1815. nr. 24. p. 191. 192. *sed ne hostes metuerent reconciliationes*, *adhibuit statim* etc. Wagner. in Prolus. ante Lectt. cat. Marb. 1818. *sed in hoste mutuam reconciliationem adhiberet*. Heinsius: *sed ne hosti spem mutuae reconciliationis adimeret*. Alii alia.

inter intimos. Sic MSS. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ryck. Ernest. sqq. — *intra intimos* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Ryck. Quae varietas e compendio scripturae orta haud semel invenitur in vett. libris.

infelix. Quia Othonem pariter ac Galbam amisit adque Vitellii clementiam confugere cogebatur. cf. infr. 2, 60. Frustra Acidalius coniecit *felix*. Vid. not. ad An. 2, 75. sub vv. *infelici fecunditate*.

primoribus. Ex emendatione Rhenani, quam ipse in locum recepit. MSS. et edd. ante Rhen. *pro moribus*.

Celsi salus. Sic MS. Corb. et codd. Lipsii, unde ille (1574.) restituit. Edd. ante Lipsium cum MS. Guelf.: *Celsi laus*. Mox ed. Spir. *quibus* pro *quidem*.

eandem . . . *irascebantur*. De sententia cf. Liv. 5, 26.

Cap. 72. *Tigellini*. Libri, ut supra. Mox *Sophonius* edd. Lips. sqq.; *Offonius* ed. Spir.; *Ophonius* MS. Guelf. edd. Put. sqq. cf. not. ad An. 14, 51.

deinde avaritiam. MS. Agr. *inde avaritiam*.

virilia scelera. Bene Ernestius: „facinora audaciam virilem desiderantia, ut caedes." Strombeck, Ricklefsius aliique intelligunt scelera, quae committuntur eo quo viri sumus. Sed haec Tacito non sunt *scelera*.

ac postremo. Ed. Spir. *at postremo*.

ac proditor. Haec desunt in MS. Reg. et ed. Spir. — Mox MS. Guelf. *ad poenam pertinacius*.

pertinacius ad poenam flagitavere, diverso adfectu, quibus odium Neronis inerat et quibus desiderium. Apud Galbam T. Vinii potentia defensus praetexentis servatam ab eo filiam. et haud dubie servaverat, non clementia, quippe tot interfectis, sed effugium in futurum, quia pessimus quisque diffidentia praesentium mutationem pavens adversus publicum odium privatam gratiam praeparat, unde nulla innocentiae cura, sed vices impunitatis. Eo infensior populus addita ad vetus Tigellini odium recenti T. Vinii invidia: concurrere e tota urbe in palatium ac fora, et, ubi plurima vulgi licentia, in circum ac theatra effusi seditiosis vocibus obstrepere, donec Tigellinus accepto apud Sinuessanas aquas supremae necessitatis nuntio inter stupra concubinarum et oscula et deformes moras sectis novacula faucibus infamem vitam foedavit etiam exitu sero et inhonesto.

LXXIII. Per idem tempus expostulata ad supplicium Galvia Crispinilla variis frustrationibus et adversa

sed effugium. Sic MSS. Reg. Bud. Corb. ed. Spir. — *sed effugio* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. ad hunc diem. Illud tamen aptius et Taciti scribendi modo adcommodatius, qui solet scribere aliquid esse effugium, non effugio. cf. not. ad An. 3, 55. sub vv. *verum ... maneant.* Igitur sententia est: servavit filiam, ut servata filia sibi esset effugium in futurum. Apte Ernestius laudavit e c. 44. *munimentum ad praesens.* Vid. ib. not.

vices impunitatis. Sic MSS. Reg. Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. et deinde auctore Freinshemio edd. Bernegg. Gron. sqq. et sic etiam Lipsius in vett. libris invenit. Consentit MS. Corb. a secunda manu, quanquam a prima manu habet *vices impunitas.* MSS. Bud. Harl. Bodl. Guelf. edd. Rhen. Ald. Lips. Pich. Grut. *vitae impunitatis.* MS. Ies. *vitae impunitas.* Sed *vices impunitatis* sunt impunitas, quam quis concedit alicui, ut invicem sibi concedatur. Frustra coniecerunt, Lipsius: *vice suae impunitatis;* Boxhornius: *vitae et impunitatis;* Salinerius: *nulla innocentia curae, sed vices impunitatis;* Heinsius: *tuendae nulla innocentiae cura, sed vice impunitatis.* Rupertius: *unde nulli innocentia curae, sed vices impunitatis.*

eo infensior. Ed. Spir. *eo infensor.* MS. Guelf. *et infensior populo.* Ibidem mox omittitur *recenti.*

seditiosis vocibus. Sic MS. Guelf. edd. omnes. MS. Bud. *seditionis vocibus.* cf. An. 1, 31. *multa seditionis ora vocesque.* Hist. 1, 12. *ambitionis rumoribus.*

obstrepere. Sic edd. Put. sqq.; *strepere* ed. Spir.

Sinuessanas. Sic Lipsius e vett. libris suis et Plutarcho, Plinio, Martiali et e Tac. An. 12, 66. restituit. Consentit MS. Corb. — *Suessanas* MSS. Bud. Guelf. edd. Beroald. Alc. Rhen. Ald.; *Suessenas* edd. Put. M. et V.; *sumessanas* ed. Spirensis.

Cap. 73. *Galvia Crispinilla.* Sic MSS. Guelf. Bud. edd. Ber.

dissimulantis principis fama periculo exempta est. magistra libidinum Neronis, transgressa in Africam ad instigandum in arma Clodium Macrum, famem populo Romano haud obscure molita, totius postea civitatis gratiam obtinuit consulari matrimonio subnixa et apud Galbam, Othonem, Vitellium inlaesa. mox potens pecunia et orbitate, quae bonis malisque temporibus iuxta valent.

LXXIV. Crebrae interim et muliebribus blandimentis infectae ab Othone ad Vitellium epistolae offerebant pecuniam et gratiam et quemcunque quietis locum prodigae vitae legisset. paria Vitellius ostentabat, primo mollius, stulta utrimque et indecora simulatione: mox

Rhen. sqq. et sic vulgo MSS. teste Broterio, qui tamen edidit *Calvia Crispinilla*, quia Xiphilino 63, 12. eadem dicitur *Καλουΐα Κρισπινίλλα*. — *Gallive Crispinilla* ed. Spir. — *Galvia Crispilina* edd. Put. Alc. — *Crispinila* MS. Corb.

dissimulantis. Hoc verbum non apparet in ed. Spir. Mox eadem pro *magistra* dat *nigram*; *investigandum* pro *instigandum*.

in Africam. MS. Guelf. *in Africa*.

famem populo Romano. Sic MS. Agr. edd. Spir. Ryck. Ernest. sqq. — *f. populi Romani* MSS. Bud. Harl. Guelf. edd. Put. sqq. ad Ryckium, et dein ed. Iac. Gronov. Parum refert.

molita. MS. Guelf. *mollita*.

totius postea. Ed. Spir. *tutius postea*.

subnixa. Sic MSS. Flor. (alter) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ryck. Ernest. sqq. — *innixa* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. ad Ryck. et dein ed. Iac. Gron.

temporibus. Hoc vocabulum male abest a MS. Bud. — Mox *valent* in MS. Guelf. sec. manus mutavit in *valet*.

Cap. 74. *muliebribus.* Ed. Spir. *mulieribus*.

blandimentis. Sic MSS. Bud. Corb. Agr. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *blandiciis* vel *blanditiis* MSS. Guelf. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. At MS. Bodl. in marg. habet *blandimentis*.

offerebant. Sic Rhenanus ex ingenio, idque deinde omnes editores retinuerunt. MSS. et edd. ante Rhenanum *offerebantur*, hac interpunctione: *epistolae offerebantur: pecuniam* etc. — MS. Agr. *afferebantur*, quod placet Heinsio, ut locus *pecuniam* sqq. pendeat e verbo *ostentabat*. Verum *epistolae* illae non *adferebantur* h. e. Romam non veniebant, sed inde ibant. cf. not. ad An. 16, 2. sub v. *advehere*. Mox etiam sunt *epistolae* ... *concordiam offerentes*. Potest veterum editionum et MSStorum scriptura defendi, ut legas: *epistolae. offerebantur, pecuniam* ... *legisset* h. e. quamcunque pecuniam et gratiam et quemcunque q. l. p. v. legisset, offerebantur in illis epistolis. Praestat tamen Rhenani emendatio et *offerebant* facile potuit abire in *offerebant̄* ob praecedens *epistolae*. Ed. Spir. *quaecunque* pro *quemcunque*; *locos* pro *locum*.

ostentabat. Sic MSS. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ryck. Ernest. sqq. — *ostendebat* MSS. Bud. Harl. Ies. (uterque a secunda manu) Bodl. edd. Put. sqq. ad Ryckium et postea ed. Iac. Gron. — *osten-*

quasi rixantes stupra et flagitia invicem obiectavere, neuter falso. Otho revocatis quos Galba miserat legatis rursus alios ad utrumque Germanicum exercitum et ad legionem Italicam easque quae Lugduni agebant copias specie senatus misit. Legati apud Vitellium remansere promptius quam ut retenti viderentur. praetoriani, quos per simulationem officii legatis Otho adiunxerat, remissi, antequam legionibus miscerentur. Addidit epistolas Fabius Valens nomine Germanici exercitus ad praetorias et urbanas cohortes de viribus partium magnificas et concordiam offerentes. increpabat ultro, quod tanto ante traditum Vitellio imperium ad Othonem vertissent.

LXXV. Ita promissis simul ac minis tentabantur, ut bello impares, in pace nihil amissuri. neque ideo praetorianorum fides mutata. Sed insidiatores ab Othone in Germaniam, a Vitellio in urbem missi. utrisque frustra fuit, Vitellianis impune per tantam hominum multitudinem mutua ignorantia fallentibus: Othoniani novitate vultus omnibus invicem gnaris prodebantur.

dissel MSS. Guelf. et a prima manu Harl. Ies. Mox verba *primo mollius* etc. ad utrumque hominem spectant. MS. Bud. ante *primo* male infarcit *Vocontiorum* e cap. 66.

et flagitia. Ed. Spir. *ac flagitia.* Eadem mox *oblictavere* pro *obiectavere.*

rursus alios. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Agr. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. et nuper Ernest. sqq. — *alios* omittunt MS. Corb. edd. Alc. Rhen. Ald. sqq. ad Ernestium.

quae Lugduni. MS. Guelf. *quasi Lugduni.*

specie senatus. Ed. Spir. *species senatus*, quod vitium, ut saepe, ortum est e duplicata littera *s.* Mox eadem *Praetoriam* pro *praetoriani.*

miscerentur. MS. Guelf. *iungerentur.*

addidit. Sic MSS. Corb. Harl. Ies. Guelf. edd. Spir. et Broterii. — *addit* edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. Illud huic loco melius convenit.

cohortes. MS. Guelf. *cohortis.*

increpabat. Sic MSS. Corb. Reg. edd. Spir. Ber. Ernest. sqq. — *increpabant* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Alc. Rhen. sqq. ad Ernestium.

Cap. 75. *tentabantur.* Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *temptabātur* ed. Spir.

in pace. Acidalius et Heinsius volunt *ita pace.* Frustra. cf. not. ad c. 2.

mutata. MS. Agr. *mutari.*

omnibus invicem gnaris. Sic edd. Rhen. (1533) Ald. sqq. et nuper ed. Bekkeri. Verissime. — *ignaris* MSS. atque edd. ante Rhenanum et edd. Ernest. Brot. sqq. —

Vitellius litteras ad Titianum fratrem Othonis composuit exitium ipsi filioque eius minitans, ni incolumes sibi mater ac liberi servarentur. et stetit domus utraque, sub Othone incertum an metu: Vitellius victor clementiae gloriam tulit.

LXXVI. Primus Othoni fiduciam addidit ex Illyrico nuntius iurasse in eum Dalmatiae ac Pannoniae et Moesiae legiones. Idem ex Hispania adlatum, laudatusque per edictum Cluvius Rufus: et statim cognitum est conversam ad Vitellium Hispaniam. Ne Aquitania quidem quanquam a Iulio Cordo in verba Othonis obstricta diu mansit: nusquam fides aut amor, metu ac necessitate huc illuc mutabantur. Eadem formido provinciam Narbonensem ad Vitellium vertit, facili transitu ad proximos et validiores. Longinquae provinciae, et quidquid armorum mari dirimitur, penes Othonem manebant, non partium studio, sed erat grande momentum in nomine urbis ac praetexto senatus: et occu-

MS. Reg. *novitate vultus invicem ignari prodebantur.*

Titianum. Sic edd. Rhen. sqq. cf. infr. c. 77. 2, 44. 60. Suet. Oth. c. 10. — MSS. et edd. ante Rhen. vitiose *Tutianum* (sic ed. Spir.), vel *Tucianum* (edd. Put. Ber.). *Ticianum* MS. Guelf. Mox ed. Spir. pergit: *ni incolumis sibi ac mater servarentur.* Deinde eadem omittit vocabulum *domus.* — Inde a verbis *an metu* rursus incipit cod. Flor. litt. Lang. scr. Vid. not. ad c. 69.

Cap. 76. *addidit ex Illyrico.* MS. Corb. *attulit Illyrico.* — Edd. Spir. Put. *ex Illirico*, uti solent.

et Moesiae. Ed. Spir. *ac Mesiae.* Edd. Put. cum MS. Guelf. *et Mesiae.*

adlatum. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *allatum* edd. vett. cum MS. Guelf. Mox ed. Spir. *Ruffus*, uti solet.

ne Aquitania quidem. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) edd. Iac. Gron. Ernest. sqq. — *nec A. quidem* MSS. Guelf. Bud. Agr. edd. Spir. Put. sqq. ad Iac. Gronovium. Parum refert.

quanquam a Iulio. Ed. Spir. *ab Iulio*, omissa particula *quanquam.*

mutabantur. Ed. Spir. *mutabatur.*

et quidquid. Ed. Spir. *et quicq̃* h. e. *quicquam.*

mari dirimitur. Sic edd. vett. cum silent. Victorii. — MSS. Harl. Ies. Guelf. *a mari.* — MS. Ies. *dividitur*, ex interpretamento. cf. An. 2, 43. *provinciae, quae mari dividuntur.*

manebant. Ed. Spir. cum MS. Guelf. (a secunda manu) *manebat.* Mox in eodem libro Spir. vocabulum *urbis* non apparet.

ac praetexto senatus. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) ed. Iac. Gronov. Ceteri libri *ac praetextu senatus.* Sed *praetextus* est agendi ratio eius, qui ali-

paverat animos prior auditus. Iudaicum exercitum Vespasianus, Syriae legiones Mucianus sacramento Othonis adegere. simul Aegyptus omnesque versae in Orientem provinciae nomine eius tenebantur. idem Africae obsequium initio Carthagine orto. neque exspectata Vipstani Aproniani proconsulis auctoritate Crescens Neronis libertus (nam et hi malis temporibus partem se rei publicae faciunt) epulum plebi ob laetitiam recentis imperii obtulerat et populus pleraque sine modo festinavit. Carthaginem ceterae civitates secutae.

LXXVII. Sic distractis exercitibus ac provinciis Vitellio quidem ad capessendam principatus fortunam

quid praetexit (*Vorwendung*); *praetextum* id quod praetexitur (*Vorwand*). Quare *in praetextu senatus* grande momentum est, si est in eo quod senatus aliquo praetextu utitur: hoc alienum est ab loco. In *praetexto* senatus illud fuit h. e. in eo quod senatus praetextui erat. Sic c. 77. e MS. Flor. *praetexto veteris amicitiae*; 2, 100. *praetexto classem adloquendi*; 3, 80. *praetexto rei publicae*. Sueton. Iul. c. 30. *praetextum quidem illi civilium armorum hoc fuit*. Sunt haud dubie loci, quibus utraque forma promiscue ponitur: verum hic praestat *praetexto*.

Iudaicum. MS. Flor. test. Vict. *Iudeicum*. Ed. Spir. *Iudeorum cum*.

Mucianus. Sic MS. Flor. test. Vict. *Mutianus* MS. Guelf. vett. edd. cf. not. ad c. 10. — Ed. Spir. *Siriae*, ut saepe.

versae in Orientem. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. At Pichena e MS. Flor. adfert *versam in Orientem*. Ryckius testatur a prima manu ibi legi *omnisque versa in Orientem provinciae*. MSS. Agr. alter Flor. Reg. ed. Spir. *versus Orientem*. MSS. Bud. Corb. *versus in Orientem*. cf. Noster Germ. c. 1. *Rhenus . . . modico flexu in Occidentem versus*. Hist. 2, 83. *versum in Italiam mare*.

Carthagine. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *a Cartagine* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. — *a Carthagine* edd. Ber. Alc. Rhen. sqq. Verum praepositio commode abest.

Vipstani. Edd. Spir. Put. sqq. cum MSS. Agr. Guelf. Bud. *Vipsani*. Edd. Pich. sqq. *Vipsanii*. — Edd. Ryck. Ernest. Brot. sqq. *Vipstani* e fide fragmenti fratrum Arvalium apud Gruter. p. 118. Vid. not. ad An. 14, 1 et 11, 23.

nam et hi malis temporibus partem se rei publicae faciunt. Sic edd. Pich. Bernegg. sqq. Nam sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Vatic. (test. Grut.) Reg. Corb. Agr. ed. Spir, nisi quod ferunt *in* pro *hi*, facili errore. Ante Pichenam vulgabatur: *nam in malis temporibus partem se rei publicae fecerat*, uti est in MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. sqq. Mox Ferletus vult: *et populus, ut pleraque, sine modo festinavit*. Verum non video, quid vulgata scriptura displicere possit. *Pleraque* intellige ea quae fieri solent sub initium novi imperii. MS. Guelf. a secunda manu pro *pleraque* fert *plebsque*.

ceterae civitates. MS. Bud. *multae civitates*.

bello opus erat: Otho ut in multa pace munia imperii obibat, quaedam ex dignitate rei publicae, pleraque contra decus ex praesenti usu properando. consul cum Titiano fratre in Kalend. Martias ipse, proximos menses Verginio destinat ut aliquod exercitui Germanico delenimentum. iungitur Verginio Poppaeus Vopiscus praetexto veteris amicitiae, plerique Viennensium honori datum interpretabantur. Ceteri consulatus ex destinatione Neronis aut Galbae mansere, Caelio ac Flavio Sabinis in Iulias, Arrio Antonino et Mario Celso in Septembres:

Cap. 77. Vulgo novum caput incipiunt inde a verbis: *Otho ut in multa pace* etc. Commodius tamen et ex Freinshemii sententia id initium fit a verbis: *Sic distractis* etc., quia per particulam *quidem* haec artius cohaerent cum sequentibus. MS. Bud. post *distractis* addit *eius*. MS. Guelf. pro *sic* habet *sicut*.

capessendam. Edd. Spir. et Ald. *capescendam*, uti solent. Mox ed. Spir. *belo* pro *bello*. Deinde eadem pergit: *et Otho munia* etc. omissis vocabulis mediis.

ex praesenti usu. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. Rhen. Ald. sqq. In ed. Put. V. lapsu operarum, ut videtur, inrepsit *et* pro *ex*, idque propagavere Beroaldus et Alciatus.

Titiano. Sic libri omnes, nisi quod in Guelf. legitur *titano*. Vid. not. ad c. 75. Mox edd. Spir. Put. Ber. Alc. interpungunt ante *ipse* idque vocabulum trahunt ad *proximos* etc. MS. Guelf. pro *proximos* dat *proprios*; *destinabat* pro *destinat* et paulo ante *martiis* pro *Martias*. MS. Bud. locum legit sic: *Consul cum Titiano fratre in Kal. Martii ipse, proximos menses Verginio. Pompeius Vopiscus* etc., quae placebant Rhenano. Sed ceteri libri tuentur vulgata.

ut aliquod. Ed. Spir. *ut aliquid*.

delenimentum. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Put. M. et V. *delimentum* ed. Spir. *delinimentum* edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. cf. not. ad An. 2, 33.

Poppaeus Vopiscus. Sic MS. Flor. (test. Iac. Gronovio) edd. Lips. Pich. Grut. sqq. Iac. Gron. Bip. Oberl. sqq. — Lipsius e MS. Vat. id nomen creditur reposuisse: ipse tacet. Victorius intactum reliquit *Pompeius Vopiscus*, quod invenitur in MSS. Bud. Agr. Guelf. Corb. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. Ber. Alc. Rhen Ald. et recentiore aetate edd. Ryck. Ernest. Brot. Difficilis iudicatu ea varietas est, quia ob compendium *Pōpeius* saepissime utrumque nomen in vett. libris confunditur. Ob Victorii silentium satis suspectum mihi est Iac. Gronovii de MS. Flor. testimonium.

praetexto. Sic MS. Flor. test. Vict. cum al. cf. not. ad c. 76. *praetextu* MS. Guelf. edd. vett. et recentiores. Mox ed. Spir. *vienensium — Celio — sauinis*. — *Celio* etiam MS. Guelf. edd. Put. M. et V.

Arrio Antonino. Variant libri. *Arrio* MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Agr. edd. Spir. Ernest. Brot. sqq.; *Arrhio* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf.; *Archio* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.; *Ario* MS. Bud. edd. Rhen. sqq. ad Ernest. — *Antonino* edd. Lips. sqq. *Antonio* MSS. et edd. ante Lipsium omnes. Fuit ille vir avus Antonini Pii. cf. Capitolin. in Anton. c. 1. *Mater Arria Fadilla, avus maternus Arrius Antoninus, bis consul, homo sanctus*

quorum honori ne Vitellius quidem victor intercessit. Sed Otho pontificatus auguratusque honoratis iam senibus cumulum dignitatis addidit aut recens ab exsilio reversos nobiles adulescentulos avitis ac paternis sacerdotiis in solatium recoluit. redditus Cadio Rufo, Pedio Blaeso, Sevino Pomptino senatorius locus. repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant. placuit ignoscentibus verso nomine, quod avaritia fuerat, videri maiestatem, cuius tum odio etiam bonae leges peribant.

LXXVIII. Eadem largitione civitatum quoque ac provinciarum animos adgressus Hispaliensibus et Eme-

et qui Nervam miseratus est, quod imperare coepisset. Plin. epp. 4, 8. et 18. et 5, 10.

intercessit. Sed etc. Ed. Spir. *intercessisset. Sed* etc.

cumulum dignitatis. MS. Agr. e sapientia librarii *culmen dignitatis.* Dureau de Lamalle sic locum distinguit: *Sed Otho pontificatus auguratusque, honoratis iam senibus cumulum dignitatis, addidit.* Consentit Gutmannus. Frustra. *Honorati iam senes* sunt Caelius ac Flavius Sabini, Arrius Antoninus et Marius Celsus.

aut recens ab exs. etc. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronovio) et Bud. Pro *aut* edd. omnes ferunt *et*, MS. Guelf. *at.* Sed *aut* discernit adulescentulos a senibus et plane ex usu latinitatis sic ponitur (cf. not. ad An. 1, 8.), ut significet Othonem cum senibus illud, tum adulescentulis hoc fecisse.

adulescentulos. Sic MS. Flor. teste Victorio. *adolescentulos* edd. vett.; *adolosentulos* MS. Guelf.

Cadio Rufo. Ed. Spir. *Ruffo*, uti solet. MSS. Farnes. (test. Lips. in ed. 1574) Agr. pro *Cadio* ferunt *Caudio*, unde Lipsius coniectavit *Claudio*, Heinsius *Canio.* Sed cf. An. 12, 22.

Sevino Pomptino. Sic edidit Broterius; *Pontino* edd. Ernest. Oberl. sqq. Dioni id nomen scribitur Πομπτῖνος 37, 47. et 39, 65. Ernestius ita nomen illud emendavit pro corrupta vett. librorum scriptura: *Sevino promptius* MSS. Reg. Bud. Agr. ed. Spir. — *Seuino Pontio* MSS. Guelf. Bodl. les. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. — *Scaevino Pontio* MS. Harl. — *Sevino proprius* MS. Farnes. — *Sevino Promtios* MS. Vat., unde Lipsius fecit *Promptino*, quod duravit usque ad Ernestium. Iac. Gronovius in MS. Flor. vidit: *Sevino Pr.* Ernestius in emendando nomine duces habuit Cortium ad Sall. Cat. c. 45. et Drakenb. ad Liv. 2, 34. 4, 25.

repetundarum. Guelf. Bud. aliique codd. MSS. edd. Spir. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. addunt *qui* ante vocem *repetundarum.* Auctoritate MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) id pronomen delevere Oberlin. sqq. Saepius invenitur illud *qui* frustra libris obtrusum. cf. not. ad An. 15, 44. sub vv. *Tiberio imperante.*

ignoscentibus. MSS. Harl. Corb. *ignoscendum.*

CAP. 78. *Eadem largitione.* Edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. legunt *eademque largitione.* Rhenanus auctoritate

ritensibus familiarum adiectiones, Lingonibus universis civitatem Romanam, provinciae Baeticae Maurorum civitates dono dedit: nova iura Cappadociae, nova Africae, ostentui magis quam mansura. Inter quae necessitate praesentium rerum et instantibus curis excusata ne tum quidem immemor amorum statuas Poppaeae per senatus consultum reposuit. creditus est etiam de celebranda Neronis memoria agitavisse spe vulgum adlicien-

MS. Bud., ut videtur, expunxit *que*, dubito an recte: quanquam illud *que* nec in MS. Guelf. apparet. Ob sequens *quoque* prior copula potuit molesta videri: sed salva illa particula optime stat *eademque*. Scriptura ed. Spir. dubia est: ea enim in fine versus per compendium dat *eadeʒ*.

Hispaliensibus. Sic tacite edd. Rhen. sqq. — *Hispaniensibus* MSS. et edd. ante Rhenanum. MS. Guelf. tamen Strombeckius a prima manu habuisse *Hispaliensibus* testatur, quod sec. manu mutaverit in *Hispaniensibus*. Sed vereor, ne illius oculi sint decepti: nam omnes huius vocabuli litterae potius a prima manu videntur profectae.

familiarum adiectiones. Sic An. 13, 31. *coloniae Capua atque Nuceria additis veteranis firmatae sunt*. cf. Liv. 48, 17. — Ed. Spir. pro *familiarum* dat *familiarium*.

Lingonibus. MS. Bud. *Longonibus*. Ceteri libri tuentur vulgatum, quod tamen displicebat Lipsio, Savilio aliisque, qui contendunt Lingonibus Galliae populo hic non esse locum inter Hispaniae gentes, nec verisimilem illam Othonis liberalitatem in eos, qui Vitellium fovebant. cf. supr. c. 53 et 54. Quare Lipsius vult: *Lusonas* aut *Illurconas*; Bipont.: *Langonas*, quos volunt esse incolas Langobrigae (?) Lusitaniae. Contra illos Ryckius dicit: quod Lingonibus locus sit inter Hispanos, id pendere e temporis, quo haec gesta sunt ratione, non e locorum confinio; et potuisse Othonem haec Lingonibus beneficia tribuere principatus initio, ante quam constaret de eorum in Othonem animo, vel ut Vitellio eos alienaret.

Baeticae. Sic edd. Lips. sqq. — *beticae* edd. Spir. Put. — *Beticae* edd. Rhen. Ald. — *Bethicae* MS. Guelf. edd. Beroald. (cum silentio Victorii) Alc. Sed Graecis ea provincia dicitur *Βαιτική*.

ostentui magis. Sic MSS. Bud. Guelf. Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. sqq. — *ostenta* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — Pichena et Iac. Gronovius tacite ediderunt *ostentui*.

mansura. MS. Corb. ed. Spir. *mensura*.

inter quae. Sic edd. Spir. Rhenan. sqq. — *interque* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Vulgare vitium e compendio scripturae ortum.

excusata. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Guelf. Reg. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Lipsii posteriores, Pich. Grut. sqq. — *excusatus* MSS. Bud. Corb. Agr. ed. Spir., unde Rhenanus fecerat *excusatis*, quod retinuere Ald. et Lips. prima.

amorum. Ed. Spir. *amicorum*. Mox MS. Flor. (t. Vict.) *per .S. C.*, uti solet. Ed. Spir. *composuit* pro *reposuit*.

creditus est. MS. Bud. omittit *est*.

di. et fuere qui imagines Neronis proponerent: atque etiam Othoni quibusdam diebus populus et miles, tanquam nobilitatem ac decus adstruerent, NERONI OTHONI adclamavit. ipse in suspenso tenuit vetandi metu vel agnoscendi pudore.

LXXIX. Conversis ad civile bellum animis externa sine cura habebantur. eo audentius Rhoxolani, Sarmatica gens, priore hieme caesis duabus cohortibus

et fuere ... proponerent. Haec verba Gutmannus in contextu germanico non expressit. In scriptura *proponerent* consentiunt MSS. edd. Spir. Put. M. et V. Rhenan. Ald. In edd. Beroald. et Alc. inrepserat *praeponerent*. Rhenano auctore dein editum est *reponerent*, quod etiam Lipsio placebat et in margine ponebatur. In ed. Lips. 1607. lapsu operarum est *proponeret*. Vulgatum I. Fr. Gronovius defendit locis Sueton. Cal. c. 41. Plin. 35, 4. Gruterus adscripsit locum Suet. Iul. c. 11.

quibusdam diebus. Strombeck.: *während einiger Tage.* Ricklefs.: *etliche Tage.* Gutmann.: *einige Tage.* Nemo satis recte. Lipsius iam quaesiverat: „*quibus diebus?* et cur hoc ita ἀορίστως?" Cui respondeas: vocabulum *diebus* significantius et exquisite ita ponitur, ut denotet dies solemnes, quibus fieri solebat populi concursus ad principem publice prodeuntem et quibus occasio erat talia adclamandi. Germanice: *an gewissen Tagen.*

adstruerent. Ed. Spir. *abstruerent.* Eadem mox *Neroni et Othoni*, puncto posito ante *Neroni.*

vetandi metu vel agnoscendi pudore. MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. sqq. *metum ... pudorem.* Rhenanus, quum in MS. Bud. invenisset *metu*, correxit *metu ... pudore*, et sic deinde omnes edidere. De MS. Flor. sub his vocabulis Victorius nihil adnotavit. Pichena et Iac. Gronovius tacite edidere *metu ... pudore.* MSS. Harl. Bodl. Ies. *pudorem:* utrum *metu* an *metum* Broterius tacuit. MSS. Reg. Corb. cum ed. Spir. conspirant. Utut sit, errorem creavit verbum *tenuit*, quod librariorum inscitia traxit ad metum et pudorem. Verum elliptice ponitur, ut intelligas: in suspenso tenuit, ne vetaret aut agnosceret, vetandi metu vel agnoscendi pudore. Similiter Sueton. Tit. c. 8. *In ceteris vero desideriis hominum obstinatissime tenuit, ne quem sine spe dimitteret.* MSS. Reg. Corb. ed. Spir. pro *vel* habent *et.* — *agnoscendi* MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Reg. Corb. edd. Spir. Pichen. sqq. et sic voluerant Faërnus et Lipsius. — *cognoscendi* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. ad Pichenam. cf. Noster de Orat. c. 8. *agnosces quae audisti.* An. 4, 34. *si irascaris, agnita videntur* (carmina probrosa).

Cap. 79. *Rhoxolani.* Sic scribuntur in monimento, cuius inscriptionem edidit Broterius ad Hist. 4, 53. e Vulpii *Vet. Lat.* X, 1. p. 340. et Piranes. *Antichita Romane* tab. XI. Eandem scripturam sequuntur edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. sqq.; *Rhosolani* MS. Guelf.; *Rosolani* ed. Spir.; *Rhesolani* edd. Put. M. et V. Utraque scribendi ratio invenitur etiam in MSS. (teste Broterio). *Roxolani* sunt apud Spartian. in Hadrian. c. 6. Harduinus e Plinii MSS. dedit *Rhoxolanos.*

magna spe ad Moesiam inruperant, novem millia equitum ex ferocia et successu praedae magis quam pugnae intenta. Igitur vagos et incuriosos tertia legio adiunctis auxiliis repente invasit. apud Romanos omnia proelio apta: Sarmatae dispersi aut cupidine praedae graves onere sarcinarum et lubrico itinerum adempta equorum pernicitate velut vincti caedebantur. namque mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos. nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum: ubi per turmas advenere, vix ulla acies obstiterit. sed tum humido die et soluto gelu neque conti neque gladii, quos praelongos utraque manu regunt, usui lapsantibus equis et cataphractarum pondere. id principibus

ad Moesiam inruperant. Sic MSS. et edd. Acidalius malebat: *Moesiam inruperant. Ad novem millia* etc. cf. An. 6, 33. *Iberi magnis copiis Armeniam inrumpunt.* Sed *inrumpere* etiam absolute dicitur, ut sit inruptionem facere. Praepositio *ad* locum indicat, ubi inruptionem fecerunt vel quo tenderunt inrumpendo.

ex ferocia et successu praedae magis q. p. i. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Harl. Ies. Guelf. edd. Rhen. Ald. sqq. usque ad Bipont. et Oberlin. — *e ferocia* MS. Bodl. — *et ferocia* etc. MS. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *et ferociora successu et praedae* etc. MS. Agr., eamque scripturam edidere Bipont. Oberl. sqq. omissa tamen copula *et* ante *ferociora.* Bekkerus bene revocavit Rhenani emendationem, quae praecipua librorum auctoritate nititur. *Ex ferocia et successu* est ἓν διὰ δυοῖν. Praepositio *ex* indicat causam origineinque rei. Sic An. 1, 7. *causa praecipua ex formidine, ne* etc. Hist. 2, 10. *e fiducia tarditas*; 1, 90. *ex libidine servitii.*

adiunctis auxiliis. MS. Corb. ed. Spir. *iunctis auxiliis.*

dispersi aut cupidine praedae graves onere s. Sic MSS. et edd. usque ad Berneggerum; qui suadentibus Acidalio et Freinshemio edidit: *dispersi cupidine praedae aut graves onere s.* Imitati sunt recentiores editores praeter Iac. Gronovium omnes. Perperam. Verba *cupidine praedae* pertinent ad *graves onere sarcinarum*, ut constet, quod sarcinarum onus intelligendum sit. Non enim sunt graves onere *sarcinarum*, quas miles secum portat in itinere, ut infr. 2, 40.: sed quas rapuerunt cupidine praedae. Duplex ablativus *cupidine* et *onere* in eodem membro non est alienus a Taciti genere dicendi. cf. not. ad An. 2, 23. *qui tumidis G. terris, profundis amnibus immenso nubium tractu validus*; et 12, 33. sub vv. *Sed tum ustu* etc.

adempta equorum pernicitate. Ed. Spir. *adepti: quorum pernicitate*, cuius vitii origo est in compendio *adēpta.* Mox eadem *ignavos* pro *ignavum.*

cataphractarum. Sic edd. Rhenan. sqq. — *cathafractarum* MS. Guelf. ed. Spir. — *catofractarum* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — In MS. Guelf. *pondere* in contextu omissum in margine a sec. manu additum est.

et nobilissimo cuique tegimen ferreis laminis aut praeduro corio consertum, ut adversus ictus impenetrabile ita impetu hostium provolutis inhabile ad resurgendum. simul altitudine et mollitia nivis hauriebantur. Romanus miles facilis lorica et missili pilo aut lanceis adsultans, ubi res posceret, levi gladio inermem Sarmatam (neque enim defendi scuto mos est) cominus fodiebat, donec pauci, qui proelio superfuerant, paludibus abderentur. ibi saevitia hiemis, miseria vulnerum

tegimen. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Agr. — *tegmen* edd. Spir. Put. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Verum Tacitus eam videtur sequi legem, ut in nominativo et accusativo sing. num. scribat *tegimen*, in flexione per alios casus omittat litteram *i*, quae ibi molesta est. cf. An. 2, 21. ubi est *tegimen* ut hic. Contra An. 1, 18. 41. 2, 14. *tegmina*, *tegmine*.

praeduro corio consertum. Sic MS. Guelf. edd. Put. *(prae duro)* Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *duro corio textum* MS. Corb. — *praeduro corio contextum* ed. Spir. — Eadem mox *provoluti et inhabiles.* MS. Guelf. *prouultis inabile.*

facilis lorica. Sic MSS. Flor. (test. Victorio cum Iac. Gronovio) Corb. Bene. Nam *facilis*, ut Graecum εὐχερής et active ponitur, ut sit pro agili, habili, h. e. qui in usu alicuius rei sine labore versatur. cf. Sueton. Tib. c. 71. *Sermone Graeco quanquam alias promptus et facilis* etc.; id. Tit. c. 3. *Latine Graeceque vel in orando vel in fingendis poematibus promptus et facilis.* Tacit. Germ. c. 6. *sagulo leves.* — *facili lorica* MSS. Reg. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. ad hunc diem.

defendi scuto. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *scuto defendi.*

ibi saevitia hiemis, miseria vulnerum absumpti. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. *ibi saevitia: hic misericordia vulnerum a.* Placuere haec Strombeckio, qui dedit: *wo sie theils durch Grausamkeit, theils durch der Wunden Erbarmen den Tod fanden.* Vix credo haec sana dici posse. Rhenanus posuit: *ibi saevitia, hic miseria vulnerum a.* Nam MSS. Bud. Reg. non habent *misericordia*, sed *mia* h. e. *miseria:* et frequens est in vett. libris utriusque vocabuli confusio. In MS. Bodl. *misericordia* obelo notatur, in margine additur *hiemis rigore.* MS. Agr. ed. Ryck. *ubi saevitia hiemis et dolore vulnerum absumpti.* Illud *ubi* pro *ibi* exstat etiam in MS. Corb. Altero loco pro *hic* MS. Reg. iterum habet *ibi.* Cod. Flor. testante Iac. Gronovio in hoc loco mutilus est. *Hiemis* vocabulum latere post *saevitia* non solum Mureti ingenium vidit, sed testantur etiam vestigia quorundam codicum. Sine vocabulo *hiemis* nemini satis apparet, quae sit *saevitia* intelligenda. Iam Muretus locum constituit sic: *Ibi saevitia hiemis et vi vulnerum absumpti:* quam Mureti emendationem auctore Freinshemio admisere edd. Bernegg. Gronov. Ernest. sqq. Non tamen ille satis pressit vestigia veterum librorum, quod Ernestius quoque arguit emendatque: *et incuria vulnerum.* Aliquando coniiciebam: *socordia vulnerum.* Sed tutius ibimus cum libris vett., qui suppeditant *miseria vulnerum:* ea enim apta est et bona scriptura.

absumpti. Postquam id Romae compertum, M. Aponius Moesiam obtinens triumphali statua, Fulvius Aurelius et Iulianus Titius ac Numisius Lupus legati legionum consularibus ornamentis donantur, laeto Othone et gloriam in se trahente, tanquam et ipse felix bello et suis ducibus suisque exercitibus rem publicam auxisset.

LXXX. Parvo interim initio, unde nihil timebatur, orta seditio prope urbi excidio fuit. Septumamdecumam cohortem e colonia Ostiensi in urbem acciri Otho iusserat: armandae eius cura Vario Crispino tribuno e praetorianis data. is, quo magis vacuus quietis castris iussa exsequeretur, vehicula cohortis incipiente nocte onerari aperto armamentario iubet. tempus in suspicionem, causa in crimen, adfectatio quietis in tumultum evaluit, et visa inter temulentos arma cupidinem sui movere. Fremit miles et tribunos centurionesque proditionis arguit, tanquam familiae senatorum ad perniciem Othonis armarentur: pars ignari et vino graves, pessimus quisque in occasionem praedarum,

M. Aponius. Ed. Spir. *Marcus Oponius*.

Iulianus Titius. Sic MS. Guelf. edd. Beroald. sqq. — *Iulianus et Titius* MS. Flor. (teste Victorio) ed. Spir. — *Iulianus. Titius* etc. edd. Put. M. et V. — Broterius edidit: *Iulianus Tertius*, quia infr. 2, 85. et 4, 39. est *Tertius Iulianus*. Ryckio plenum nomen videtur esse *Tertius Titius Iulianus*.

Cap. 80. *septumamdecumam*. Sic MS. Flor. teste Victorio et sic Tacito semper scribuntur numeri, quando de legionibus loquitur. Edd. omnes cum MS. Guelf. *septimam decimam*. — In MS. Guelf. vocabula *orta* et *prope* a prima manu omissa secunda manus addidit.

Ostiensi. Sic edd. Spir. Ryck. sqq. — *Hostiensi* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Ryckium. cf. not. ad An. 2, 40. — Rhenanus duce MS. Bud. praepositionem *e* ante *colonia* deleverat: Pichena restituit e MS. Flor. Adsentiunt edd. ante Rhenanum et codd. MSS. Agr. Guelf. aliique (teste Broterio).

vehicula cohortis. Ed. Spir. *vehicula cohortibus*. Eadem omittit interpunctionem post *iubet*. — Mox in MS. Guelf. scribitur *armementario* et *suspictionem* hic et c. 81.

adfectatio. MS. Reg. ed. Spir. *affectio*. cf. not. ad Germ. c. 28. — Pro *tumultum* ed. Spir. dat *tumulum*.

pars ignari. Sic MSS. Bud. Bodl. (a sec. manu) edd. Spir. Rhenan. sqq. — *ignavi* MSS. Harl. Bodl. (a prima manu) Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. sqq. Non semel haec vocabula confunduntur. cf. not. ad An. 6, 44.

vulgus, ut mos est, cuiuscunque motus novi cupidum. et obsequia meliorum nox abstulerat. resistentem seditioni tribunum et severissimos centurionum obtruncant. rapta arma, nudati gladii, insidentes equis urbem ac palatium petunt.

LXXXI. Erat Othoni celebre convivium primoribus feminis virisque, qui trepidi, fortuitusne militum furor an dolus imperatoris, manere ac deprehendi an fugere et dispergi periculosius foret, modo constantiam simulare, modo formidine detegi, simul Othonis vultum intueri. utque evenit inclinatis ad suspicionem mentibus, cum timeret Otho, timebatur. Sed haud secus discrimine senatus quam suo territus et praefectos praetorii ad mitigandas militum iras statim miserat et abire propere omnes e convivio iussit. Tum vero passim magistratus proiectis insignibus, vitata comitum et servorum frequentia, senes feminaeque per tenebras diversa urbis itinera, rari domos, plurimi amicorum tecta, et ut cuique humillimus cliens, incertas latebras petivere.

cuiuscunque. Sic codd. MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Agr. Guelf. aliique (teste Broterio), edd. Spir. Put. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. et deinde Ryck. sqq. — Rhenanus e MS. Bud. dederat *cuiusque*, quod duravit ad Ryckium. Et ponitur sic *quisque* pro *quicunque.* cf. not. ad An. I, 6.

seditioni. Sic MS. Guelf. edd. vett. et recentt. cum silentio virorum doctorum. MS. Flor. teste Victorio *seditionem*, aperto vitio.

severissimos centurionum. Sic codd. MSS. Flor. (test. Pich.) Vat. (test. Lips.) Guelf. aliique (test. Broter.), edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. — Rhenanus e MS. Bud. induxerat *severissimum centurionum;* Pichena veterem scripturam restituit, et Plutarchus in Oth. c. 3. duo interfectos scribit. Causa erroris fuit locus c. 83., ubi sunt verba: *centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet.* Sed inde non consequitur unum tantum centurionem tum esse interfectum.

CAP. 81. *qui trepidi.* Ed. Spir. *qui trepide.*

et dispergi. Sic omnes libri praeter edd. Oberl. et sequacium, qui dant *ac dispersi.*

modo constantiam. A MS. Ies. abest *modo.* cf. not. ad An. 6, 32.

formidine detegi. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *formidinē detegi.* — Ceterum de toto hoc loco ad historiam cf. Xiphil. 64, 9. τοὺς μέντοι στρατιώτας ἐς τοσοῦτον τόλμης καὶ παρανομίας προήγαγεν, ἔκ τε ὧν ἐδίδου καὶ ὧν καθ' ὑπερβολὴν ἐκολάκευσεν, ὥστε καὶ ἐς τὸ παλάτιόν ποτε, ὥσπερ εἶχον, ἐσεβιάσαντο· ἐπειδὴ συχνοὶ τῶν βουλευτῶν ἐνταῦθα τῷ Ὄθωνι συνεδείπνουν κ. τ. λ. Adde Suet. Oth. c. 8. et potissimum Plutarch. in Oth. c. 3.

LXXXII. Militum impetus ne foribus quidem palatii coercitus, quo minus convivium inrumperent ostendi sibi Othonem expostulantes, vulnerato Iulio Martiale tribuno et Vitellio Saturnino praefecto legionis, dum ruentibus obsistunt. undique arma et minae modo in centuriones tribunosque modo in senatum universum, lymphatis caeco pavore animis et, quia neminem unum destinare irae poterant, licentiam in omnes poscentibus, donec Otho contra decus imperii thoro insistens precibus et lacrimis aegre cohibuit: redieruntque in castra inviti neque innocentes. Postera die velut capta urbe clausae domus, rarus per vias populus, maesta plebs, deiecti in terram militum vultus ac plus tristitiae quam poenitentiae. Manipulatim adlocuti sunt Licinius Proculus et Plotius Firmus praefecti ex suo quisque ingenio mitius aut horridius. finis sermonis in eo ut quina millia nummum singulis militibus numerarentur. Tum Otho ingredi castra ausus. atque illum tribuni centurionesque circumsistunt abiectis militiae insignibus, otium et salutem flagitantes. Sensit invidiam miles et

Cap. 82. *inrumperent.* Sic MS. Flor. teste Victorio. — *irrumperent* edd. vett. cum codice Guelf.

praefecto legionis. Veget. 2, 9. *Proprius iudex erat praefectus legionis, habens communem primi ordinis dignitatem, qui absente legato tanquam vicarius ipsius potestatem maximam retinebat. Tribuni vel centuriones ceterique milites eius praecepta servabant* etc. Intellige igitur virum legioni separatim agenti praepositum ducisque in ea officio fungentem. cf. infr. 2, 86. *praepositus a Galba septumae legioni*; 3, 52. *Plotius a Vespasiano legioni praepositus.*

lymphatis. Ed. Spir. *limphatis.* Fugit is liber litteram *y*. Mox omittit copulam *et* ante *quia.*

lacrimis. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *lachrymis* MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. — *lacrymis* edd. Lips. sqq.

redieruntque. Ed. Spir. *rediereque.*

neque innocentes. MS. Guelf. *nec innocentes.* — Idem liber mox *manipulati*, omissa lineola.

adlocuti. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *allocuti* edd. vett. cum MS. Guelf.

Licinius Proculus. Sic edd. Rhenan. sqq. cf. supr. c. 46. *Licinius et Proculus* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *Hanius et Proculus* ed. Spir. et MS. Guelf. (a secunda manu).

nummum. Sic MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. — *nummorum* ed. Spir. De re cf. Xiphil. 64, 9. καὶ οἱ μὲν καὶ ἐπὶ τούτῳ χρήματα ὡς καὶ δι' εὔνοιαν αὐτὸ τοῦ Ὄθωνος πεποιηκότες. Plutarch. l. l.

compositus in obsequium auctores seditionis ad supplicium ultro postulabat.

LXXXIII. Otho quanquam turbidis rebus et diversis militum animis, cum optimus quisque remedium praesentis licentiae posceret, vulgus et plures seditionibus et ambitioso imperio laeti per turbas et raptus facilius ad civile bellum impellerentur, simul reputans non posse principatum scelere quaesitum subita modestia et prisca gravitate retineri, sed discrimine urbis et periculo senatus anxius postremo ita disseruit: „Neque ut „adfectus vestros in amorem mei accenderem, commili„tones, neque ut animum ad virtutem cohortarer (utra„que enim egregie supersunt), sed veni postulaturus a „vobis temperamentum vestrae fortitudinis et erga me „modum caritatis. Tumultus proximi initium non cu„piditate vel odio, quae multos exercitus in discordiam „egere, ac ne detrectatione quidem aut formidine peri-

Cap. 83. *quanquam turbidis rebus* etc. *Quanquam* non spectat ad sequens *sed*, ut videtur Ernestio: consequens potius est inde a verbis: *postremo ita disseruit.* Particula *sed* respicit ad *simul reputans* etc., ut invicem opponantur *simul reputans ... sed .. anxius.* MS. Agr. a pr. manu habet *quam* pro *quanquam:* sec. manus addidit *vis.* Vitium e comp. scr. ortum.

sed discrimine urbis. Ed. Spir. *sed discriminum urbis.*

ut animum ad virtutem. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Ald. Micyll. Lips. sqq. — *ut ad animum ad virtutem* MSS. Bud. Agr. ed. Rhen., qui *ad animum* interpretatur *ad fortitudinem.* Sed hoc est in verbis *ad virtutem.* Vitium originem traxit e voce *utraque*, quam librarius ad animum et virtutem referendam putavit. In MS. Agr. prius *ad* puncto censorio notatur.

cohortarer. Ed. Spir. *cohortarem.*

cupiditate. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. et dein Pichen. Bernegg. sqq. — *cupidite* MS. Flor. teste Pichena. Victorius intactum reliquit *cupidine*, quod exstat in MS. Agr. edd. Spir. Beroald. Alc. Rhenan. Ald. Lips. Grut. — Etiam Iac. Gronovius pronior est in *cupidine.*

detrectatione. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *detractatione* MS. Bud., qua scriptura libri vett. passim utuntur. cf. not. ad An. 1, 42. Oudendorp. ad Sueton. Iul. c. 54. et Oct. c. 24. Baumgarten-Crusius in clav. Suet. sub v. *detrahere.* — MSS. Corb. Guelf. (a secunda manu) ed. Spir. *detractione.* Sed haec a *detrectatione* diversa est. cf. An. 11, 11. *detractor.*

aut formidine. Ed. Spir. *ac formidine.* Eadem: *sed nimia.* Verum *sed* in talibus locis solet omitti. cf. not. ad c. 29.

„culorum: nimia pietas vestra acrius quam considera„tius excitavit. nam saepe honestas rerum causas, ni „iudicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur. „Imus ad bellum. num omnes nuntios palam audiri, „omnia consilia cunctis praesentibus tractari ratio re„rum aut occasionum velocitas patitur? tam nescire „quaedam milites quam scire oportet. ita se ducum „auctoritas, sic rigor disciplinae habet, ut multa etiam „centuriones tribunosque tantum iuberi expediat. Sic„ubi iubeantur, quaerere singulis liceat, pereunte ob„sequio etiam imperium intercidit. an et illic nocte „intempesta rapientur arma? unus alterve perditus ac „temulentus (neque enim plures consternatione proxima

consideratius. MS. Flor. (teste Vict.) ed. Spir. *considerat.* Num fuit *considerate?* cf. not. ad Agr. c. 4. sub vv. *vehementius quam caute.* Contra Germ. c. 36. legitur *iucundius quam tutius.* cf. Ramsborn. Gr. § 155, 4. p. 309. Vulgatum tuentur MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silentio virorum doctorum.

ni iudicium. Ed. Spir. *si in iudicium.*

consequuntur. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. — *consecuntur* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc.

num omnes. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. (a sec. manu) edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. — *non omnes* MSS. Bodl. (secunda manu) Guelf. (prima manu) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Et Freinshemio quidem haec scriptura melior videbatur, quia nesciebat codicum MSS. consensum in *num.* Eadem varietas frequens est in vett. libris.

ut multa etiam centuriones. MSS. Bud. Covarruv. edd. Rhen. Ald. sqq. ad Pichenam omittunt *etiam*, quae tamen particula exstat in MSS. Flor. (teste Pichen.) Reg. Corb. Agr. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et dein Pichen. sqq. — MSS. Harl. (a sec. manu) Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. ad Pichenam addunt *per* ante *centuriones.* Omittitur ea praepositio in MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Covarr. Bud. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Pich. sqq. Rhenanus quoque in castigationibus iusserat aboleri *per.* Sed operae non paruerunt.

sicubi iubeantur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Corb. Harl. Bodl. Ies. Guelf. (a sec. manu) ed. Spir. — *si ubi iubeantur* MS. Bud. edd. Put. Ber. sqq. — *si quur iubeantur* MS. Agr. unde Ryck. edidit *si, cur iub.* Sed non video cur fugiamus optimorum librorum scripturam. Nam *sicubi* nihil aliud est quam *si ubi*: littera *c* interponitur mitigandae pronuntiationi, nec credo Tacitum admisisse pessimum illum hiatum *si ubi.* Pro *intercidit* Heinsius frustra volebat *intercidet.* Tempus praesens multo efficacius est.

an et illic. Ed. Spir. *at et ne illic.*

perditus ac temulentus. Lipsius malebat *percitus ac temulentus*, cui suffragatur Liv. 21, 53. *ingenium percitum ac ferox.* Sed

„insanisse crediderim) centurionis ac tribuni sanguine „manus imbuet? imperatoris sui tentorium inrum„pet?"

LXXXIV. „Vos quidem istud pro me: sed in „discursu ac tenebris et rerum omnium confusione pa„tefieri occasio etiam adversus me potest. Si Vitellio „et satellitibus eius eligendi facultas detur, quem nobis „animum, quas mentes imprecentur, quid aliud quam „seditionem et discordiam optabunt, ne miles centu„rioni, ne centurio tribuno obsequatur, hinc confusi „pedites equitesque in exitium ruamus? Parendo potius, „commilitones, quam imperia ducum sciscitando res „militares continentur, et fortissimus in ipso discri„mine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus. „Vobis arma et animus sit: mihi consilium et virtutis „vestrae regimen relinquite. Paucorum culpa fuit, „duorum poena erit. ceteri abolete memoriam foedis„simae noctis. nec illas adversus senatum voces ullus „unquam exercitus audiat. caput imperii et decora „omnium provinciarum ad poenam vocare non hercule

perditus ac temulentus sunt synonyma. Nam „*perditus stertit* apud Martial. 3, 82. pro *ebrio.*" Heinsius.

imbuet. MS. Agr. *imbuent,* quod Heinsio placebat. Sed vulgatum tuentur ceteri libri.

inrumpet. Sic MS. Flor. teste Victorio. *irrumpet* edd. vett. cum cod. Guelf.

Cap. 84. *Vos quidem istud.* Sic codd. MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Bud. Guelf. Agr. aliique, ut videtur secundum Broterium, edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. (1533.) Ald. Micyll. Ryck. Ernest. sqq. — *istuc* edd. Lips. sqq. ad Ryckium et ed. Iac. Gronovii, qui tamen vult *istud.* Alteram scripturam e Rhenan. ed. 1544. fluxisse dicunt, quae mihi non est ad manus. cf. not. ad An. 1, 42. et 2, 38., unde cognoscis non absurdum esse *istuc.*

quem nobis. MS. Guelf. a sec. manu *quem uobis.*

hinc confusi. Ed. Spir. *tot confusi.* Ceterum ita locum interpunxi, ut contextus poscebat. Vulgo haec leguntur sic: *quem nobis animum, quas mentes imprecentur, quid aliud, quam seditionem et discordiam, optabunt? ne miles centurioni, ne centurio tribuno, obsequatur. hinc confusi ... ruamus.*

quam imperia. Ed. Spir. *quam imperitiam.*

nec illas. Sic MSS. Flor. (teste Vict.) Bud. Corb. edd. Rhen. Ald. sqq. — *ne illas* MSS. Guelf. Harl. Ies. edd. Put. Beroald. Alc. — *nec ullas* MS. Reg. ed. Spir.

audiat. MSS. Guelf. Ies. Harl. *audeat:* hic in margine *audiat.*

non hercule. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir. cf.

„illi, quos cum maxime Vitellius in nos ciet, Germani „audeant. ulline Italiae alumni et Romana vere iu„ventus ad sanguinem et caedem depoposcerint ordi„nem, cuius splendore et gloria sordes et obscuritatem „Vitellianarum partium praestringimus? Nationes ali„quas occupavit Vitellius, imaginem quandam exerci„tus habet: senatus nobiscum est. sic fit, ut hinc res „publica, inde hostes rei publicae constiterint. Quid? „vos pulcherrimam hanc urbem domibus et tectis et

An. 1, 3. 17. 26. — *non bertle* edd. Put. sqq.

illi, quos cum maxime V. in nos ciet, G. audeant. Ita locum Lipsius restituit e MS. Vat., nisi quod ibi fuit *audiant* pro *audeant.* Eandem scripturam Pichena e MS. Flor. prorsus confirmavit, Ernestius e Guelf. Ante Lipsium ab aliis vulgabatur contextus a Rhenano e MS. Bud. constitutus in hunc modum: *illi, quibus cum maxime V. in nos ciet,, G. audiant* (sic edd. Rhen. Ald.; at in castigatt. Rhen. voluerat *audeant*); ab aliis edebantur haec: *illi quos nunc maxime V. in nos ciet, G. audeant* (sic edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Micyll.). Ed. Spir. *illos qbo* (h. e. *quibus*) *cum maxime Vitellius ignosci et germani audiant* (non: *Vitellius. Ignosci* etc. ut quidam prodidere). MS. Corb. *quibus cum maxime ... audeant.* MS. Covarruv. *quis cum maxime.* MS. Harl. a pr. m. *quos cum maxime...audeant;* sec. manus delevit *cum.* In *audeant* cum MS. Flor. aliisque libris consentiunt MSS. Bodl. Ies. Priorem eorundem librorum scripturam Broterius omisit adnotare. Solent cum Guelf. conspirare. MS. Reg. habet *audiant* a sec. manu, *audeant* a pr. manu. Hodie nemo dubitat unice veram esse scripturam a Lipsio inductam. De formula *cum maxime*, quae saepius corrumpitur, vid. not. ad An. 3, 59. 4, 27. Non tacebo Victorium *nunc maxime* in ed. Ber. intactum reliquisse. — Nec minus frequens est permutatio verborum *audere* et *audire.* cf. not. ad Hist. 1, 6.

depoposcerint. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) ed. Iac. Gronov. — *depoposcerent* MS. Bud. — *deposcerent* MS. Guelf. (et fortasse Oxonn., quanquam Broterius diserte non prodidit) edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *reposcerent* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Iam *deposcerent*, quod hodie vulgatur, stare posse minime negavero: multo tamen elegantius est futur. exact. *depoposcerint*, quod quomodo in tali contextu ponatur, egregie docet Ramshorn. Gr. § 164. Not. 7. p. 402. Ceterum ed. Spir. omittit *ordinem*, puncto posito ante *cuius.* MS. Guelf. in contextu habet *hominem*, in margine *ordinem.*

praestringimus. Ex emendatione I. Fr. Gronovii, quam in contextum recepit Oberlinus. MSS. et edd. priores *perstringimus*, vulgari syllabarum *per* et *prae* confusione. cf. Oudendorp. ad Sueton. Oct. c. 29.

imaginem quandam. Ed. Spir. *imaginem aliquam.*

inde hostes. MS. Flor. (t. Vict.) dat *in* pro *inde*, scilicet lineola omissa.

domibus et tectis. cf. Liv. 5, 54. Dio 56, 5. Sententia saepius in orationibus usurpata.

„congestu lapidum stare creditis? muta ista et inanima „intercidere ac reparari promiscua sunt: aeternitas re„rum et pax gentium et mea cum vestra salus incolumi„tate senatus firmatur. hunc auspicato a parente et con„ditore urbis nostrae institutum et a regibus usque ad „principes continuum et immortalem sicut a maioribus „accepimus sic posteris tradamus. nam ut ex vobis se„natores ita ex senatoribus principes nascuntur."

LXXXV. Et oratio ad perstringendos mulcendosque militum animos et severitatis modus (neque enim in plures quam in duos animadverti iusserat) grate accepta, compositique ad praesens qui coerceri non poterant. Non tamen quies urbis redierat: strepitus telorum et facies belli et militibus ut nihil in commune turbantibus

muta ista. Broterius testatur in quibusdam MSS. pro *muta* esse *multa:* hoc e MS. Flor. adnotavit Victorius.

inanima. E verissima Lipsii emendatione, quam primus ipse edidit 1574. cf. Cic. in Verr. 5, 67. Tac. An. 4, 69. — MSS. et vett. edd. *inania*, et Guelf. omissa copula *et*.

promiscua sunt. Sic MSS. Bud. Agr. Reg. Corb. edd. Spir. et auctore Freinshemio Bernegg. sqq. — *promisca sunt* MS. Flor., more suo (test. Pich.). Victorius tamen intactum reliquit *promiscue possunt*, uti exstat in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. ad Berneggerum. Sed alibi Victorio littera *u* in eo vocabulo constanter deletur auctoritate codicis Flor.

pax gentium. Sic MSS. (teste Broterio) edd. vett. et recentt. praeter Put. V. et Alc., quae dant *pars gentium.*

firmatur. MS. Guelf. *firma.*

sicut a maioribus. MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) *sic*, quod non video quomodo sanum Iac. Gronovio videri potuerit. MS. Corb. *a prioribus.*

Cap. 85. *Et oratio.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. (a pr. manu) Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Rhenan. Ald. sqq. ad Broter. Bipont. Oberl., qui revocarunt *ea oratio* e MSS. Reg. Agr. Guelf. (a sec. manu) edd. Spir. Put. Beroald. Alc. Restituo *et* cum Bekkero: nam *et oratio* ... *et severitatis modus* aperte sibi respondent. *Ea* inutile est.

ad perstringendos mulcendosque. Ed. Spir. *per pstringendos mulcendosque.* MS. Agr. *perstringendo mulcendoque.*

non tamen quies urbis redierat: strepitus telorum et facies belli et militibus etc. Sic locum legunt MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) et ed. Spir. A quibus diversus Puteolanus edidit; *non tamen quies urbis redierat. strepitus telorum et facies belli erat militibus: ut* etc., quae retinuerunt Beroaldus et Alciatus. Consentit MS. Guelf. Rhenanus ex ingenio: *non tamen quies urbi, sed erat strepitus telorum et facies belli: et militibus* etc. Sic et Ald., nisi quod omittit punctum ante *sed.* In ed. Micyll. leguntur haec: *non t. q. urbis redierat* (in marg. † *urbi, sed erat*) *strepitus t. et f. belli*

ita sparsis per domos occulto habitu et maligna cura in omnes quos nobilitas aut opes aut aliqua insignis claritudo rumoribus obiecerat. Vitellianos quoque milites venisse in urbem ad studia partium noscenda plerique credebant. unde plena omnia suspicionum et vix secreta domuum sine formidine. Sed plurimum trepidationis in publico, ut quemque nuntium fama attulisset animum vultumque conversis, ne diffidere dubiis ac parum gaudere prosperis viderentur. Coacto vero in curiam senatu arduus rerum omnium modus, ne contumax silentium, ne suspecta libertas: et privato Othoni nuper atque eadem dicenti nota adulatio. igitur versare sen-

erat (in marg. † *et*), *militibus* etc. Lipsius restituit Puteolani scripturam, quam dein omnes sunt secuti, nisi quod pro *urbis* retinent *urbi* contra veterum librorum auctoritatem. Sed quaeritur hic, qualis quies non redierit. In *redierat* vett. libri, quantum constat, consentiunt omnes. Copulam *et* ante *militibus* dat etiam MS. Bud. et ed. Iac. Gronov. nec MS. Agr. habet *erat*, quod ex emendandi studio profectum satis languet et ob *redierat* non solum molestum, sed etiam inusitatum Tacito est in tali contextu. Quod autem *et* copulat membra invicem dissimilia, id fit ex usu Graecorum et Nostro frequens est. cf. not. ad An. 14, 1. sub vv. *et flagrantior*. Etenim auctor rationem reddit verborum: *non tamen quies urbis redierat*, post quae commode sequuntur: *militibus turbantibus*. Sed quia interposuit: *strepitus telorum et facies belli*, debebat addere *et* ante *militibus*, ut intelligeres hunc ablativum pendere non e proximis verbis, sed e prioribus.

claritudo rumoribus. Ed. Spir. addit *et* ante *rumoribus*.

noscenda. Sic edd. Spir. Put. sqq. cum silentio Victorii. — MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. *delenda*; in marg. Harl. *noscenda*.

in publico, ut quemque. Vocem *ut quemque* habent MS. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — MS. Flor. teste Victorio pro *ut* scribit *uim*; ed. Spir. *ĩ*. — Mox *animum vultumque conversis* MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. (a pr. manu) Reg. Harl. Bodl. edd. Spir. Put. M. et V. Ryck. (ed. Spir. *vultum animumque*). MSS. Agr. Guelf. (a sec. manu) edd. Beroald. Alc. Micyll. *animo vultuque conversis*. Rhenanus e MS. Bud. edidit: *animum vultumque conversi*, eamque scripturam retinuerunt Ald. Lips. Pich. sqq. et Iac. Gronovius testatur ita legi in MS. Flor. Cui testimonio cum obstet Victorii adnotatio et multorum librorum scriptura, malui *conversis*, quod aptissime hic ponitur. De huius generis ablativis absolutis cf. not. ad An. 1, 29. sub v. *orantibus*. Non tacebo in MS. Flor. test. Vict. legi *adtulisset*, et *voltumque*.

ac parum. Ursinus et Acidalius volebant *aut parum*. Male. Nullus hic est particulae *aut* locus.

arduus rerum omnium modus. Sic An. 1, 11. *arduum cuncta regendi onus*. — Mox MS. Guelf. *privata* pro *privato*.

eadem dicenti nota adulatio. Ed. Spir. *eadem dicenda adulatio*. MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhenan. Ald.

tentias et huc atque illuc torquere, hostem et parricidam Vitellium vocantes, providentissimus quisque vulgaribus conviciis, quidam vera probra iacere, in clamore tamen et ubi plurimae voces, aut tumultu verborum sibi ipsi obstrepentes.

LXXXVI. Prodigia insuper terrebant diversis auctoribus vulgata. in vestibulo Capitolii omissas habenas bigae, cui Victoria institerat: erupisse cella Iunonis maiorem humana speciem: statuam divi Iulii in insula Tiberini amnis sereno et immoto die ab Occidente in Orientem conversam: prolocutum in Etruria bovem: insolitos animalium partus: et plura alia rudibus seculis etiam in pace observata, quae nunc tantum in metu audiuntur. sed praecipuus et cum praesenti exitio etiam futuri pavor subita inundatione Tiberis, qui immenso auctu, proruto ponte sublicio ac strage obstantis molis refusus non modo iacentia et plana urbis loca, sed secura eiusmodi casuum implevit. rapti e publico pleri-

eadem dicendi adulatio. Lipsius e MS. Vat. addidit *nota* correxitque ex ingenio *dicenti.* Ryckius testatur MSS. Flor. et Agr. exhibere eandem cum Vat. scripturam. Consentit quoque MS. Corb. teste Broterio. Vocabulum *nota* abest etiam a MSS. Harl. Bodl. Ies. — MS. Bud. *eadem dicendi nata adulatio.* Nemo dubitat Lipsium verissime locum emendasse. — Mox pro *igitur* ed. Spir. dat *itaque; ac patricidam* pro *et parricidam.*

aut tumultu verborum. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Bud. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *aut tumultus verborum* MSS. Guelf. (a sec. manu) Agr. ed. Spir. Grotius volebat *aucto tumultu.* Verum probra iaciebant aut in clamore ceterorum et ubi plurimae voces, ut ita clamor ceterorum et voces obstreperent, aut tumultu verborum sibi ipsi obstrepentes.

Cap. 86. *bigae.* Ed. Spir. *victae.* Eadem *spē*, uti solet, pro *speciem.* Ed. Put. V. *humanā* pro *humana.* MS. Guelf. *humana spetie.*

sereno et immoto die. Sic MSS. Reg. Corb. edd. Spir. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. Vocabulum *die* abest a MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies.; additum a sec. manu in Guelf. et Harl. — Rhenanus volebat *coelo.* Frustra. cf. Roth. p. 58. Mox ed. Naudet. male addit *et* ante *in Orientem.*

in metu. Sic *in pace*, *in bello*, de tempore. Igitur *in metu* h. e. eo tempore, ubi metuitur. cf. not. ad An. 1, 40. 2, 72.

subita. Ed. Spir. cum MS. Guelf. (a sec. manu) *subitaque.* Eadem ed. Spir. *quę īmensa* pro *qui immensa.*

proruto ponte. Ex emendatione I. Fr. Gronovii, quam in locum recepere Ernest. Broter. sqq. — *prorupto ponte* MSS. et vett. edd. cf. not. ad An. 15, 40.

eiusmodi. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Agr. Bud. Guelf. edd. Spir. Iac. Gron. Oberl.

que, plures in tabernis et cubilibus intercepti. fames in vulgus inopia quaestus et penuria alimentorum. corrupta stagnantibus aquis insularum fundamenta, dein remeante flumine dilapsa. utque primum vacuus a periculo animus fuit, id ipsum, quod paranti expeditionem Othoni campus Martius et via Flaminia iter belli esset obstructum, a fortuitis vel naturalibus causis in prodigium et omen imminentium cladium vertebatur.

LXXXVII. Otho lustrata urbe et expensis belli consiliis, quando Peninae Cottiaeque Alpes et ceteri Galliarum aditus Vitellianis exercitibus claudebantur, Narbonensem Galliam adgredi statuit classe valida et partibus fida, quod reliquos caesorum ad pontem Mulvium et saevitia Galbae in custodiam habitos in numeros legionis composuerat, facta et ceteris spe

sqq. — *huiusmodi* edd. Put. Ber. sqq. ad Iac. Gronov. et nuper Ernest. et Broterius. Mox ed. Spir. *casum* pro *casuum*.

et cubilibus. Sic MSS. Flor. (test. Ernest. et Brot., non invenio quia auctoritate) Bud. edd. Rhenan. sqq. — *ex cubilibus* MSS. Reg. Harl. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *ex cubiculis* MS. Ies. — *et cubiculis* MS. Guelf.

fames in vulgus. Ad vocem *vulgus* Victorius adnotavit: „Deest pagina in vetusto usque ad *Insulas inde Syriam* etc." cf. 2, 2.

inopia quaestus. Ed. Spir. *inopia quaestuum*.

quod ... Othoni. Utrumque vocabulum deest in MS. Bud. In MSS. Guelf. et Harl. *Othoni* adest a sec. manu. — *quod* a pr. manu.

a fortuitis. Ed. Spir. *a fortunis*.

in prodigium et omen. cf. Roth. p. 21. In edd. Spir. Put. M. et V. sicut in MS. Bud. *in prodigium* non apparet. Addidit Beroaldus. MS. Guelf. habet: *in omnem iminentium claudium vertebatur*.

Cap. 87. *belli consiliis*. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. cum silentio interpretum. — *bello consiliis* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc.

Peninae Cottiaeque. Sic edd. Lips. sqq. — *penine coctieque* ed. Spir. — *poeninae coctiaeque* edd. Put. Beroald. Alc. — *Poeninae Cottiaeque* edd. Rhenan. Ald. — *pennine coctiaeque* MS. Guelf.

caesorum. MSS. Bud. Guelf. (a sec. manu) ed. Spir. *Caesarum*.

ad pontem Mulvium. cf. not. ad An. 13, 47. Hic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. sqq. *Miluium*. MS. Bud. *miluinum*.

in custodiam. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. sqq. — *in custodia* MS. Agr. Sed cf. Ramshorn. Gr. p. 290 et 291. Not. 2.

in numeros legionis. Sic MSS. alter Flor. Agr. Reg. edd. Spir. (haec *inumeros*) Pichen. Bernegg. sqq. Recte. cf. not. ad c. 6. — *in numero legionis* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. — *in numerum legionis* edd. Lips. Gruter.

facta et ceteris spe. *Ceteris* MSS. alter Flor. Agr. Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Pich. sqq. — *re-*

honoratioris in posterum militiae. addidit classi urbanas cohortes et plerosque e praetorianis, vires et robur exercitus atque ipsis ducibus consilium et custodes. Summa expeditionis Antonio Novello, Suedio Clementi primipilaribus, Aemilio Pacensi, cui ademptum a Galba tribunatum reddiderat, permissa. Curam navium Oscus libertus retinebat ad observandam honestiorum fidem simul datus. peditum equitumque copiis Suetonius Paullinus, Marius Celsus, Annius Gallus rectores destinati. sed plurima fides Licinio Proculo praetorii praefecto. is urbanae militiae impiger, bellorum insolens auctoritatem Paullini, vigorem Celsi, maturitatem Galli, ut cuique erat, criminando, quod facilli-

liquis MSS. Harl. (hic in marg. *ceteris*) Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. ad Pichenam. Dein *spe* editur e I. Fr. Gronovii sententia, quam adoptavere recentiores. MSS. et vett. edd. *spes*, quod incommodum est. cf. infr. 3, 9. *facta ... spe.*

honoratioris. MS. Corb. ed. Spir. *honoratae.*

cohortes. MS. Guelf. *cohortis.*

vires et robur. Synonyma. cf. Roth. p. 9. Sic infr. 2, 11. *plus virium ac roboris.* Ceterum hic locus legitur ex emendatione Lipsii, quam ipse in contextum recepit. Libri vett. *e praetorianis viris ut robur exercitus.*

Novello. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Pichen. sqq. cf. infr. 2, 12. *Nouellio* edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Pichenam.

Suedio. Ed. Spir. *Suelio.*

permissa. curam etc. Ed. Spir. *permissam curam navium Oschus* etc. Etiam in MS. Guelf. secunda manus fecit *permissam.*

simul datus. Veterum librorum scripturam esse corruptam plurimi consentiunt. MS. Flor. alter *immutatus.* MSS. Reg. Agr. ed. Spir. *imitatus.* MSS. Bud. Guelf. aliique libri *invitatus*, quod edidere Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Bipont. et Oberlin., qui recepere I. Fr. Gronovii coniecturam *comitatus.* Alij alia suaserunt. Faërnus: *initio datus.* Pichena: *immixtus.* Ernestius: *impositus.* Ryckius: *incitatus.* Heinsius: *imputatus.* Pro mea coniectura pugnant, nisi fallor, et codicum vestigia et usus loquendi. Nam *datus* est constitutus, destinatus. cf. An. 11, 37. *custos et exactor e libertis Euodus datus.* Hist. 2, 12. *quibus* (Alpibus) *tentandis adgrediendaeque provinciae Narbonensi Suedium Clementem ... duces dederat.* In syllabis *immu*, *imi*, *invi* latere *simul* propterea coniicio, quia id vocabulum loco egregie convenit. Nam Osco ut proprium officium, quod palam ferebatur, cura navium iniuncta erat: attamen simul iubebatur observare honestiorum fidem.

peditum equitumque. Ed. Spir. *equitum peditumque.*

rectores destinati. MSS. Covarruv. et Bud. *rectores constituti.* Lipsius utrumque adiectivum spurium esse iudicat, non video qua necessitate.

mum factu est, pravus et callidus bonos et modestos anteibat.

LXXXVIII. Sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem neque arta custodia neque obscura, nullum ob crimen, sed vetusto nomine et propinquitate Galbae monstratus. Multos e magistratibus, magnam consularium partem Otho non participes aut ministros bello, sed comitum specie secum expedire iubet, in quis et L. Vitellium eodem quo ceteros cultu, nec ut imperatoris fratrem nec ut hostis. Igitur motae urbis curae, nullus ordo metu aut periculo vacuus. primores senatus aetate invalidi et longa pace desides, segnis et oblita bellorum nobilitas, ignarus militiae eques: quanto magis occultare et abdere pavorem nitebantur, manifestius pavidi. nec deerant e contrario qui ambitione stolida conspicua arma, insignes equos, quidam luxuriosos apparatus conviviorum et inritamenta libidinum ut instrumenta belli mercarentur.

factu est. MS. Guelf. *factū est.*

CAP. 88. *Cornelius Dolabella.* De quo cf. Plutarch. in Galb. c. 23. Sueton. Galb. c. 12., cui dicitur *Cneius.* A Vitellio interfectus infr. 2, 63. MS. Guelf. edd. Put. V. *dolobella.*

neque arta. MS. Guelf. *nec arcta.*

propinquitate. Quia propinquitatem, quae vulgo dicitur, Galbam et Dolabellam intercessisse aliunde non innotuit, Ricklefsius cogitat de familiaritate. Sed constans Taciti usus hanc vocabuli interpretationem respuit.

motae urbis curae. Sic MSS. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Lips. Pich. Grut. Lallemand. Brot. — *motae urbis cura* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. ad Lipsium. — *mota urbis cura* MSS. Bodl. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. et deinde Bernegg. (auctore Freinsh.) Gronov. sqq. Alii intelligunt *motâ curâ*, alii nominativum admittunt. Sed *cura urbis* ambiguum est; nam potest intelligi *Sorge für die Stadt*, *Besorgniss um die Stadt*, et Tacitus fere semper sic illo vocabulo utitur. At intelligendae sunt *curae urbis* h. e. *Sorgen der Stadtbewohner*, nempe eae ipsae curae, quae c. 89. nomine *communium curarum* veniunt. cf. An. 2, 33. *delenimentis curarum;* 1, 11. *in partem curarum.* Sic et Hist. 4, 26.

metu aut periculo. ἓν διὰ δυοῖν secundum Roth. p. 36., qui observat Tacito particulam disiunctivam saepius poni pro copula, ut Hist. 1, 63. *ob praedam aut spoliandi cupidine.* Sed vid. not. ad An. 1, 8.

aetate invalidi. MS. Agr. *aetate invalida.*

occultare et abdere. Synonyma. cf. Roth. p. 17. Edd. Lips. Pich. Grut. sqq. ad Ernestium *ac abdere* (non *addere*). Vett. libri tuentur *et*, quod Ernestius restituit.

ut instrumenta. MS. Guelf. ed. Spir. *et instrumenta.*

Sapientibus quietis et rei publicae cura: levissimus quisque et futuri improvidus spe vana tumens: multi adflicta fide in pace ac turbatis rebus alacres et per incerta tutissimi.

LXXXIX. Sed vulgus et magnitudine nimia communium curarum expers populus sentire paulatim belli mala conversa in militum usum omni pecunia, intentis alimentorum pretiis: quae motu Vindicis haud perinde plebem attriverant secura tum urbe et provinciali bello, quod inter legiones Galliasque velut externum fuit. Nam ex quo divus Augustus res Caesarum composuit, procul et in unius sollicitudinem aut decus populus Romanus bellaverat. sub Tiberio et Caio tantum pacis adversa rei publicae pertinuere. Seri-

quietis et rei publicae cura. Sic MS. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *quietis a rei p. cura* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

multi adflicta fide in pace ac turbatis rebus alacres. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. et deinde Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *multis adflicta fides ac* etc. MSS. Reg. Corb. Agr. Bud. edd. Spir. Rhenan. sqq. ad Ryckium. — Dureau de Lamalle particulam *ac* delendam censet, cui suffragantur Gutmann. et Ricklefs. Non tamen video eius rei necessitatem: *adflicta fide* est ablativus qualitatis; igitur erant adflicta fide in pace ac turbatis rebus alacres. Potest etiam defendi altera scriptura, ut intelligas *multis adflicta fides in pace* sc. erat *ac* (propterea) *turb. r. alacres* (erant). Adhaeret tamen scabri aliquid. Ceterum ed. Spir. dat *ac si turbatis* etc.

Cap. 89. *communium curarum expers.* Strombeck.: *der Staatsverwaltung untheilhaftig.* Immo *curae* intelliguntur, quibus uterque ordo, senatorius et equester, angebatur: populus autem nimis magna erat numero, quam ut communium curarum particeps esset.

perinde. Ed. Spir. *pinde* h. e. *proinde.*

et provinciali bello. Sic MSS. Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *a provinciali bello* MSS. Guelf. Agr. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

externum. Ed. Spir. *extremum.* Eadem mox *et unius* pro *et in unius.*

tantum pacis adversa rei publicae pertinuere. Libri eximiam scripturae varietatem ferunt. MS. Flor. (alter) *r. p. pertinuere.* MSS. Corb. Ies. *reipubl. pertinuere.* MS. Reg. *adversus rempubl. pertinuere.* Ed. Spir. *repub. pertinuere.* MS. Agr. *in re publica pertimuere.* MS. Bud. *r. p. partimuere.* MSS. Harl. Bodl. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhenan. Ald. *reipubl. pertimuere.* Lipsius sqq. omisere ambiguam vocem post *adversa* et legunt *pertimuere.* Oberlinus dedit: *in rempublicam pertinuere.* Bekkerus rediit ad Puteolani scripturam, quae licet probabilem sen-

boniani contra Claudium incepta simul audita et coercita. Nero nuntiis magis et rumoribus quam armis depulsus. tum legiones classesque, et quod raro alias, praetorianus urbanusque miles in aciem deducti, Oriens Occidensque et quidquid utrimque virium est, a tergo, si ducibus aliis bellatum foret, longo bello materia. Fuere qui proficiscenti Othoni moras religionemque nondum conditorum ancilium adferrent. aspernatus est omnem cunctationem ut Neroni quoque exitiosam: et Caecina iam Alpes transgressus exstimulabat.

XC. Pridie Idus Martias commendata patribus re publica reliquias Neronianarum sectionum nondum

tentiam fundat, nimiam emendationis speciem praefert minorisque auctoritatis libris nititur. Potiores libri pugnant pro *pertinuere*. Litterae *r. p.* sunt in omnibus. Quod nonnulli casum etiam exprimunt aut praepositionem addunt, parum iuvat. Verbum *pertinere* significat latius patere, latius porrigi, extendi: finis ad quem additur cum praepos. *ad* vel *in*. Ponitur vero etiam absolute nec addito fine ad quem. cf. Cic. de N. D. 2, 55. *eorumque* (nervorum) *implicationem toto corpore pertinentem.* Ibid. *atque inde aliae* (viae) *pertinentes sunt, per quas cadit cibus* etc. Quare Gulmann. putat Tacitum scripsisse: *re publica pertinuere*, ut Cic. l. l. *toto corpore pertinentem.* Vix credo. nam apud Cic. vocabulum *toto* eam vim habet, quae desideratur in loco Taciti. Quodsi absolutum usum verbo vindicas, melius fortasse scribes: *tantum pacis adversa rei publicae pertinuere.* Tum *pacis adversa rei publicae* dicuntur ut *proditionis ira militum* infr. 3, 10.; *canum adulatio dominorum* Cic. de N. D. 2, 63.: *pertinuere*, h. e. perennitatem habuere, duravere. MS. Guelf., ut saepissime, pro *tantum* habet *tamen.*

Scriboniani c. C. incepta. cf. An. 12, 52. Sueton. Claud. c. 13. Dio 60, 15. — Ed. Spir. pro *incepta* dat *inepta*; ed. Put. V. *scepta.*

audita. Ed. Spir. *iaudita.*

si ducibus aliis bellatum foret. Sic MSS. Flor. (alter) Reg. Corb. edd. Spir. Pich. sqq. — *sub ducibus aliis si bellatum foret* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. sqq. ad Pichenam. Eadem sunt in MS. Bud., nisi quod is liber omittit *si.*

longo bello materia. MS. Agr. ed. Ryck. *longa bello materia.* Praestat vulgatum. Alibi Nostro scribitur *materies.*

conditorum ancilium. Sic edd. Put. sqq. — MSS. Bud. Guelf. (in marg.) Reg. Corb. ed. Spir. addunt *scutum et arma coelestia*, e glossemate. De re cf. Ovid. Fast. 3, 260 sqq.

aspernatus est. Sic MSS. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ryck. Ernest. sqq. In MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. omittitur *est.*

Cap. 90. *reliquias N. sectionum.* cf. supr. c. 20. Ed. Spir. pro *Neronianarum* dat *ne romanarum.*

in fiscum conversas revocatis ab exsilio concessit, iustissimum donum et in speciem magnificum, sed festinata iam pridem exactione usu sterili. Mox vocata concione maiestatem urbis et consensum populi ac senatus pro se attollens adversum Vitellianas partes modeste disseruit, inscitiam potius legionum quam audaciam increpans, nulla Vitellii mentione, sive ipsius ea moderatio seu scriptor orationis sibi metuens contumeliis in Vitellium abstinuit, quando ut in consiliis militiae Suetonio Paullino et Mario Celso ita in rebus urbanis Galerii Trachali ingenio Othonem uti credebatur. et erant qui genus ipsum orandi noscerent crebro fori usu celebre et ad implendas aures latum et sonans. Clamor vocesque vulgi ex more adulandi nimiae et falsae. quasi dictatorem Caesarem aut imperatorem Augustum prosequerentur, ita studiis votisque certabant, nec metu aut amore sed ex libidine servitii. ut in familiis, privata

iam pridem. Sic MSS. Flor. (alter) Agr. edd. Spir. Put. Beroald. Alc. et dein Ryck. sqq. Omittitur *iam pridem* in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Rhen. sqq. ad Ryckium.

usu sterili. Sic MSS. Bud. Guelf. (et fortasse alii libri scr.) edd. Spir. Put. Ber. sqq. ad Lipsium, qui dedit *usu sterile*, quod hodie vulgatur. Parum interest: sed maneat vett. libris sua auctoritas.

consensum. MS. Guelf. *consensus.* Idem liber ante *consiliis* omittit *in.*

Mario Celso. Ed. Spir. *Mario Celsa.* Mox *Galeri Tracali.*

Othonem uti credebatur. Vocabulum *Othonem* Acidalio e glossemate inrepsisse videbatur: eadem opinione Bipont. dedere *et oratione*, non video quo tandem iure. Haud absurde legimus *Othonem*, quia quod praecedit *abstinuit* ex alio subiecto pendet atque inconcinnum est: *scriptor abstinuit*, *quando ... credebatur.* Ad structuram verborum: *Othonem uti credebatur* cf. Hist. 1, 50. *ut tantum superioris Germaniae exercitum descivisse crederetur*; 3, 79. *plebem quoque et servitia pro Vitellio armari nuntiabatur*; 4, 52. *Titum ... orasse dicebatur.* An. 2, 69. *quis creditur animas numinibus infernis sacrari*; 4, 57. *traditur etiam matris impotentia extrusum.* cf. Hess. ad Germ. c. 33. Gutmannus tamen mire delectatur Bipontinorum coniectura.

ad implendas aures. Sic MS. Reg. edd. Spir. et, suadente Grutero, Ernestii, Broter. sqq. — *ad implendas populi aures* MSS. Bud. Agr. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Ernestium, qui non recte delevit *populi*, ut cum Gutmanno mihi videtur.

sed ex libidine servitii. ut in familiis etc. Distinxi locum e sententia Lipsii, cui suffragatur Herbst. in *Animadvv.* p. 29. et sic volunt edd. Spir. Put. Beroald., quae ha-

cuique stimulatio et vile iam decus publicum. Profectus Otho quietem urbis curasque imperii Salvio Titiano fratri permisit. c. 77.

hent colon post *servitii*. Edd. Rhen. Ald. sqq. *servitii*, *ut in familiis*, *privata* etc. puncto posito ante *nec metu*.

stimulatio. Sic MS. Reg. edd. Spir. Put. sqq. — *simulatio* MSS. Harl. Bodl. Ies. Corb. Guelf. Bud. Agr. In Harl. a sec. manu est *stimulatio*.

C. CORNELII TACITI HISTORIARUM LIBER SECUNDUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Titus ad Galbam missus nuntio mortis eius accepto vertit iter. 2. Paphiae Veneris templum adit. 3. Huius origo et deae cultus. 4. Ibi futura edoctus aucto animo ad patrem, qui bellum Iudaicum profligaverat, redit. 5. Vespasiani Mucianique ingenium ac mores diversi. hi duces positis odiis in medium consulunt. Inde 6. 7. civilis belli occasio intumescentibus Orientis legionibus. 8. 9. Falsi Neronis ludibrium ab Asprenate compressum. 10. In urbe parvae res magnis motibus actae. Vibius Crispus Annium Faustum delatorem fratris sui pervert t.

11. Laeta Othoni principia belli. 12. Miles eius in Alpinos saevit, 13. in Albium Intemelium iras vertit. Egregium maternae pietatis exemplum. 14. Imminet provinciae Narbonensi Othoniana classis. Vitelliani caesi, 15. nec Othonianis incruenta victoria. 16. Pacarium procuratorem iuvare Vitellium Corsorum viribus parantem insulani necant. 17. Vitellianorum res secundae in Italia. 18. 19. Spurinna Placentiam munit contra Vitellianos. 20. eam Caecina dum oppugnat, 21. amphitheatrum urbi proximum conflagrat. 22. Obsidione soluta Cremonam Caecina petit, ubi 23. Othoniani prospere pugnant. Vincentium impetum reprimunt duces, inde suspecti fiunt suis. 24. Caecinae insidias in ipsum vertit Suetonius Paullinus, cuius 25. cunctatione Vitelliani servantur. 26. Utrimque tumultuantur milites.

27. Valens in Italiam copias ducit. 28. 29. Gravis in eius exercitu orta Batavorum seditio Alpheni Vari consilio composita. 30. Iunctis armis, aemulatione suppressa Caecina ac Valens Vitellium fovent, Othoni probra obiectant. Eorum 31. Othonisque et Vitellii comparatio. Otho consultat de ratione belli. 32. Suetonius Paullinus moram suadet. 33. Titiani fratris et Proculi consilia praevalent. Otho cum valida manu Brixellum concedit. 34. Vitelliani transitum Padi simulant, 35. 36. quem prohibentes Othoniani caeduntur. 37. Vanus rumor pavore belli fastidiove utriusque principis pacis consilia inter exercitus fuisse agitata. 38. Excursus de prioribus populi Romani civilibus bellis. 39. 40. Titianus et Proculus ad quartum a Bedriaco castra imperite promovent. Ducibus dubiis rem in discrimen mitti Otho iubet. 41 — 43. Bedriacensis pugna. 44. Othonianorum fuga et adversus duces suos ira. 45. Induciae. Victi cum victoribus in lacrimas effusi civilia bella detestantur.

46—49. Accepto cladis nuntio Otho consilii certus spretis amicorum militumque solatiis seditionem compescit et in ferrum pectore incumbit. Funus maturatum. Ad rogum quidam militum se interficiunt. 50. Othonis aetas, origo, fama.

51. Novata luctu ac dolore militum seditio. 52—54. Pars senatus Othonem secuta extremum discrimen adit. 55. Romae trepidationis nihil, spectantur ludi, audita Othonis morte Vitellio plauditur. 56. Gravis Italiae victor exercitus. 57. Vitellius nuntium de victoria sua accipit 58. simulque de transgressa in partes suas utraque Mauretania. 59. Blaesi verniles blanditias odiis pensat. 60. Othonianorum promptissimos centuriones interficit, duces absolvit. 61. Maricci inserere sese fortunae ausi supplicium. 62. Vitellii gula, leges. Spretum Augusti Caesarisque praeconium. Pulsi mathematici. Equites arena prohibiti. 63. 64. Dolabellae caedes. Triariae licentia, Galeriae et Sextiliae modestia. 65. Cluvius absolvitur, Trebellius removetur. 66. Victae legiones ferociunt. Quartadecumanorum et Batavorum discordia. 67. Praetorianorum honesta missio. Sparguntur legiones. 68. Luxuriam principis aemulatur exercitus. Ticini tumultus alio tumultu sedatus. Verginii periculum. 69. Cohortes Batavorum in Germaniam remissae. amputati legionum auxiliorumque numeri. miles luxu corruptus. 70. Vitellius Bedriacenses campos laetus lustrat propinquae sortis ignarus. 71. Neronis libidines aemulatur. Consulatus partitur. 72. Falsus Scribonianus cruci suffixus.

73. Vitellius ob adactum in verba eius Orientem superbus et vecors Vespasiani ad nomen excitatur. 74. Hic bellum armaque parat. 75—78. nutantem firmant Mucianus, legati alii, vatum responsa et Carmeli dei sacerdos. 79. 80. Imperatorem salutant Aegyptus et Syria. 81. Accedunt ad partes eius reges Sohemus, Antiochus, Agrippa, regina Berenice. 82. Belli consilia. Titus instat Iudaeae. Vespasianus claustra Aegypti obtinet. 83. 84. Mucianus cum exercitu praemissus nervum belli conquirit. 85. 86. Moesicae Pannonicaeque legiones in partes transgressae Dalmaticum militem trahunt. Belli faces Antonius Primus, Cornelius Fuscus.

87. Vitellius contemptior in dies gravi urbem agmine petit eamque 88. 89. patrata multa militum paganorumque caede ut captam ingressus 90. magnificam de semet ipso orationem promit, 91. humani divinique iuris expers, nonnulla tamen popularia usurpat. 92. Munia imperii Caecina ac Valens obeunt. Vitellio auctoritatis nihil. 93. Militis in urbe otium, libidines, morbi, mortes, 94. insolentia, paucitas. Vitellii inopia, prodigentia. Duces Galliarum postulati ad supplicium. Militiae ordo confusus. 95. Natalis Vitellii ingenti paratu celebratus. Inferiae Neroni factae. Urbis miseria. 96. Defectionis Flavianae rumores male coercet Vitellius. 97. 98. Excita tamen auxilia, sed necessitas dissimulata. 99. Inrumpentibus hostibus Caecina ad bellum praemittitur: sed is 100. 101. cum Lucilio Basso classibusque Ravennate Misenensique proditionem componit et ad partes Vespasiani transit. Gesta haec sunt paucis mensibus anno eodem, consulibus iisdem et aliis suffectis, de quibus videsis I, 77.

I. Struebat iam fortuna in diversa parte terrarum initia causasque imperio, quod varia sorte laetum rei publicae aut atrox, ipsis principibus prosperum aut exitio fuit. Titus Vespasianus e Iudaea incolumi adhuc Galba missus a patre causam profectionis officium erga principem et maturam petendis honoribus iuventam ferebat. sed vulgus fingendi avidum disperserat accitum in adoptionem. materia sermonibus senium et orbitas principis et intemperantia civitatis, donec unus eligatur, multos destinandi. Augebat famam ipsius Titi ingenium quantaecunque fortunae capax; decor oris cum quadam maiestate, prosperae Vespasiani res, praesaga responsa et inclinatis ad credendum animis loco ominum

COMMENTARIUS.

Cap. 1. In MS. Guelf. edd. Put. libri Historiarum primus et secundus nomine decimi septimi historiae Augustae confusi reperiuntur. Est tamen in edd. Put. spatium aliquod inter primi libri finem et initium secundi.

varia sorte. E certissima Lipsii emendatione, quam in contextum recepere Pichen. Bernegg. sqq. — MSS. Vat. Reg. *vari aborte.* Ed. Spir. *vane ortum aborte.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. et Guelf. edd. Put. sqq. ad Pichenam *varie ortum.* Colerus facete coniiciebat *vario abortu.* Lipsiana scriptura confirmatur exemplis infr. c. 95. 3, 80.

laetum rei publicae. MS. Bud. *semen r. p.*

aut exitio. Ed. Spir. *vel exitio.*

Iudaea. Edd. Spir. Put. M. et V. *Iudea*, uti solent.

decor oris. Ex eleganti Rhenani emendatione, quam ipse in contextum recepit et posteriores editores servarunt. MSS. Reg. Bud. edd. Spir. Beroald. Alc. *decoris.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. *decori.* MS. Agr. *decorus.*

prosperae Vespasiani res. Duo vocabula *Vespasiani res* in MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. non apparent. Addita sunt in margine Guelf. et Harl. Leguntur ibi: *prospere praesaga responsa*, quae legendi ratio placebat Rhenano. Vulgatam scripturam tuentur edd. Spir. Put. sqq., nisi quod Puteolanus dedit *prospere* pro *prosperae* et *Vespesiani* pro *Vespasiani.* Vespasiani patris res hinc esse alienas cum Ernestio minime putaverim. Erant potius praecipui momenti in hac re.

praesaga responsa. I. Fr. Gronovius plaudente Ernestio corrigebat: *praesagia, responsa*, quia mox est *ominum* mentio, quae sint *praesagia.* Verum si sint, quid tum lucramur Gronovii emendatione? Vulgata scriptura bene se habet. Respice ad Suet. Tit. c. 2.

loco ominum. Sic MSS. Guelf. Bodl. Agr. (Harl. et Ies. a secunda manu) edd. Put. M. Bernegg. Gronov. sqq. — *loco omnium* MSS. Bud. (Harl. Ies. a prima manu) edd. Spir. Put. V. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. ad Bernegg., qui *ominum* edidit suadentibus Ursino, Mureto, Grotio, et sic Victorius iam correxit in suo exemplari. Eadem utriusque vocabuli confusio frequens est in vett. libris. cf. not. ad An. 15, 8.

etiam fortuita. Ubi Corinthi Achaiae urbe certos nuntios accepit de interitu Galbae et aderant qui arma Vitellii bellumque adfirmarent, anxius animo paucis amicorum adhibitis cuncta utrimque perlustrat. Si pergeret in urbem, nullam officii gratiam in alterius honorem suscepti, ac se Vitellio sive Othoni obsidem fore. sin rediret, offensam haud dubiam victoris: sed incerta adhuc victoria et concedente in partes patre filium excusatum. sin Vespasianus rem publicam susciperet, obliviscendum offensarum de bello agitantibus.

II. His ac talibus inter spem metumque iactatum spes vicit. Fuere qui accensum desiderio Berenices reginae vertisse iter crederent. neque abhorrebat a Berenice iuvenilis animus: sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum. laetam voluptatibus adolescentiam egit, suo quam patris imperio moderatior. Igitur oram

etiam fortuita. Ex emendatione Grotii, quam primus in contextum recepit Berneggerus. Suffragantur exempla Hist. 1, 86. 2, 84. 4, 26. Veteres libri omnes *etiam fortuna*; Guelf. *et fortuna.* Idem mox *corynthii.*

Achaiae urbe. Ed. Spir. *Achaiae urbi.* MS. Guelf. *Achaiae urbis* (a secunda manu). — Mox edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. parenthesi includunt verba: *et aderant ..... adfirmarent.* Mox MS. Guelf. *prelustrat* pro *perlustrat.*

sed incerta adhuc victoria. Sed Rhenani ingenio debetur. *et incerta a. v.* MSS. et edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Saepius eodem modo in vett. libris peccatum iam supra vidimus aliquoties. cf. not. ad An. 2, 64. MS. Guelf. a secunda manu et ed. Spir. ferunt *et incertam adhuc victoriam*, haud inepte, quanquam haec non valebunt in detrimentum vulgatae scripturae.

obliviscendum offensarum. Sic MSS. Flor. (alter) Vatic. Corb. Harl. (a secunda manu) edd. Spir. et suadente Rhenano Pich. Bernegg. sqq. — *obl. infensarum* MSS. Harl. (a prima manu) Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. sqq. ad Pichenam.

Cap. 2. *iactatum spes vicit.* Heinsius vult *iactato:* Ernestius *iactatis* vel *iactatur* vel *iactatus.* Broterius respondet: „eleganter quidem, at non necessario." MS. Guelf. plene interpungit post *iactatum.*

Berenices. Sic edd. Lipsii posteriores, Pich. Grut. sqq. et sic inscriptio apud Gruter. p. 288. 4. — *Beronices* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. et sic vett. edd. Xiphil. 66, 15. et alibi. — *Bernices* ed. Spir. et sic Iosephus ac Lucas in Act. 25, 13. 26, 30. Mox ed. Spir. *beronice.* cf. Reimar. ad. Xiphil. l. l. Lipsius 1574. edidit *Berinices.*

neque abhorrebat. MS. Guelf. *nec abhorrebat.* Ibidem *ex eo* non legitur. Mox est *adoloscentiam.*

moderatior. Sic MSS. Flor. (alter) Agr. edd. Bip. Oberl. sqq.; *modestior* MS. Guelf. (et alii codd., ut videtur) edd. Spir. Put. sqq.

Achaiae et Asiae ac laeva maris praevectus Rhodum et Cyprum insulas, inde Syriam audentioribus spatiis petebat. atque illum cupido incessit adeundi visendique templum Paphiae Veneris inclutum per indigenas advenasque. Haud fuerit longum initia religionis, templi ritum, formam deae (neque enim alibi sic habetur) paucis disserere.

III. Conditorem templi regem Aeriam vetus memoria, quidam ipsius deae nomen id perhibent. fama recentior tradit a Cinyra sacratum templum deamque ipsam conceptam mari huc adpulsam. sed scientiam artemque

praevectus. Sic MSS. Flor. (alter) Corb. Harl. Bodl. Ies. Guelf. (ibi *preuectus*) edd. Spir., unde in locum recepit Ernestius. Recte. cf. An. 2, 6. Hist. 4, 71. — *praetervectus* MSS. Bud. Agr. edd. Put. sqq. ad Ernest. — *provectus* MS. Reg. — *praefectus* MS. Vat. teste Lipsio. A verbis *insulas, inde Syriam* rursum incipit MS. Flor. litt. Lang. scr. cf. not. ad 1, 86.

Syriam audentioribus spatiis. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. (ut videtur, e MS. Bud.) Ald. sqq. — *spaciis audentioribus Syriam* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Ceterum ed. Spir. scribit *siriam*, ut paulo ante *Ciprum*. — Pro *audentioribus* MS. Corb. dat *ardentioribus*. Heinsius malebat: *adductioribus*. Verum *audentiora spatia* indicant cursum per altum mare factum, opponuntur navigationi litorali et de insula in insulam. Sic An. 2, 78. *lato mari pergere in Syriam*. Eodem sensu *spatia* dicuntur An. 2, 61.

inclutum. Ed. Spir. *inditum*. Voluit dare *inclitum*, uti est in edd. Put. M. et V. Beroald. — *inclytum* MS. Guelf. edd. Alc. Rhen. Ald. sqq. Sed vid. not. ad An. 6, 37.

templi ritum. Vett. libri omnes *templi situm*, quod Dureau de Lamalle bene mutavit in *t. ritum*. In contextum recepere Naudetus et Bekkerus. Adsentiunt Gutmannus et Ricklefsius. Recte. Nam de ritu dicit in sequentibus, de situ nihil.

neque enim alibi sic habetur. Uncis haec inclusi, uti sunt in MS. Guelf. edd. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Nam vera haec parenthesis. Id etiam vidit Herbst. in *Animadvv*. p. 30.

Cap. 3. *regem Aeriam*. MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Bud. aliique libri *Verianum*. MSS. Agr. Guelf. (a secunda manu) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. *Venerianum*. Rhenanus dedit *Aeriam* ex An. 3, 62. Alciatus volebat *Uranium*.

a Cinyra. MS. Flor. test. Vict. *a Cynyra*, mox *Cinyrades*; testante Pichena *a Cynira* et mox *Cynirades*. Broterius in MSS. invenit *a Cinara*, uti est in MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. — *a cura* ed. Spir. Veram scripturam auctore Freinshemio habent edd. Bernegg. Gronov. sqq. cf. Ovid. Met. 10, 200. Aelian. Hist. Anim. 9, 36.

adpulsam. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *appulsam* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

scientiam artemque haruspicum accitam. *Scientiam artemque* MS. Guelf. (a prima manu) edd. Put. Ber. (cum silentio Vict.) sqq. — *scientia arteque* MSS. Corb. Agr. Guelf. (a sec. manu) ed. Spir. — *haruspicum* edd. Lips. sqq. — *aruspicum* MS. Guelf. edd. ante

haruspicum accitam et Cilicem Tamiram intulisse, atque ita pactum, ut familiae utriusque posteri caerimoniis praesiderent. Mox, ne honore nullo regium genus peregrinam stirpem antecelleret, ipsa quam intulerant scientia hospites cessere: tantum Cinyrades sacerdos consulitur. Hostiae, ut quisque vovit, sed mares deliguntur. certissima fides haedorum fibris. sanguinem arae obfundere vetitum: precibus et igne puro altaria adolentur, nec ullis imbribus quanquam in aperto madescunt. Simulacrum deae non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metae modo exsurgens, et ratio in obscuro.

IV. Titus spectata opulentia donisque regum, quaeque alia laetum antiquitatibus Graecorum genus incertae vetustati adfingit, de navigatione primum consuluit. postquam pandi viam et mare prosperum accepit, de se per ambages interrogat caesis compluribus hostiis.

Lipsium. — *accitam* MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. Rhen. sqq. — *accitum* MS. Corb. edd. Put. V. Beroald. Alc.

et Cilicem Tamiram. MS. Flor. (test. Vict.) *et cilicentamirā*; teste Iac. Gronovio: *et Cilicen tamyram.* MS. Guelf. *e cilicenta miram*; MS. Bud. *et cilicentam miram*, unde Rhenanus exsculpsit *Cilicem Tamiram*, atque sic id nomen scribi Meursius docuit ex Hesychii *Ταμιράδαι.* MSS. Harl. Bodl. Ies. ed. Spir. *et cilicenta miram.* MS. Agr. *et linarae certamina.* Edd. Put. M. et V. *e cilicia myrā.* Ed. Ber. *e cilicia Myrram.* Ed. Alc. *e Cilicia Myram.*

intulisse. Sic MS. Guelf. edd. omnes. *attulisse* MS. Agr.

utriusque. Ed. Spir. *utrisque.* Eadem mox cum MS. Guelf. *intulerat* pro *intulerant.*

Cinyrades. Ed. Spir. *einirades.* Edd. Put. sqq. cum MS. Guelf. *Cinarades.* cf. not. supra sub voc. *Cinyra.*

ut quisque vovit, sed. Sic edd. Pich. Bernegg. sqq. Nam in MS. Flor. Pichena vidit *ut quisque vovit &c.* Edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. cum MSS. Bud. Guelf. (a secunda manu) aliisque *ut quisque vovisset.* MS. Guelf. (a prima manu) edd. Spir. Beroald. *novisset.* Id Victorius non e MS. Flor., sed ex ingenio correxit *vovisset.*

haedorum. Sic edd. Lips. sqq. — *hedorum* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Lipsium. — *haeredum* ed. Spir., nulla distinctione posita ante *sanguinem.*

obfundere. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. — MS. Bud. *effundere.* — Edd. Rhen. sqq. *offundere.* Mox edd. Bernegg. et Gronoviorum (1672.) *altari* pro *altaria*, vitio typogr. — Pro *adolentur* MS. Bud. dat *redolentur.*

ambitum metae. Ed. Spir. *ambitu meta.*

Cap. 4. *compluribus.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *pluribus* edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

Sostratus (sacerdotis id nomen erat) ubi laeta et congruentia exta magnisque consultis adnuere deam videt, pauca in praesens et solita respondens petito secreto futura aperit. Titus aucto animo ad patrem pervectus suspensis provinciarum et exercituum mentibus ingens rerum fiducia accessit. Profligaverat bellum Iudaicum Vespasianus oppugnatione Hierosolymorum reliqua, duro magis et arduo opere ob ingenium montis et pervicaciam superstitionis quam quo satis virium obsessis ad tolerandas necessitates superesset. Tres, ut supra memoravimus, ipsi Vespasiano legiones erant exercitae

Mox ed. Spir. omittit interpunctionem ante *sostratus*.

sacerdotis. Sic MS. Guelf. edd. vett. (cum silent. Vict.) et recentt.; Pichena tamen in MS. Flor. vidit *sacerdotii*.

deam videt. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Reg. Bodl. (hic a secunda manu) edd. Spir. Rhen. sqq. — *vidit* MSS. Guelf. Harl. Bodl. (a prima manu) Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

pervectus. Sic MSS. Guelf. Bud. et inde edd. Rhen. sqq. — *provectus* MS. Reg. edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. — *praevectus* MSS. Harl. Ies. Eadem praepositionum confusio e compendio scripturae exorta saepenumero obvia est in vett. libris. Mox Muretus distinguebat: *pervectus. Suspensis* etc. Vulgatam loci divisionem vett. edd. tuentur. Pichena vocabulum *fiducia* in sexto casu accipiebat. Rectius Freinsh. et I. Fr. Gronovius nominativum admittunt, ut Titus ipse dicatur *fiducia*. cf. infr. c. 5. *praecipua concordiae fides Titus*; c. 23. *acerrima ... incitamenta interfectores Galbae*; 4, 85. *praecipua victoriae fides dux hostium Valentinus.* Iustin. 11, 4. *qui ex continenti ad Darium profecti non mediocre momentum Persarum viribus accessere.* cf. not. ad An. 3, 55.

profligaverat bellum. Sic Noster de Germ. c. 13. *bella profligant.*

bellum Iudaicum. MS. Flor. test. Vict. *Iudeicum.* MS. Corb. ed. Spir. *bellum cum Iudeis.*

Hierosolymorum. Sic MS. Flor. (t. Vict.) ed. Rhen. sqq.; *hyerosolimorum* ed. Spir.; *Ierosolimorum* edd. Put. M. et V.; *Ierosolymorum* MS. Guelf.; *Hierosolymarum* edd. Ber. Alc. Meliorem loci distinctionem instituit Rhenanus. Edd. ante illum cum MS. Guelf. plenius interpungunt ante *reliqua* idque vocabulum trahunt ad sequentia.

ob ingenium montis. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Harl. Bodl. Ies. Guelf. (hic a prima manu) edd. Pich. sqq. — *ob ingenium mentis* MSS. Guelf. (a secunda manu) Bud. Reg. Corb. ed. Spir. — *ob ingenium gentis* edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. ad Pich. Sed cf. Plin. 14, 1. *ingenium soli.* Tac. An. 6, 41. *locorum ingenium.* Vid. not. ad An. 3, 26. Quaeritur an recte expulerint *gentis*, cui scripturae favent sequentia: *et pervicaciam s.*

quam quo. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Ernest. sqq. — *quam quod* edd. Rhen. Ald. sqq. ad Ernest. Sed *quo* ponitur pro *eo quod*. Cic. Fin. 4, 2. *Non soleo temere contra Stoicos disputare: non quo illis admodum adsentiar, sed pudore impedior.* cf. Ramshorn. Gr. §. 186. p. 560. Mox edd. Put. *tollerandas.*

ut supra memoravimus. cf. 1, 10.

bello: quattuor Mucianus obtinebat in pace, sed aemulatio et proximi exercitus gloria depulerat segnitiam; quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et inexperti belli labor. auxilia utrique cohortium alarumque et classes regesque ac nomen dispari fama celebre.

V. Vespasianus acer militiae anteire agmen, locum castris capere, noctu diuque consilio, ac si res posceret, manu hostibus obniti: cibo fortuito, veste habituque vix a gregario milite discrepans: prorsus, si avaritia abesset, antiquis ducibus par. Mucianum e contrario magnificentia et opes et cuncta privatum modum supergressa extollebant. aptior sermone, dispositu proviso,

depulerat. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. ed. Spir. — *repulerat* MS. Bud. edd. Put. sqq. ad hunc diem. Sed illud iam Ernestio melius videbatur.

inexperti belli labor. Sic MSS. Flor. (test. Ryck.) Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. interque recentiores ed. Iac. Gronov. — *inexperti belli labores* MS. Agr. In MS. Reg. et ed. Spir. desunt verba: *tantum his ... labor.* Edd. Rhen. Ald. sqq. ad hunc diem *inexpertus belli labor.* Malebat tamen Rhenanus *inexperti belli ardor,* haud inepte, nisi quod in hac verborum serie vocabulum *inexperti* otiosum est. Lipsius coniiciebat: *inexpertis belli,* deleta voce *labor.* Bipont.: *sed in experti belli labore.* Sed vetus scriptura sine labe est: quare non potui non eam revocare. Opponuntur invicem: *discrimina et labor* h. e. ἓν διὰ δυοῖν, labor cum discriminibus (int. belli) coniunctus, et ab altera parte *integra quies et inexperti belli labor* h. e. labor cum militia bellis vacua coniunctus: intellige severitatem disciplinae in pace inexorabilem (supr. 1, 51), opus et laborem (An. 1, 20), quae militibus plerumque gravius tolerabantur quam belli proelia. Hic est ille *inexperti belli labor.* Sic demum ferri potest repetitio vocabuli *labor:* iam enim non *labor* et *labor* invicem opponuntur, sed labor cum discriminibus coniunctus et labor cum militia bello vacua coniunctus. Sin vero legis *inexpertus belli labor,* haud dubie intolerabilis est illa repetitio eiusdem vocabuli. Nam *belli labor* et *discrimina et labor* nihil differunt. Id nemo inficiabitur male Tacitum scripsisse, si in hoc contextu scripsit *inexpertus belli labor.*

alarumque. Ed. Spir. *alarum* sine *que.*

Cap. 5. *noctu diuque.* MS. Guelf. *nocte dieque.* cf. not. ad An. 15, 12.

ac si res posceret. *Ac* abest a MS. Bud. Quare Rhenanus in castigatt. „particulam *ac* erasimus. Nam Tacitus brevitatem amat." Sed operae non paruerunt.

aptior sermone. Sic libri vett. omnes, nisi quod MS. Corb. et ed. Spir. ferunt *aptiori sermone.* Hodie cum Bipont. scribunt *aptior sermoni.* Nam adfirmant vocabulum *aptior* dandi casum requirere. At Noster non in eo est, ut dicat, ad quam rem Mucianus, sed qua in re aptior fuerit. Sic infr. c. 86. Antonius dicitur *sermone promptus,* quanquam An. 1, 48. *seditioni promptum* legimus. Nimirum qui *promptus sermone,* is

que civilium rerum peritus: egregium principatus temperamentum, si demptis utriusque vitiis solae virtutes miscerentur. ceterum hic Syriae, ille Iudaeae praepositus vicinis provinciarum administrationibus invidia discordes exitu demum Neronis positis odiis in medium consuluere, primum per amicos, dein praecipua concordiae fides Titus prava certamina communi utilitate aboleverat, natura atque arte compositus adliciendis etiam Muciani moribus. Tribuni centurionesque et vulgus militum industria, licentia, per virtutes, per voluptates, ut cuique ingenium, adsciscebantur.

VI. Antequam Titus adventaret, sacramentum Othonis acceperat uterque exercitus, praecipitibus ut adsolet nuntiis et tarda mole civilis belli, quod longa concordia quietus Oriens tunc primum parabat. namque olim validissima inter se civium arma in Italia Galliave viribus Occidentis coepta: et Pompeio, Cassio, Bruto, Antonio, quos omnes trans mare secutum est civile bellum, haud prosperi exitus fuerant, auditique saepius in Syria Iudaeaque Caesares quam inspecti. Nulla

prompto est sermone. Sic *aptior sermone* idem est qui *aptiore sermone*, uti volunt MS. Corb. et ed. Spir. cf. not. ad An. 3, 58. sub vv. *non aemulatione.* — Eadem ratione utuntur verba sequentia: *dispositu provisuque civilium rerum peritus* h. e. civilium rerum peritus quod attinet ad dispositum provisumque civilium rerum. I. Fr. Gronovius non satis feliciter: *dispositu provisuque* sc. aptior, *civilium rerum peritus.* Placet tamen haec ratio Gutmanno et Ricklefsio. At Nostrum, si Gronovii sententiam voluisset, scripturum fuisse censeo *ac civilium rerum peritus.*

consuluere. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *consulere* ed. Put. V. — Mox ed. Spir. *fide. Titus* etc. Eadem omittit distinctionem ante *tribuni*, legitque in fine cap. *abscidebantur* pro *adsciscebantur*, quod habent ceterae editiones omnes, quum alibi nonnunquam scribant *asciscere*, MS. Guelf. *adisciscebantur.*

Cap. 6. *praecipitibus.* Sic edd. Beroald. (haec *precipitibus*) Alc. Rhen. Ald. sqq. — *precibus* MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V., omissis ut saepe mediis syllabis.

coepta. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Alc. Rhen. sqq. *cepta* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Victorii).

Cassio. MS. Guelf. *Crasso.* Idem liber a secunda manu ante *Antonio* habet *et*, quod abest a ceteris libris meis omnibus.

fuerant. MS. Guelf *fuerat.*

auditique. Ed. Spir. *aditisque.* Mox eadem pergit: *quam inspecta nulla* etc.

seditio legionum: tantum adversus Parthos minae vario eventu. et proximo civili bello turbatis aliis inconcussa ibi pax: dein fides erga Galbam. Mox ut Othonem ac Vitellium scelestis armis res Romanas raptum ire vulgatum est, ne penes ceteros imperii praemia, penes ipsos tantum servitii necessitas esset, fremere miles et vires suas circumspicere. septem legiones statim et cum ingentibus auxiliis Syria Iudaeaque: inde continua Aegyptus duaeque legiones, hinc Cappadocia Pontusque et quidquid castrorum Armeniis praetenditur: Asia et ceterae provinciae nec virorum inopes et pecuniae opulentae: quantum insularum mari cingitur, et parando interim bello secundum tutumque ipsum mare.

VII. Non fallebat duces impetus militum: sed bellantibus aliis placuit exspectari belli exitum. victores victosque nunquam solida fide coalescere. nec referre, Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret. rebus secundis etiam egregios duces insolescere. discor-

vario eventu. Acidalius malebat *vano eventu*, quod non omnino verum est: non enim sine omni eventu Romani tum temporis egere contra Parthos.

turbatis aliis. Ed. Spir. *turbatis aīs* h. e. animis, et ita est in marg. cod. Guelf. a secunda manu. Eadem ed. Spir. post *vulgatum* omittit *est*, ponitque punctum ante *fremere.*

inde continua. MS. Guelf. *incontinua*, quod ortum est e compendio *iñ continua.*

secundum tutumque i. m. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Vat. (test. Lips.) Reg. Corb. edd. Spir. Pich. Grut. sqq. Victorius pro *secundum* intactum reliquit *seclusum*, quod exstat in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Ber. sqq. ad Pich. — MS. Bud. fert *seculum.* Acidalius retinebat veterum edd. scripturam interpungebatque: *seclusum; tutumque* etc.

Cap. 7. *belli exitum. Victores ... coalescere.* Ex emendatione Pichenae sic edd. Bernegg. sqq. Prius vulgabantur haec: *exspectari bellum: cum in victores victosque nunquam solida fides coalesceret*, uti ferunt MSS. Harl. Bodl. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. At MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. ed. Spir. *exspectari bellum: cum in victores victosque nunquam solida fide coalescere.* MS. Agr. *exspectari bellum. Cum victoribus victos nunquam solida fide coalescere*, quae edita sunt a Ryckio. Mendum esse in vett. libris nemo dubitabit. Pichenae emendationem plurimi probant. Sunt tamen qui alia coniecerint. Rhenanus: *exspectari bellicum. Victores .... fide coalescere.* Heinsius: *exspectari velut in commune. Quin et victores* etc. Iac. Gronovius: *exspectari belli nutum* (vel *cumulum*); *victores victosque* etc. Acidalius: *belli casum.* I. Fr. Gronovius: *belli eventum.* Pro *nunquam* MS. Guelf. habet *nonquam.* Idem mox *Othonem an Vitellium.*

rebus secundis. Ed. Spir. *rebusque secundis.* Mox eadem pergit

diam his, ignaviam, luxuriem, et suismet vitiis alterum bello, alterum victoria periturum. Igitur arma in occasionem distulere, Vespasianus Mucianusque nuper, ceteri olim mixtis consiliis, optimus quisque amore rei publicae, multos dulcedo praedarum stimulabat, alios ambiguae domi res. ita boni malique causis diversis, studio pari bellum omnes cupiebant.

VIII. Sub idem tempus Achaia atque Asia falso exterritae, velut Nero adventaret, vario super exitu eius rumore eoque pluribus vivere eum fingentibus credentibusque. ceterorum casus conatusque in contextu operis dicemus: tunc servus e Ponto, sive, ut alii tradidere, libertinus ex Italia, citharae et cantus peritus (unde illi super similitudinem oris propior ad fallendum fides) ad-

discordiam his ignaviam luxurie: ut suismet etc. Pro *etiam* MS. Guelf. habet *et*.

ceteri olim mixtis c. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Reg. edd. Spir. Rhen. sqq. — *caeterum olim m. c.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc., ubi *caeterum* fortassis est pro *caeterorum*. cf. not. ad c. 8. MS. Agr. *Mucianusque Titi opera mixtis consiliis*, teste Heinsio. Secundum Ryckium *nuper* locum suum ibi obtinet. Ryckius ita edidit nemine plaudente. MS. Corb. habet *ceci* pro *ceteri*. Heinsius haud inepte coniiciebat: *ceteri iam olim*. Bipontini audacius: *Mucianusque. iam perlaetari miles in mixtis consiliis*. Rupertius: *distulere. Vespasianus Mucianusque nuper, ceteri olim m. consiliis* sc. stimulabantur, quod intelligit e sequenti *stimulabant*. Multa eiusdem generis loca inveniri apud Tacitum scribit, quae memorare nil attineat. At multum attinebat: nam vix credo simile exemplum apud Nostrum esse. Gutmannus etiam post *distulere* plene interpungit, uti est in ed. Spir.: post *mixtis* lacunam esse statuit. Negat Ricklefsius mutatque *mixtis* in *mixti*. Frustra omnes. Nil enim hic locus laborat nisi dicendi brevitate. In verbis: *igitur arma in occasionem distulere* duplex latet sententia, primum quod *arma distulere*, alterum quod *in occasionem*: h. e. id consilium inierunt, ut arma omnino capesserent, exspectarent tamen occasionem. Iam sequentia rationem reddunt consilii de armis occasione data capessendis inter duces initi.

Cap. 8. *fingentibus credentibusque*. MS. Agr. *confingentibus* pro *eum fingentibus*. A MS. Ies. abest *que*, unde Broterius suspicabatur olim scriptum fuisse *credentibusve*, quia durum sit *eoque ... credentibusque ... conatusque*. Sed ve ab hoc loco alienum est, nec adeo molestum triplex illud *que*. Graeci ita cumulant τέ. In MS. Guelf. vocabulum *pluribus* in contextu omissum sec. manus in margine addidit inseruitque post *vivere*.

ceterorum. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *ceterum*. Eadem ed. Spir. mox *tradiderunt* pro *tradidere*. Dein *super similitudine moris*.

propior. Sic MSS. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. — *proprior* MSS. Ies. Agr. (teste Broterio). De cod. Agr. dubito: nam tacent

iunctis desertoribus, quos inopia vagos ingentibus promissis corruperat, mare ingreditur: ac vi tempestatum Cythnum insulam detrusus et militum quosdam ex Oriente commeantium adscivit vel abnuentes interfici iussit et spoliatis negotiatoribus mancipiorum valentissimum quemque armavit. centurionemque Sisennam dextras concordiae insignia Syriaci exercitus nomine ad praetorianos ferentem variis artibus adgressus est, donec Sisenna clam relicta insula trepidus et vim metuens aufugeret. inde late terror, multis ad celebritatem nominis erectis rerum novarum cupidine et odio praesentium.

IX. Gliscentem in dies famam fors discussit. Galatiam ac Pamphyliam provincias Calpurnio Asprenati

Ryckius et Heinsius. Num Broterius alium librum voluit dicere? Freinshemius malebat *promptior*, Ernestius *pronior*. Sed cf. An. 13, 20. *omnia ... temeritati propiora*; 16, 9. *irae quam timori propiorem cernens*.

Cythnum. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) edd. Pich. (haec *Cithnum*) Gruter. Bernegg. sqq. — *Cynthum* MSS. Farnes. Agr. — *Cinthum* ed. Spir. — *Scythinum* MSS. Vatic. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Pich. — *Scitunum* MS. Bud. — *incinctum* MS. Corb., unde Broterius suspicatur legendum *in Cythnum insulam*. Sed cf. not. ad An. 2, 54. *Κύθνος* dicitur Graecis. Ceterum cf. not. ad An. 3, 69. In c. 9. MS. Flor. teste Victorio dat *Scithinum*; ed. Spir. ibidem *scithinam*.

adscivit. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir. — *ascivit* edd. Put. sqq.

vel abnuentes. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Ryck. Iac. Gron. sqq. — *et abnuentes* edd. Spir. Put. sqq. ad Ryck. et ita MS. Agr., ut mihi videtur; nam Ryckius ad comprobandam loci emendationem ad codicem Flor. tantum provocat, dum tacet de suo.

Sisennam. Sic edd. Spir. Rhen. sqq. *Sysennam* MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc.

dextras concordiae insignia. Sic MS. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *dextras concordiae signu* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. cf. supr. 1, 54. Oberlinus Rhenanum incusat, quasi voluerit *dextera*. Sed *dextra*, quod legitur in Rhen. castigatt., operarum vitio deberi puto: nam in contextu ille dedit *dextras*.

adgressus est. Ed. Spir. *aggressa est*. Eadem *affugeret* pro *aufugeret*. Nec apparet ibi distinctionis ulla nota ante *gliscentem*. Pro *Sisenna* MS. Guelf. fert *Sysennā*.

Cap. 9. *Galatiam*. Sic edd. Rhen. sqq. *Gallatiam* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc.; *Galitiam* MS. Flor. teste Vict.

Pamphyliam. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Rhen. sqq. cf. An. 2, 79. *Panphiliā* MS. Guelf.; *Pamphiliam* edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. Graecis dicitur *Παμφυλία*.

Calpurnio. Sic edd. Lips. sqq. *Calphurnio* edd. ante Lipsium cum MS. Guelf.

Asprenati. MS. Guelf. *Aspernati*.

regendas Galba permiserat. datae e classe Misenensi duae triremes ad prosequendum, cum quibus Cythnum insulam tenuit. nec defuere qui trierarchos nomine Neronis accirent. is in maestitiam compositus et fidem suorum quondam militum invocans, ut eum in Syria aut Aegypto sisterent, orabat. Trierarchi nutantes seu dolo adloquendos sibi milites et paratis omnium animis reversuros firmaverunt. sed Asprenati cuncta ex fide nuntiata: cuius cohortatione expugnata navis et interfectus quisquis ille erat. corpus insigne oculis comaque et torvitate vultus in Asiam atque inde Romam pervectum est.

X. In civitate discordi et ob crebras principum mutationes inter libertatem ac licentiam incerta parvae quoque res magnis motibus agebantur. Vibius Crispus, pecunia, potentia, ingenio inter claros magis quam inter bonos, Annium Faustum equestris ordinis, qui temporibus Neronis delationes factitaverat, ad cognitionem senatus vocabat. nam recens Galbae principatu censuerant patres, ut accusatorum causae noscerentur. id senatus consultum varie iactatum et, prout potens vel

datae e classe M. Ed. Spir. *donec e classe misensi.*

ad prosequendum, cum quibus. Sic e MS. Bud. edd. Rhen. sqq. Consentiunt MSS. Reg. Guelf. Harl. Bodl. Ies. — *ad prosequendum eum: quibus* edd. ante Rhenan. cum MS. Agr. De MS. Flor. silentium est. Sed quis tandem in vetusto illo codice potuerit discernere *cum* et *eum* nisi e contextu?

trierarchos. Ed. Spir. *trierchos.* Eadem mox *in Siriā aut egyptū.*

quondam. MS. Guelf. a secunda manu *quosdam.*

trierarchi nutantes. MS. Bud. *trierarchas.* MS. Reg. ed. Spir. *trierarchis*, unde suadente Ernestio Bipontini fecere *trierarchi seu.* At *seu* priore loco omitti potest. cf. An. 1, 6. 5, 4.

dolo. MS. Guelf. *dollo.*

adloquendos. Sic MSS. et edd. Put. sqq. — *adequandos* ed. Spir. unde Gruterus volebat fieri *adaquandos* h. e. aqua reficiendos, qua destituti videantur languisse. Heinsius: *adlectandos* vel *alliciendos.* Frustra. Est illud unum ex innumeris ed. Spir. vitiis.

Asprenati. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *aspernati:* ab initio capitis ed. Spir. *asprenati.* Eadem mox *quisuis ille erat.*

Cap. 10. *In civitate.* MS. Guelf. *Inde civitate.*

Vibius Crispus. Sic MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. *Iubius Crispus* MS. Corb. ed. Spir., vulgari litterarum confusione.

Annium. MS. Guelf. *animum.* Idem mox *vocaverat* pro *vocabat.*

principatu. Ed. Spir. *principatum.* — Mox MS. Flor. (test. Vict.) dat. *S. C*, uti solet, pro *senatus consultum.*

inops reus inciderat, infirmum aut validum retinebat adhuc terroris: et propria vi Crispus incubuerat delatorem fratris sui pervertere, traxeratque magnam senatus partem, ut indefensum et inauditum dedi ad exitium postularent. Contra apud alios nihil aeque reo proderat quam nimia potentia accusatoris: dari tempus, edi crimina, quamvis invisum ac nocentem more tamen audiendum censebant. Et valuere primo dilataque in paucos dies cognitio. mox damnatus est Faustus nequa-

retinebat adhuc terroris: et propria vi etc. Vulgo hodie edunt *retinebatur. Ad hoc terroris et pr. vi* etc. e Rhenani coniectura et cod. Bodl. scriptura, quam Oberlinus in locum recepit. Ipse Rhenanus explicat: „*ad hoc terroris* h. e. ad hunc terrorem. Intelligit senatus consultum modo relatum." Veteres libri mire variant. Et primum quidem MS. Flor., si fides est Victorio, non fert *retinebatur*, sed *retinebat*, ut ed. Spir. et MS. Guelf. Illa tamen forma inest edd. Put. sqq. cum silentio virorum doctorum. Deinde MSS. Flor. (test. Vict. cum aliis) Bud. Reg. pergunt: *ad hunc terroris.* MS. Agr. ed. Spir.: *ad hunc terrore.* MSS. Harl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V.: *ad haec* (vel *ad hec*) *terroris.* Ed. Beroald.: *ad hec terrore*, unde edidere *ad haec terrore* Alc. Rhen. Ald. sqq. — I. Fr. Gronovius coniectabat: *ad hunc terrorem;* Freinshemius: *ad hoc terrore;* Bipontini: *ad hocce terroris;* Acidalius: *retinebatur adhuc terrori. Et pr. vi* etc. Salinerius: *retinebatur adhuc. Terrore et pr. vi* etc., quam scripturam nuper Gutmannus commendavit. Ferletus ita edidit. Aliquando coniiciebam in vocabulis *ad hunc*, quae sunt in MSS. Flor. Bud. Reg., latere verbum aliquod, ut *adhibendi*, *addendi*, *adiiciendi*, ut locus legatur: *retinebatur adhibendi terroris: et propria vi* etc. De genitivo *adhibendi terroris* vide exempla An. 2, 59. *cognoscendae antiquitatis;* 3, 7. *petendae ultionis;* 3, 9. *vitandae suspicionis;* 13, 11. *iactandi ingenii.* Verba *ad hoc terroris*, quae hodie leguntur, languida saltem et inutilia videntur. Sed quid quaerimus, quum MSS. Flor. Guelf. ed. Spir. satis doceant pro *retinebatur* legendum esse *retinebat?* Deinde neque *ad hoc* neque *ad hunc*, nec quidquam aliud loco convenit quam *adhuc.* Iam *retinebat adhuc terroris* est *retinens adhuc erat terroris*, graeca structura. cf. An. 2, 38. *avitae nobilitatis retinens;* 5, 11. *modestiae retinens;* 16, 5. *antiqui moris retinens.* Est genitivus partitivus (*de la terreur*). Idem genitivus est An. 15, 53. *ut quisque audentiae habuisset.* — Mox ed. Ber. vitiose *iucubuerat.* Correxit Vict. in s. exemplari.

magnam senatus partem. Sic MSS. Reg. Guelf. (a secunda manu) edd. Spir. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *magistratus partem* MSS. Bud. Guelf. (a prima manu) Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V.

indefensum et inauditum. cf. supr. 1, 6. ibique not.

postularent. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. edd. Spir. Pich. Lipsii postr. Grut. sqq. — *postularet* MSS. Guelf. Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Pich.

edi crimina, quamvis invisum ac nocentem etc. Ed. Spir. cum MS. Agr. addunt *et* ante *quamvis:* quam copulam vix abstineo quin reponam. Dein *invisum ac nocentem* MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Agr. Bud. Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *infirmum et nocentem* MSS. Harl. Bodl. (hic

quam eo adsensu civitatis, quem pessimis moribus meruerat. quippe ipsum Crispum easdem accusationes cum praemio exercuisse meminerant, nec poena criminis sed ultor displicebat.

XI. Laeta interim Othoni principia belli motis ad imperium eius e Dalmatia Pannoniaque exercitibus. fuere quattuor legiones, e quibus bina millia praemissa: ipsae modicis intervallis sequebantur, septuma a Galba conscripta, veteranae undecuma ac tertiadecuma et praecipui fama quartadecumani rebellione Britanniae compressa. addiderat gloriam Nero eligendo ut potissimos: unde longa illis erga Neronem fides et erecta in Othonem studia. sed quo plus virium ac roboris, e fiducia tarditas inerat. agmen legionum alae cohortesque praeveniebant. et ex ipsa urbe haud spernenda manus, quinque

in marg. *invisum*) Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

pessimis moribus. Ed. Spir. *pessimus moribus.*

Cap. 11. *Laeta interim.* Vocabulum *interim* Pichena e MS. Flor. et vett. edd. restituit, postquam in altera Rhenani editione exciderat. Inest tamen editioni Micylli. Abest a Lips. prioribus. Mox ed. Ber. vitiose *priucipia*, quod Vict. non omisit corrigere.

e Dalmatia. Ryckius restituit *e*, postquam editores quidam (edd. Gron. 1672. et Iac. Gron.) substituerant *a*, lapsu operarum, ut videtur.

praemissa. MS. Guelf. *permissa.*

ipsae ... sequebantur. Ed. Spir. *ipse ... sequebatur.* Et ita MS. Guelf. a secunda manu. Nimirum quia vett. libri plerumque scribunt *ipse* pro *ipsae*, illud *ipse* traxit *sequebatur.*

tertiadecuma. Sic MS. Flor. teste Vict. Vulgo *tertia decima.*

praecipui fama. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Harl. Bodl. Ies. Reg. Guelf. edd. Rhen. Ald. sqq. ad Freinshemium, qui restituit *praecipua*, quod exstat in MSS. Corb. (fortasse et Agr.) edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc.

quartadecumani. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Rhen. Ald. sqq. et sic MSS. Harl. Bodl. in margine. In contextu iidem libri cum Guelf. habent XIIII[a]. — Ed. Spir. cum MS. Bud. *quartadecima in.* Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *quartadecumana.*

eligendo ut potissimos. Ed. Spir. omittit *ut.*

virium ac roboris. Synonyma. cf. Roth. p. 9. et not. ad 1, 87.

e fiducia. Ed. Spir. *et fiducia.*

agmen legionum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. (a prima manu) edd. Put. M. et V. Rhenan. Ald. sqq. — *eo agmen* etc. MSS. Reg. Agr. Harl. (in marg.) Guelf. (in marg.) edd. Spir. Ber. Alc. Placet Heinsio, ut *eo* sit pro *ideo.* cf. An. 6, 16. 18, 41 et 54. Hist. 4, 34. Germ. c. 28.

et ex ipsa urbe. Rhenanus in altera ed. et post illum Lipsius sqq. omiserant *et*, quod Ryckius e vett. libris restituit. Exstat eadem copula in edd. Micyll. et Rhenani prima (1533.).

praetoriae cohortes et equitum vexilla cum legione prima, ac deforme insuper auxilium, duo millia gladiatorum, sed per civilia arma etiam severis ducibus usurpatum. His copiis rector additus Annius Gallus cum Vestricio Spurinna ad occupandas Padi ripas praemissus, quoniam prima consiliorum frustra ceciderant transgresso iam Alpes Caecina, quem sisti intra Gallias posse speraverat. Ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora cum ceteris praetoriis cohortibus, veterani e praetorio, classicorum ingens numerus. nec illi segne aut corruptum luxu iter, sed lorica ferrea usus est et ante signa pedester, horridus, incomptus, famaeque dissimilis.

XII. Blandiebatur coeptis fortuna possessa per mare et naves maiore Italiae parte penitus usque ad initium maritimarum Alpium. quibus tentandis adgrediendaeque provinciae Narbonensi Suedium Clementem,

et equitum vexilla. Sic MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. — *et qui tum vexilla* ed. Spir. — *et Quiritium vexilla* MS. Agr.

per civilia arma. Ed. Spir. *per civilia bella arma*, vera scriptura simul cum glossemate.

usurpatum. Ed. Spir. *usurpata.* Eadem mox *Gallius* pro *Gallus*; dein *cum vestrico Spurina.* In scripturam *Spurina* cum illa consentiunt edd. Put. V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Micyll.; *Spurinna* MS. Guelf. edd. Put. M. Lips. sqq.

Caecina. Sic edd. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Micyll. Lips. sqq.; *Cecina* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V., uti solent. — *Caecinna* ed. Ald., uti solet.

intra Gallias. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. Guelf. Harl. Bodl. Jes. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Pich. Lipsii postr. Grut. sqq. — *inter Gallias* MSS. Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. sqq.

speculatorum. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Lips. sqq. — *spiculatorum* MS. Guelf. edd. Put. sqq. Vid. not. ad 1, 24 et 25.

usus est. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Pich. Bernegg. sqq. — *usus*, omisso *est*, MSS. Guelf. Harl. Bodl. Jes. Bud. edd. Rhen. sqq. ad Pich.

Cap. 12. *per mare et naves.* cf. Roth. p. 52.

maiore Italiae parte. Sic edd. Ber. (cum sil. Vict.) Rhen. sqq. — *et maiore* etc. MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Alc. Mox Victorius syllabam *us* in *penitus* subscripta lineola notavit, tanquam in MS. Flor. non apparentem. Causa in aperto est.

tentandis. MS. Guelf. *tentatis.*

adgrediendaeque. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Farnes. Corb. edd. Lips. sqq. — *aggrediendisque* MSS. Reg. Guelf. Harl. Bodl. Jes. Bud. edd. Spir. Put. sqq. ad Lipsium.

provinciae Narbonensi. MS. Bud. ed. Spir. *provinciae Narbo-*

Antonium Novellum, Aemilium Pacensem duces dederat. sed Pacensis per licentiam militum vinctus, Antonio Novello nulla auctoritas, Suedius Clemens ambitioso imperio regebat, ut adversus modestiam disciplinae corruptus ita proeliorum avidus. Non Italia adiri nec loca sedesque patriae videbantur: tanquam externa litora et urbes hostium urere, vastare, rapere, eo atrocius quod nihil usquam provisum adversum metus. pleni agri, apertae domus, occursantes domini iuxta coniuges et liberos securitate pacis et belli malo circumveniebantur. Maritimas tum Alpes tenebat procurator Marius Maturus. is concita gente (nec deest iuventus) arcere provinciae finibus Othonianos intendit. sed primo impetu caesi disiectique montani, ut quibus temere collectis, non castra, non ducem noscitantibus neque in victoria decus esset neque in fuga flagitium.

nensis, quod vitium originem traxit e falsa scriptura *aggrediendisque*.

vinctus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Corb. edd. Pich. Bernegg. sqq. — *victus* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Pichenam. — *iunctus* MS. Reg. ed. Spir., vulgari syllabarum *iu* et *vi* permutatione. Eadem varietas saepius invenitur in vett. libris. cf. not. ad An. 1, 65.

ut adversus modestiam disciplinae corruptus ita etc. Sic MSS. et edd. omnes. At I. Fr. Gronovius malebat: *corruptos . . . avidos*; Bipont.: *adversus modestiam disciplinae corruptor*. Adplaudit Gutmannus. Sed emendatione opus est nulla. Nam *adversus m. d. corruptus* est qui mala fide modestiam disciplinae dissolvi patitur: idque Clemens fecit ambitione, ut studia militum in se accenderet. MS. Bud. ante *non Italia* addit *videbatur* (et sic edd. Rhen. sqq. ad Lips., qui veram scripturam e MS. Vat. restituit); mox pro *videbantur* idem liber Bud. dat *iubebantur* (recep. Rhen. sqq. ad Lips.), omittitque vocc. *externa litora*.

nec loca. MS. Corb. ed. Spir. *neque loca*. Ceterum *loca sedesque* sunt synonyma secundum Roth. p. 9.

quod nihil. Ed. Spir. *quo nihil*. Mox eadem *accursantes* pro *occursantes*.

iuxta coniuges. MS. Corb. addit *suas*.

et liberos. Ed. Spir. *et libertos*. Mox *bello malo* pro *belli malo*; *tamen Alpes* pro *tum Alpes*.

nec deest iuventus. Uncos primus circumdedit Lipsius. At iam pridem Victorius eos addiderat in suo exemplari, tanquam e MS. Flor. — Ed. Spir. locum legit sic: *Is cōcita gente nec deest arcere iuventus provinciae* etc.

primo impetu. MS. Corb. *primo ictu*. Mox MS. Ies. omittit *in* ante *victoria*.

XIII. Inritatus eo proelio Othonis miles vertit iras in municipium Albium Intemelium. quippe in acie nihil praedae: inopes agrestes et vilia arma: nec capi poterant pernix genus et gnari locorum. sed calamitatibus insontium expleta avaritia. Auxit invidiam praeclaro exemplo femina Ligus, quae filio abdito, cum simul pecuniam occultari milites credidissent eoque per cruciatus interrogarent, ubi filium occuleret? uterum ostendens latere respondit, nec ullis deinde terroribus aut morte constantiam vocis egregiae mutavit.

XIV. Imminere provinciae Narbonensi in verba Vitellii adactae classem Othonis Fabio Valenti trepidi nuntii attulere. aderant legati coloniarum auxilium orantes. duas Tungrorum cohortes, quattuor equitum turmas, universam Treverorum alam cum Iulio Classico praefecto misit: e quibus pars in colonia Foroiuliensi

Cap. 13. *Albium Intemelium*. Sic Lipsius correxit e Strabone 4, p. 202. Plin. 3, 5. — Ed. Spir. *Albintimilum*. Edd. Put. sqq. ad Lips. *Albintimilium*, uti est in Antonini itinerario ed. Wessel. p. 296. Iac. Gronovius in MS. Flor. vidit *Albintimilitum*. Victorius nihil corrigit. MS. Guelf. *Albuntimilium*.

in acie. MS. Bud. *in ea acie*, et mox *nec pernix genus*. Rhen. coniiciebat illud *nec* mutandum esse in *et*.

Ligus. Sic e MS. Bud. edd. Rhen. sqq. *Lygus* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. — *ligur* MS. Agr. ed. Spir. cf. Virgil. Aen. 11, 715. Sallust. Iug. c. 93.

interrogarent. MS. Guelf. *interrogassent*, et mox *occulerat*: a prima manu fuit *occuluerat*.

latere respondit. MS. Agr. teste Heinsio *hic latere*. Sed illud *hic* inutile est iuxta verba *uterum ostendens*.

terroribus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Harl. (hic in margine) edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *tortoribus* MSS. Harl. (a prima manu) Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. ad Pichenam. — *temporibus* MS. Bud.

constantiam. MS. Guelf. *constantia* et mox *egregie*.

Cap. 14. *adactae classem* etc. Ed. Spir. cum MS. Guelf. (a secunda manu) *adactam classem Othonis trepidi nuntii Fabio valenti attulere*. Sed Guelf. vulgatum verborum ordinem retinet.

Tungrorum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. edd. Rhenan. (hic ex ingenio) Ald. sqq. — *Thuringorum* ed. Spir. — *Turingorum* MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. cf. Germ. c. 2.

Treverorum. Sic edd. Lips. sqq. — *Trevirorum* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. ad Lipsium. — *mireuiorum* ed. Spir. cf. An. 1, 41. 3, 40. et 46.

Foroiuliensi. Ed. Spir. *forouiliensi*. Ed. Beroald. *Foroiulensi*, quod Victorius correxit in veram scripturam.

retenta, ne omnibus copiis in terrestre iter versis vacuo mari classis adcelerarct. duodecim equitum turmae et lecti e cohortibus adversus hostem iere, quibus adiuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium, et quingenti Pannonii nondum sub signis. nec mora proelio, sed acie ita instructa, ut pars classicorum mixtis paganis in colles mari propinquos exsurgeret, quantum inter colles ac litus aequi loci praetorianus miles expleret, in ipso mari ut adnexa classis et pugnae parata conversa et minaci fronte praetenderetur, Vitelliani, quibus minor peditum vis, in equite robur, Alpinos proximis iugis, cohortes densis ordinibus post equitem locant. Treverorum turmae obtulere se hosti incaute, cum exciperet contra veteranus miles, simul a latere saxis urgeret apta ad iaciendum etiam paganorum manus, qui sparsi

adcelerarct. Sic MS. Flor. teste Victorio. Vulgo *accelerarct.*

adversus hostem. Ed. Spir. *adversum hostem.* MS. Bud. *ad hostem.*

et quingenti Pannonii nondum sub signis. Sic libri vett. omnes. Oberlinus ex Savilii opinione edidit *Alpini* et cum Bipontinis ante *nondum* addidit *qui*. Pannonios enim ait Othonis partes esse secutos secundum c. 11. et 17. (addo c. 32.) et mox Tacito *Alpinos* memorari. At qui Pannonii Othonis partes sequebantur erant exercitus Romani, Hic commode intelligi possunt auxilia ex ipsa Pannoniae gente delecta et ante civilis belli initium missa. Quod mox *Alpini* memorantur, satis constat et Pannonios esse *Alpinos*: quare *Pannonii* et *Ligures* uno nomine *Alpini* dici potuere. Vix credibile est tale vitium in omnes venisse codices ob litterarum dissimilitudinem, Savilii coniecturam satis iam Ryckius refutaverat: retinuit tamen Bekkerus, quanquam delevit inutile illud *qui*. Rupertio improbata Savilii emendatione placent *Narbonici* vel *Santoni* vel alii, nescit qui?

sed acie ita instructa etc. Editi libri omnes huius loci periodum finiunt in verbo *praetenderetur* et punctum ponunt ante *Vitelliani*, quod absurdum est. Nam omnia loci membra usque ad *praetenderetur* pendent ex ablativo *acie instructa*, nec apparet verbum finitum, ad quod iste ablativus referri possit. Quare Rupertius vult: *sed acies ita instructa* etc., qua emendatione ita supersedebimus, ut punctum ante *Vitelliani* tollatur.

in colles mari propinquos. Vocabula duo *in colles* non apparent in ed. Spir. — MS. Agr. *incolis mari propinquo.*

post equitem. Ed. Spir. *post quietem.*

incaute. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Rhen. sqq. — *incoute* MS. Guelf. ed. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat.

simul a latere saxis urgeret apta ad i. e. p. m. Ed. Spir. *saxi surgeret.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. *etiam* locant ante *saxis.* Omittitur *etiam* in edd. Alc. Rhenan. Ald. sqq. ad

inter milites strenui ignavique in victoria idem audebant. additus perculsis terror invecta in terga pugnantium classe. ita undique clausi: deletaeque omnes copiae forent, ni victorem exercitum attinuisset obscurum noctis, obtentui fugientibus.

XV. Nec Vitelliani quanquam victi quievere. accitis auxiliis securum hostem ac successu rerum socordius agentem invadunt. caesi vigiles, perrupta castra, trepidatum apud navis, donec sidente paulatim metu, occupato iuxta colle defensi mox inrupere. atrox ibi caedes, et Tungrarum cohortium praefecti sustentata diu acie telis obruuntur. Ne Othonianis quidem incruenta victoria fuit, quorum improvide secutos conversi equi-

Pichenam, qui restituit et suo loco posuit auctoritate MS. Flor. Consentiunt MSS. Agr. Corb. edd. Spir. Beroald. (c. sil. Vict.). Broterius falso tradidit in MS. Flor. esse *saxis etiam*, eodemque errore tenetur Rupertius. MS. Bud. pro verbis: *simul a latere saxis urgeret apta* dat: *simul altitudo apta.* Bipontini refingunt: *simul a latere. Saxis etiam urgeret apta ad iaciendum paganorum manus.* Sed *a latere* hic intelligendum est de collibus, in quos pagani exsurrexerant. Ceterum ed. Spir. pro *ad iaciendum* cum MS. Bud. amat *ad iacēdū*, et mox sola *audiebant* pro *audebant; pculis* (h. e. *proculis*) pro *perculsis*.

deletaeque. MS. Guelf. *delectaeque.*

obtentui fugientibus. Sic MS. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. Consentit MS. Flor. teste Victorio, qui puncto subscripto notavit alterum *t* in *obtentui*, quasi ibi sit *obtenui.* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Rhenanum addunt *obiectum* ante *obtentui.*

Cap. 15. *successu rerum.* Ed. Spir. *successurum.*

apud navis. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — Rhenanus antiqua forma spreta dedit *apud naves*, quod vulgatur. Sed vid. not. ad An. 1, 3. sub v. *omnisque.*

sidente paulatim metu. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. sqq. usque ad Oberlinum, qui pro *sidente* dedit *cedente* e MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. — MS. Bud. dat *cedentes.* MS. Corb. *sidentes.* Ed. Spir. *sedentem.* Sed *metus* multo exquisitius rectiusque dicitur *sidere* quam *cedere*, nec opus est Ernestii coniectura *residente.* cf. An. 2, 6. et 47. 1, 70. Cum Bekkero igitur revocavi veterem scripturam.

iuxta colle. Ed. Spir. *iuxta collem.*

inrupere. Ed. Spir. *irrumpere.*

Tungrarum. Libri, ut supra c. 14.

sustentata diu acie. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. edd. Rhenan. Ald. sqq. — *sustentata quidem diu a.* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc.

tes circumvenerunt. ac velut pactis induciis, ne hinc classis, inde eques subitam formidinem inferrent, Vitelliani retro Antipolim Narbonensis Galliae municipium, Othoniani Albingaunum interioris Liguriae revertere.

XVI. Corsicam ac Sardiniam ceterasque proximi maris insulas fama victricis classis in partibus Othonis tenuit. sed Corsicam prope adflixit Decumi Pacarii procuratoris temeritas tanta mole belli nihil in summam profutura, ipsi exitiosa. namque Othonis odio iuvare Vitellium Corsorum viribus statuit, inani auxilio, etiam si provenisset. Vocatis principibus insulae consilium aperit, et contra dicere ausos Claudium Phirricum trierarchum liburnicarum ibi navium, Quintium Cer-

circumvenerunt. MS. Corb. *circumvenere.*

pactis induciis, ne hinc. Ed. Spir. *pactis indutiis: ne hic.* Ed. Put. V. pro *pactis* dat *peccatis.*

inde eques. Sic MSS. et edd. ante Rhenanum, qui ex ingenio edidit *inde equites.* Veterem scripturam restituit Pich. e MS. Flor.

Albingaunum. Sic MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *Arbingaunum* MS. Guelf. — *Albiganum* ed. Spir. In MS. Flor. I. Gronovius vidit *Albikaunum.* De ed. Spir. falsi sunt Ernestius et Broterius.

interioris. Ed. Spir. *inferioris.*

Cap. 16. *Decumi Pacarii.* Sic MSS. et edd. Spir. Put Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium, qui fecit *Decimi P.* — Ernest. Oberlin. sqq. maluere *D. Pacarii.*

tanta mole belli. H. e. quum esset tanta moles belli, in qua parvi momenti erat, utrum Pacarius cum Corsis ab hac an staret ab illa parte. I. Fr. Gronovius perperam emendabat *tentata mole belli:* nam ita genuina sententia plane detorquetur. MS. Guelf. pro *mole* habet *molle.*

in summam profutura. Sic suadentibus Rhenano, Ursino aliisque ediderunt Bernegg. Gronov. sqq. cf. not. ad An. 15, 38. MSS. et vett. edd. unanimi consensu *in summa profutura.*

iuvare Vitellium. Ed. Spir. *vitavere Vitellium.*

Corsorum viribus. MS. Agr. *Corsorum navibus.* Ed. Spir. *corsoribus insulae consilium aperit.* Media desunt.

principibus. Ed. Beroald. vitiose *princibus.*

Phirricum trierarchum. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Reg. edd. Lips. posteriores, Pich. sqq. — *Phirrhicum trierarchum* edd. Put. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. et Lips. prima. — *Phirritum trierarcum* ed. Spir. — *Phyricum* MS. Bud. — *Pyrricum* MS. Guelf. — *Pyrrhicum* MSS. Harl. Bodl. Ies. et sic I. Fr. Gronovius coniiciebat. In inscriptt. apud Gruter. p. 597. nr. 2. est *Pyrriche.*

Quintium. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium, qui dedit *Quinctium* ex sua de orthographia huius vocabuli opinione nixa Capitolinis lapidibus. At non paucioribus monimentis inest *Quintius* et Graecis dicitur *Κοΐντιος.* cf. An. 3, 76. MS. Agr. hic habet *Q. Certum.*

tum equitem Romanum interfici iubet. quorum morte exterriti qui aderant, simul ignara et alieni metus socia imperitorum turba in verba Vitellii iuravere. Sed ubi delectum agere Pacarius et inconditos homines fatigare militiae muneribus occepit, laborem insolitum perosi infirmitatem suam reputabant: insulam esse, quam incolerent, et longe Germaniam viresque legionum: direptos vastatosque classe etiam quos cohortes alaeque protegerent. Et aversi repente animi nec tamen aperta vi aptum tempus insidiis legere. digressis qui Pacarium frequentabant nudus et auxilii inops balineis interficitur, trucidati et comites. capita ut hostium ipsi interfectores ad Othonem tulere: neque eos aut Otho praemio adfecit aut puniit Vitellius in multa colluvie rerum maioribus flagitiis permixtos.

XVII. Aperuerat iam Italiam bellumque transmiserat, ut supra memoravimus, ala Sullana, nullo apud quemquam Othonis favore, nec quia Vitellium mallent, sed longa pax ad omne servitium fregerat faciles occupantibus et melioribus incuriosos. florentissi-

interfici. Hoc verbum deest in ed. Spir. Eadem mox *Picarius* pro *Pacarius* et *accepit* pro *occepit.*

viresque legionum. Ed. Spir. *virosque legionum.* Mox *quas cohortes* pro *quos cohortes:* dein iterum *Picarium.* MS. Guelf. ante *quos* negligit *etiam.* Idem liber *digressisque* pro *digressis qui.*

balineis. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) edd. Pich. Grut. sqq. — *balinei* ed. Spir. — *balneis* vulgus MSStorum et edd. Put. sqq. ad Pichenam.

aut Otho praemio. MS. Guelf. omittit vocabulum *Otho.*

puniit. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *punivit* MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. ad hunc diem. Praefero illam formam ob κακοφωνίαν, quae est in *punivit Vitellius.*

Cap. 17. *Aperuerat iam Italiam bellumque* etc. Sic edd. Rhenan. Ald. sqq. — *Italia* edd. Spir. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — *in Italia* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Puteol. M. et V. Pro *aperuerat* MS. Bud. dat *apparuerat.* Pro *bellumque* ed. Spir. habet *bellum quę;* MS. Harl. *bellum quod.* Vulgata speciem veritatis praeferunt: diversa scriptura emendandi studio debetur exorto e lineolae super *a* in fine vocis *Italia* omissione.

ala Sullana. Vid. not. ad 1, 70. Hic MS. Flor. teste Victorio *ala Silina;* teste Ryckio *Siliana.* Ed. Spir. *silana.* Edd. Put. sqq. cum MS. Guelf. *Syllana.*

faciles. MS. Corb. *fragiles.*

occupantibus. Sic edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *occupationibus* MSS. Agr. Guelf. (a sec. manu) ed. Spir.

melioribus incuriosos. Sic libri omnes. I. Fr. Gronovius malebat:

mum Italiae latus, quantum inter Padum Alpesque camporum et urbium armis Vitellii (namque et praemissae a Caecina cohortes advenerant) tenebatur. capta Pannoniorum cohors apud Cremonam, intercepti centum equites ac mille classici inter Placentiam Ticinumque. quo successu Vitellianus miles non iam flumine aut ripis arcebatur. inritabat quin etiam Batavos Transrhenanosque Padus ipse: quem repente contra Placentiam transgressi raptis quibusdam exploratoribus ita ceteros terruere, ut adesse omnem Caecinae exercitum trepidi ac falsi nuntiarent.

XVIII. Certum erat Spurinnae (is enim Placentiam obtinebat) nec dum venisse Caecinam et, si propinquaret, coercere intra munimenta militem nec tris praetorias cohortes et mille vexillarios cum paucis equitibus veterano exercitui obiicere. sed indomitus miles et belli ignarus correptis signis vexillisque ruere et retinenti duci tela intentare spretis centurionibus tribunisque. providentiam ducis laudari? quin proditionem et accitum Caecinam clamitabant. Fit temeritatis alie-

melioribus incuriosis; Groslotius: *meliorum incuriosos.* Verum An. 14, 38. idem Noster scribit: *serendis frugibus incuriosos.* Recte. Nam *meliorum incuriosi* sunt qui meliorum, quibus utuntur quosque cognitos habent, nullam gerunt curam. At *melioribus incuriosi,* qui non curant de melioribus, utrum sint hi an illi meliores. Sic *serendis frugibus incuriosi* sunt qui non curant, serantur fruges necne; *serendarum frugum incuriosi,* qui serunt quidem, incuriosi tamen versantur in serendis frugibus. Dativus in hac formula ponitur pro *ad* cum accusativo.

et urbium. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *et urbium est* MSS. Guelf. Harl. Bodl. les. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

inritabat. Sic MS. Flor. teste Victorio. *irritabat* edd. vett.

quem repente. Rhenanus auctoritate MS. Bud. deleverat *repente.* Restituit Pichena e MS. Flor., cui suffragantur ceteri codd. MSS. et vett. edd.

Cap. 18. *Spurinnae.* Sic edd. Lips. sqq. — *Spurinae* edd. ante Lips. — *Spurrinae* MS. Guelf. et ita mox, ubi ed. Spir. fert *Spurina.*

signis vexillisque. Ed. Spir. *vexillis signisque.*

retinenti. Heinsius vult *renitenti.* Haud inepte: sed frustra.

tribunisque. providentiam ducis laudari? quin proditionem et accitum C. clamitabant. Locus in vett. libris corruptus. Ed. Spir. *tribunisque providentiam ducis laudari: qui pro othone et accitum Cecinam clamitabant.* Eadem insunt MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) et Reg. Pichena in MS. Flor. vidit *p Othonem.* MSS.

nae comes Spurinna, primo coactus, mox velle simulans, quo plus auctoritatis inesset consiliis, si seditio mitesceret.

XIX. Postquam in conspectu Padus et nox adpetebat, vallari castra placuit. is labor urbano militi

Agr. Corb. *providentiam ducis laudare.* In sqq. MS. Agr. (teste Heinsio) *quin pro Othone et;* MS. Corb. *Othonem* sine praepositione. Diversum scripturae genus est in MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. sqq., qui libri ferunt: *tribunisque providentiam ducis laudantibus: qui pro Othone et accitum C. clamitabant.* MS. Guelf.: *tribunisque prouidentiam ducis laudatibus et pro Othone: et accitum Cetinā clamitabant.* Quae quum contextui conciliari nequirent, viri docti de emendatione loci cogitarunt. Rhenanus volebat: *tribunisque ... laudantibus, qui pro Othone etiam accitum C. clamitabant.* Danesius: *quin pro Othone etiam* etc. Mercerus: *quin proditione accitum Caecinam clamitabant.* Nam in proditionis crimen vocatum Spurinnam a milite scribit Plutarchus. Pichena: *quin proditionem et accitum* etc. Idem verba praecedentia: *providentiam ducis laudantibus* abiicienda censebat, quippe quae e c. 19. hic irrepserint. Alteram emendationis partem a Pichena propositae in contextum recepere Freinshem. Gronov. Ryck. Ernest., qui tamen toleravere verba a Pichena damnata, quanquam et ipsis persuasum ea esse spuria. Eiecit Broterius, quem deinde omnes secuti sunt. Legunt: *tribunisque; quin proditionem et accitum C. clamitabant*, adfirmantque indignam esse Tacito eorundem verborum repetitionem. Sed caute versari debemus in tali re. Inrepserunt illa e cap. 19. Quaeritur, utrum consulto et interpretamenti causa, an per errorem librarii additamentum illud intruserint. Consulto haec addita nego. Nam si interpretamenti causa librarii addidissent, ut intelligeretur, qua in re centuriones tribunique sint spreti a milite; scripsissent non *providentiam ducis laudari*, uti est in MS. Flor. et optimis libris, sed *providentiam ducis laudantibus*, uti locum referunt MSS. Bud. Harl. etc. Iam vero horum librorum scriptura hic ut alibi palam praefert speciem emendationis. Scripserunt sic, qui obvia in antiquiore codice verba non concoquerent. Sed fortasse per errorem scribae illa verba huc venere. At tum non scripsisset: *providentiam ducis laudari*, sed *laudari provid. duc.*, uti sunt cap. 19. Quare satis dubia videtur esse opinio eorum, qui insititia illa verba existimant. Immo bene se habent et eximia est vis in illa repetitione, quae viros doctos offendit. Nam alio sensu verba cap. 19. leguntur. Priore loco milites clamitant: *providentiam ducis laudari*? (interrogatio ironica. cf. not. ad An. 2, 15.) *quin* (*nein*) *proditionem* etc. Altero loco Noster scribit: *iamque ... laudari providentia ducis*, praeponitque verbum *laudari*, ut sententiam exprimat: iam providentiam ducis non amplius in suspicionem esse vocatam atque inrisam, ut antea, sed laudatam sane. Ceterum *quin* ita ponitur pro *quin immo.* cf. An. 1, 23. Plin. ep. 3, 16. 4, 9. Sueton. Ner. c. 42.

inesset consiliis. MS. Corb. *esset consiliis.*

CAP. 19. *nox adpetebat.* MS. Harl. (a sec. manu) ed. Spir. *apparebat.* Sed cf. An. 4, 51. *adpetente iam luce.*

labor. MS. Guelf. *labos.*

mum Italiae latus, quantum inter Padum Alpesque camporum et urbium armis Vitellii (namque et praemissae a Caecina cohortes advenerant) tenebatur. capta Pannoniorum cohors apud Cremonam, intercepti centum equites ac mille classici inter Placentiam Ticinumque. quo successu Vitellianus miles non iam flumine aut ripis arcebatur. inritabat quin etiam Batavos Transrhenanosque Padus ipse: quem repente contra Placentiam transgressi raptis quibusdam exploratoribus ita ceteros terruere, ut adesse omnem Caecinae exercitum trepidi ac falsi nuntiarent.

XVIII. Certum erat Spurinnae (is enim Placentiam obtinebat) nec dum venisse Caecinam et, si propinquaret, coercere intra munimenta militem nec tris praetorias cohortes et mille vexillarios cum paucis equitibus veterano exercitui obiicere. sed indomitus miles et belli ignarus correptis signis vexillisque ruere et retinenti duci tela intentare spretis centurionibus tribunisque. providentiam ducis laudari? quin proditionem et accitum Caecinam clamitabant. Fit temeritatis alie-

melioribus incuriosis; Groslotius: *meliorum incuriosos.* Verum An. 14, 38. idem Noster scribit: *serendis frugibus incuriosos.* Recte. Nam *meliorum incuriosi* sunt qui meliorum, quibus utuntur quosque cognitos habent, nullam gerunt curam. At *melioribus incuriosi,* qui non curant de melioribus, utrum sint hi an illi meliores. Sic *serendis frugibus incuriosi* sunt qui non curant, serantur fruges necne; *serendarum frugum incuriosi,* qui serunt quidem, incuriosi tamen versantur in serendis frugibus. Dativus in hac formula ponitur pro *ad* cum accusativo.

et urbium. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *et urbium est* MSS. Guelf. Harl. Bodl. les. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

inritabat. Sic MS. Flor. teste Victorio. *irritabat* edd. vett.

quem repente. Rhenanus auctoritate MS. Bud. deleverat *repente.* Restituit Pichena e MS. Flor., cui suffragantur ceteri codd. MSS. et vett. edd.

Cap. 18. *Spurinnae.* Sic edd. Lips. sqq. — *Spurinae* edd. ante Lips. — *Spurrinae* MS. Guelf. et ita mox, ubi ed. Spir. fert *Spurina.*

signis vexillisque. Ed. Spir. *vexillis signisque.*

retinenti. Heinsius vult *renitenti.* Haud inepte: sed frustra.

tribunisque. providentiam ducis laudari? quin proditionem et accitum C. clamitabant. Locus in vett. libris corruptus. Ed. Spir. *tribunisque providentiam ducis laudari: qui pro othone et accitum Cecinam clamitabant.* Eadem insunt MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) et Reg. Pichena in MS. Flor. vidit *p Othonem.* MSS.

nae comes Spurinna, primo coactus, mox velle simulans, quo plus auctoritatis inesset consiliis, si seditio mitesceret.

XIX. Postquam in conspectu Padus et nox adpetebat, vallari castra placuit. is labor urbano militi

Agr. Corb. *providentiam ducis laudare.* In sqq. MS. Agr. (teste Heinsio) *quin pro Othone et;* MS. Corb. *Othonem* sine praepositione. Diversum scripturae genus est in MSS. Bud. Harl. Bodl. les. edd. Put. Beroald. sqq., qui libri ferunt: *tribunisque providentiam ducis laudantibus: qui pro Othone et accitum C. clamitabant.* MS. Guelf.: *tribunisque prouidentiam ducis laudatibus et pro Othone: et accitum Cecinā clamitabant.* Quae quum contextui conciliari nequirent, viri docti de emendatione loci cogitarunt. Rhenanus volebat: *tribunisque ... laudantibus, qui pro Othone etiam accitum C. clamitabant.* Danesius: *quin pro Othone etiam* etc. Mercerus: *quin proditione accitum Caecinam clamitabant.* Nam in proditionis crimen vocatum Spurinnam a milite scribit Plutarchus. Pichena: *quin proditionem et accitum* etc. Idem verba praecedentia: *providentiam ducis laudantibus* abiicienda censebat, quippe quae e c. 19. hic irrepserint. Alteram emendationis partem a Pichena propositae in contextum recepere Freinshem. Gronov. Ryck. Ernest., qui tamen toleravere verba a Pichena damnata, quanquam et ipsis persuasum ea esse spuria. Eiecit Broterius, quem deinde omnes secuti sunt. Legunt: *tribunisque; quin proditionem et accitum C. clamitabant*, adfirmantque indignam esse Tacito eorundem verborum repetitionem. Sed caute versari debemus in tali re. Inrepserunt illa e cap. 19. Quaeritur, utrum consulto et interpretamenti causa, an per errorem librarii additamentum illud intruserint. Consulto haec addita nego. Nam si interpretamenti causa librarii addidissent, ut intelligeretur, qua in re centuriones tribunique sint spreti a milite; scripsissent non *providentiam ducis laudari*, uti est in MS. Flor. et optimis libris, sed *providentiam ducis laudantibus*, uti locum referunt MSS. Bud. Harl. etc. Iam vero horum librorum scriptura hic ut alibi palam praefert speciem emendationis. Scripserunt sic, qui obvia in antiquiore codice verba non concoquerent. Sed fortasse per errorem scribae illa verba huc venere. At tum non scripsisset: *providentiam ducis laudari*, sed *laudari provid. duc.*, uti sunt cap. 19. Quare satis dubia videtur esse opinio eorum, qui insititia illa verba existimant. Immo bene se habent et eximia est vis in illa repetitione, quae viros doctos offendit. Nam alio sensu verba cap. 19. leguntur. Priore loco milites clamitant: *providentiam ducis laudari*? (interrogatio ironica. cf. not. ad An. 2, 15.) *quin* (*nein*) *proditionem* etc. Altero loco Noster scribit: *iamque ... laudari providentia ducis*, praeponitque verbum *laudari*, ut sententiam exprimat: iam providentiam ducis non amplius in suspicionem esse vocatam atque inrisam, ut antea, sed laudatam sane. Ceterum *quin* ita ponitur pro *quin immo.* cf. An. 1, 23. Plin. ep. 3, 16. 4, 9. Sueton. Ner. c. 42.

inesset consiliis. MS. Corb. *esset consiliis.*

Cap. 19. *nox adpetebat.* MS. Harl. (a sec. manu) ed. Spir. *apparebat.* Sed cf. An. 4, 51. *adpetente iam luce.*

labor. MS. Guelf. *labos.*

insolitus contudit animos. tum vetustissimus quisque castigare credulitatem suam, metum ac discrimen ostendere, si cum exercitu Caecina patentibus campis tam paucas cohortes circumfudisset. iamque totis castris modesti sermones, et inserentibus se centurionibus tribunisque laudari providentia ducis, quod coloniam virium et opum validam robur ac sedem bello legisset. Ipse postremo Spurinna non tam culpam exprobrans quam ratione ostendens relictis exploratoribus ceteros

contudit. Sic codd. MSS. Agr. Guelf. (aliique, ut videtur) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. At Iac. Gronovius in MS. Flor. vidit *contundit*, quod etiam reperitur in MS. Bud. et ed. Spir. Suffragatur cod. MS. Corb., qui dat *contundis*. Parum refert.

vetustissimus quisque. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Reg. Agr. Corb. Bud. Bodl. (hic in margine) edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. et inter recentiores Ryck. Lallemand. Brot. Bipont. Oberl. sqq. — *moestissimus quisque* MSS. Harl. Bodl. (a pr. manu) Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — Lipsius volebat: *modestissimus;* Freinshemius: *inertissimus*, quod ediderunt Bernegg. Gronov. (1672.) Ernestius. —, Iac. Gronovius maluit *vecordissimus*. Sed *vetustus* est diu meritus et rerum sciens. cf. supr. 1, 23. *vetustissimum quemque nomine vocans.*

castigare. Hoc verbum non apparet in ed. Spir. Mox etiam deest *campis.*

credulitatem. MS. Guelf. *crudelitatem.*

metum ac discrimen ostendere. cf. An. 2, 72. *ostendere metum.* Vid. ibi not.

laudari providentia ducis. Et hic locus e vett. libris infirmus est. MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et dein ed. Pich. *laudari providentiam.* Ed. Spir. *laudari prouinciam*, omissis litteris mediis et ex compendio scripturae orto vitio. MSS. Agr. Corb. Harl. (a sec. manu) edd. Rhen. Ald. sqq. ad Pichenam, et post Pich. edd. Bernegg. Gronov. sqq. *laudare providentiam.* Pro *ducis* in MS. Agr. exstat *principis.* Denique suadentibus I. Fr. Gronovio et Ryckio Iac. Gronovius, Ernestius edidere *laudari providentia.* Cogitabam aliquando de servanda vetere scriptura atque distinguebam locum sic: *laudari: providentiam* (esse) *ducis* etc. Sed non satis confido.

coloniam. MS. Guelf. *colomniam.*

virium et opum validam. MS. Oxon. (teste Iac. Gronovio) h. e. Ies. *virium et opiis validam;* in marg. *opibus.* Unde Iac. Gronov. suspicabatur legendum aut *virium opibus* aut *virium copiis.* Heinsius volebat *opis validam* h. e. ad opem ferendam. Sed unus iste Oxoniensis bonam ceterorum librorum scripturam nunquam turbabit.

exprobrans. Ed. Spir. *exprobans*, et ita MS. Guelf. a sec. m., quum prima manus id verbum omisisset.

ratione ostendens. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et deinde Lips. Pichen. sqq. — *rationes ostendens* edd. Rhenan. Ald. sqq. cum Lipsii prima. Secundum castigationes Rhenanus voluit dare: *quam ratione attendens*, uti locus

Placentiam reduxit minus turbidos et imperia accipientes, solidati muri, propugnacula addita, auctae turres, provisa parataque non arma modo, sed obsequium et parendi amor: quod solum illis partibus defuit, cum virtutis haud poeniteret.

XX. At Caecina velut relicta post Alpes saevitia ac licentia modesto agmine per Italiam incessit. ornatum ipsius municipia et coloniae in superbiam trahebant, quod versicolori sagulo, braccas barbarum tegimen indutus togatos adloqueretur. uxorem autem eius Saloninam, quanquam in nullius iniuriam insignis equo ostroque veheretur, tanquam laesi gravabantur, insita mortalibus natura recentem aliorum felicitatem aegris oculis introspicere modumque fortunae a nullis magis

legitur in MS. Bud. Acidalius malebat *oratione.* Sed vulgata scriptura sine labe est. Ablativus *ratione,* ut saepe, ponitur pro adverbio *rationaliter* (*avec raison*). Senec. ep. 109. *hominem movere rationaliter non potest nisi homo.*

obsequium. Ed. Spir. *obsequia.*

Cap. 20. *versicolori.* Sic MS. Guelf, ed. Beroald. (cum sil. Vict.). Iac. Gronov. in MS. Flor. vidit *versicoloris sagulo.* Suffragatur ed. Spir., quae dat *versi caloris sagulo*, duplicata littera *s.* Edd. Put. Alc. Rhen. sqq. *versicolore.*

tegimen. De scriptura cf. not. ad 1, 79. Vulgo edunt *tegmen.* Ed. Spir. *brachas barbarum tegmen.* Eandem verborum ordinem servat MS. Flor. (teste Iac. Gron.). Vulgo *tegmen barbarum.* — *Braccas* edd. Gron. (1672.) Iac. Gronov. sqq.; *bracas* MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Ryck.; *brachas* MS. Guelf. edd. ante Gronovianam omnes. Ceterum Tacitus verba *barbarum tegimen* non explicandi, sed exprobrandi causa addit. Ne igitur cum interpretibus nonnullis putes esse ea e glossemate.

uxorem autem eius. Sic MS. Flor. test. Vict. cum Iac. Gronovio. — *uxorem quoque eius* MS. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. Scilicet tenerae aures non ferebant malum sonum, qui videbatur esse in *uxorem autem.* Sed cave, ne fastidiosius agas et in detrimentum veritatis. Nam hic sententia cohaeret sic: Caecinae ornatum trahebant in superbiam: uxoris autem equum insignem tanquam laesi gravabantur. Hoc igitur gravius ferebant quam illud. Quare nullus locus particulae *quoque:* sententia poscit *autem*, quod per compendium *(aū)* scriptum facile potuit abire in aliud, quod significat *quoque.*

insignis equo ostroque. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. edd. Spir. et Broterii. — *insigni* edd. Put. Beroald. sqq. — *equo ostroque* est ἓν διὰ δυοῖν, equus ostro stratus. cf. Roth. p. 24.

aegris oculis. MS. Corb. ed. Spir. *acribus oculis.* Iidem libri mox *in equis* (volunt *in aequis*) pro *in aequo.* MS. Guelf. *in equo.*

a nullis magis. MS. Guelf. *a nonnullis magnis.*

exigere quam quos in aequo videre. Caecina Padum transgressus tentata Othonianorum fide per colloquium et promissa iisdem petitus, postquam pax et concordia speciosis et inritis nominibus iactata sunt, consilia curasque in oppugnationem Placentiae magno terrore vertit, gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore.

XXI. Sed primus dies impetu magis quam veterani exercitus artibus transactus: aperti incautique muros subiere, cibo vinoque praegraves. In eo certamine pulcherrimum amphitheatri opus situm extra muros conflagravit, sive ab oppugnatoribus incensum, dum faces et glandes ac missilem ignem in obsessos iaculantur, sive ab obsessis, dum retorta ingerunt. municipale vulgus pronum ad suspiciones fraude inlata ignis alimenta credidit a quibusdam e vicinis coloniis,

videre. Sic edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. — *viderunt* MSS. Harl. Bodl. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.). Parum interest.

iisdem petitus. Ed. Spir. *isdem petitis.*

inritis. Sic MS. Flor. (t. Vict.); *irritis* edd. vett. cum MS. Guelf.

gnarus. MS. Guelf. a sec. m. *ignarus.*

provenissent, famam in cetera fore. MS. Reg. ed. Spir. *prevenissent: fama incerta fore.* De verbo *provenire* cf. not. ad An. 1, 19. Simillima sententia est Agr. c. 18.

Cap. 21. *incensum.* Abest hoc ab ed. Spir. et sane abesse potest. MS. Guelf. dat *incessum.*

ac missilem. Sic MS. Bud. edd. Rhenan. Ald. sqq. — *et missilem* MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.). Oberlinus e MS. Flor. falso prodiderat *ac.* — Mox MS. Corb. *sin ab obsessis.*

dum retorta ingerunt. Locus e vett. libris infirmus. MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Bud. Reg. Corb. ed. Spir. *dum reportans gerunt.* Ryckius adfirmat *gerunt* in MS. Flor. esse a recentissima manu. Adfuit tamen an. p. Chr. n. 1520. — MSS. Guelf. Harl. Ies. *dum per portas egerunt.* MS. Agr. *dum in hostes ingerunt.* Edd. Put. Ber. Alc. Rhenan. sqq. *dum regerunt.* Victorius ex suo ingenio corrigit: *dum portus regerunt.* Rhenanus: *dum reperta transgerunt.* Heinsius: *dum per tormenta ingerunt.* Iac. Gronovius: *dum retorta ingerunt:* quae in contextum recepta sunt a Bipont. Oberl. sqq. Simplicius forsitan foret: *dum reportant,* int. faces et glandes etc. h. e. *regerunt.* Nam alterum verborum videtur esse e glossemate.

ad suspiciones. Ed. Spir. *et suspitiones.* MS. Guelf. *ad suspiciones,* ut plerumque.

a quibusdam e vicinis coloniis. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. (ibi est *e viciniis*) Agr. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Micyll. (1557.) et e recentioribus

invidia et aemulatione quod nulla in Italia moles tám capax foret. quocunque casu accidit, dum atrociora metuebantur, in levi habitum: reddita securitate, tanquam nihil gravius pati potuissent, maerebant. Ceterum multo suorum cruore pulsus Caecina, et nox parandis operibus adsumpta. Vitelliani pluteos cratesque et vineas suffodiendis muris protegendisque oppugnatoribus, Othoniani sudes et immensas lapidum ac plumbi aerisque moles perfringendis obruendisque hostibus expediunt. utrimque pudor, utrimque gloria et diversae exhortationes, hinc legionum et Germanici exercitus robur, inde urbanae militiae et praetoriarum cohortium

Lips. (1607.) Ryck. Ernest. Broter. sqq. Eadem Pichena vidit in MS. Flor. voluitque edere. Operae maluere: *e quibusdam vicinis coloniis*, quae scriptura dein venit in eiusdem ed. 1609. Bernegg. Gronov. 1672. At Iac. Gronovius in MS. Flor. invenit ediditque haec: *a quibusdam et vicinis coloniis*. Conspirant MS. Corb. et ed. Spir. — *et quibusdam vicinis coloniis* MS. Bud. edd. Rhenan. Ald. — *a quibusdam vicinis coloniis* Lipsii priores et Gruterus. Quae si contuearis, nullus dubitabis de veritate receptae scripturae.

invidia et aemulatione. MSS. et vett. edd. *invidiae aemulatione.* Suadente Mureto Pichena, Bernegg. sqq. edidere *invidia et aemulatione.* Bene. cf. infr. c. 101. *aemulatione etiam invidiaque*; supr. 1, 65. *unde aemulatio et invidia.* Ryckius et Iac. Gronovius defenderunt revocaruntque veterem scripturam nemini auditi. Vitium illud vulgare est in vett. libris.

quocunque casu accidit. Sic codd. MSS. Flor. (teste Pichena) Guelf. et plerique alii, edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et deinde Lips. (1607.) Ryck. Ernest. Brot. sqq. — *acciderat* edd. Rhen. Ald. sqq. Nam in MS. Bud. est *accidat*, quod Iac. Gronovius etiam in MS. Flor. se vidisse testatur. — Mox ed. Spir. cum MS. Guelf. (a sec. manu) *in leui habitu reddita securitate* etc.

maerebant. Sic MS. Guelf. edd. Lips. sqq. — Edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. *merebant*, solita incuria; *moerebant* edd. Rhen. sqq.

adsumpta. Sic MSS. et edd. Spir. Put. sqq. — Muretus coniecit *absumpta*, quod Lips. et Pich. in marginem, Gronovii (1672.), Iac. Gronovius, Ernestius, Broterius et nuper Bekkerus in contextum receperunt. Veterem scripturam servarunt Ryck. Bipont. Oberlinus sqq. Recte. Nam sententia est, ne noctem quidem ingruentem imposuisse finem parandis operibus. Absque necessitate certe veterum librorum auctoritas hic spernitur.

pluteos. Ed. Spir. *puteos.*

perfringendis obruendisque h. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronovio) Bud. Agr. Reg. Corb. Guelf. edd. Spir. Iac. Gronov. Ernest. sqq. — MSS. Harl. Bodl. edd. Put. Beroald. sqq. ad Iac. Gronovium post *perfringendis* interponunt *operibus.* — MS. Ies. *perstringendis operibus*, et mox *utrique pudor*, *utrique gloria.*

militiae. Hoc voc. a pr. manu in MS. Guelf. omissum secunda manus in margine addidit.

decus attollentium: illi ut segnem et desidem et circo ac theatris corruptum militem, hi peregrinum et externum increpabant. simul Othonem ac Vitellium celebrantes culpantesve uberioribus inter se probris quam laudibus stimulabantur.

XXII. Vixdum orto die plena propugnatoribus moenia, fulgentes armis virisque campi: densum legionum agmen, sparsa auxiliorum manus: altiora murorum sagittis aut saxis incessere, neglecta aut aevo fluxa cominus adgredi. ingerunt desuper Othoniani pila librato magis et certo ictu adversus temere subeuntes cohortes Germanorum cantu truci et more patrio nudis corporibus super humeros scuta quatientium. legionarius pluteis et cratibus tectus subruit muros, instruit aggerem, molitur portas. contra praetoriani dispositos ad id ipsum molares ingenti pondere ac fragore provolvunt. pars subeuntium obruti, pars confixi et exsangues

ut segnem. MS. Guelf. *et segnem.*

et desidem. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *ac desidem* edd. Put. Ber. sqq. cum MS. Guelf.

culpantesve. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf, edd. Spir. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Pich. Grut. Bernegg. sqq. — *culpantesque* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. ad Pichenam. — Pro *celebrantes* in MS. Guelf. contextu scribitur *increpantes:* sed vetus manus in margine posuit *celebrantes.* Idem liber pergit: *inter se uberioribus probris* etc.

Cap. 22. *propugnatoribus.* MSS. Harl. Ies. Guelf. *oppugnatoribus.*

legionum agmen. Savilius: „Et tamen unicam tantum legionem habuit Caecina." cf. Hist. I, 61. Verum praeter unam eamque plenam legionem Caecina multa millia electorum ex aliis legionibus ducebat, qui haud dubie in legionum numeros compositi pugnavere, nec sparsi cum auxiliis. — Mox ed. Spir. *sagitris* pro *sagittis.*

librato magis. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — MS. Bud. pro *magis* dat *magna.* — Mox MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. punctum ponunt ante *cohortes.* Meliorem loci interpunctionem instituit Rhenanus. Deinde ed. Spir. *quatientium legionarium puteis et cratibus textus subruit* etc.

contra praetoriani. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *contra praetorianus* MSS. Reg. Corb. ed. Spir., quae tamen mox habet *provolvunt.*

ad id ipsum. MS. Oxon. Iac. Gronovii h. e. Ies. *ad ipsum.* Broterius tacet. In MS. Guelf. secunda manus addidit *id.*

obruti. MS. Corb. *obruta.*

exsangues. Edd. ante Lips. cum MS, Guelf. *exangues.* MS. Flor. teste Vict. *exsangues.*

aut laceri. cum augeret stragem trepidatio eoque acrius e moenibus vulnerarentur, rediere infracta partium fama. Et Caecina pudore coeptae temere oppugnationis, ne inrisus ac vanus iisdem castris adsideret, traiecto rursus Pado Cremonam petere intendit. tradidere sese abeunti Turulius Cerialis cum compluribus classicis et Iulius Briganticus cum paucis equitum, hic praefectus alae in Batavis genitus, ille primipilaris et Caecinae haud alienus, quod ordines in Germania duxerat.

XXIII. Spurinna comperto itinere hostium defensam Placentiam, quaeque acta et quid Caecina pararet, Annium Gallum per litteras docet. Gallus legio-

aut laceri. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *ac laceri* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *ut laceri* MS. Bud. teste Oberlino: Rhenanus in castigationibus prodiderat ibi esse *ait laceri.*

pudore coeptae temere o. Sic MSS. Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Ernest. Brot. Oberl. sqq. — *fama et pudore c. t. o.* MS. Agr. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Ernestium. — Iac. Gronovius tamen in MS. Flor. vidit *fama pudore coeptae* etc. — MS. Bud. *fama pudoris cepta et.* Lubenter acquiescimus in recepta scriptura, quum additum *famae* vocabulum non possit non videri molestum ob praecedentem formulam *infracta p. fama*: quanquam per se *fama et pudore* ut ἓν διὰ δυοῖν egregium sensum fundit, nec Tacito adeo rarum est repetere vocabula proxime posita. Potest etiam admitti asyndeton, quod dicitur in MS. Flor. esse. — Emendationis nomine viri docti varia coniecere. Lipsius: *fame et pudore.* I. Fr. Gronovius: *damno et pudore.* Heinsius: *infamia et p.* Freinshemius: *iam ira et p.*

iisdem. Ed. Spir. *hisdem*, uti solet.

castris adsideret. MSS. Agr. Corb. *castris insideret*, ex emendandi studio. De alia ratione verbi *adsidere* cf. not. ad An. 4, 58.

tradidere sese. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Corb. Guelf. Bud. edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *tradidere se* edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Pichenam.

Turulius. Sic edd. recentt. auctore Ernestio et ob fidem inscriptt. apud Gruter. p. 735. cf. Cic. ad Div. 12, 13. Priores edd. omnes et MS. Guelf. *Turullius* cum silent. Victorio. MS. Bodl. *Turrullius.* MS. Harl. *Turrillius.* MS. Bud. *Turrulius.*

cum compluribus. Ed. Spir. *cũ q̃ pluribus.* MS. Guelf. *cum cum. pluribus.*

Iulius Briganticus. Sic MS. Bud. edd. Rhenan. Ald. sqq. — *Iullius Breganticus* ed. Spir. — *Iulius Breganticus* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — Mox voc. *genitus* abest a MS. Corb.

primipilaris. Ed. Spir. *primipilaris.*

Cap. 23. *Annium Gallum.* MS. Guelf. *animum gallum.* Ed. Spir. *Gallium*: sed mox *Gallus.*

tes circumvenerunt. ac velut pactis induciis, ne hinc classis, inde eques subitam formidinem inferrent, Vitelliani retro Antipolim Narbonensis Galliae municipium, Othoniani Albingaunum interioris Liguriae revertere.

XVI. Corsicam ac Sardiniam ceterasque proximi maris insulas fama victricis classis in partibus Othonis tenuit. sed Corsicam prope adflixit Decumi Pacarii procuratoris temeritas tanta mole belli nihil in summam profutura, ipsi exitiosa. namque Othonis odio iuvare Vitellium Corsorum viribus statuit, inani auxilio, etiam si provenisset. Vocatis principibus insulae consilium aperit, et contra dicere ausos Claudium Phirricum trierarchum liburnicarum ibi navium, Quintium Cer-

circumvenerunt. MS. Corb. *circumvenere.*

pactis induciis, ne hinc. Ed. Spir. *pactis indutiis: ne hic.* Ed. Put. V. pro *pactis* dat *peccatis.*

inde eques. Sic MSS. et edd. ante Rhenanum, qui ex ingenio edidit *inde equites.* Veterem scripturam restituit Pich. e MS. Flor.

Albingaunum. Sic MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *Arbingaunum* MS. Guelf. — *Albiganum* ed. Spir. In MS. Flor. I. Gronovius vidit *Albigaunum.* De ed. Spir. falsi sunt Ernestius et Broterius.

interioris. Ed. Spir. *inferioris.*

Cap. 16. *Decumi Pacarii.* Sic MSS. et edd. Spir. Put Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium, qui fecit *Decimi P.* — Ernest. Oberlin. sqq. maluere *D. Pacarii.*

tanta mole belli. H. e. quum esset tanta moles belli, in qua parvi momenti erat, utrum Pacarius cum Corsis ab hac an staret ab illa parte. J. Fr. Gronovius perperam emendabat *tentata mole belli:* nam ita genuina sententia plane detorquetur. MS. Guelf. pro *mole* habet *molle.*

in summam profutura. Sic suadentibus Rhenano, Ursino aliisque ediderunt Bernegg. Gronov. sqq. cf. not. ad An. 15, 38. MSS. et vett. edd. unanimi consensu *in summa profutura.*

iuvare Vitellium. Ed. Spir. *vitavere Vitellium.*

Corsorum viribus. MS. Agr. *Corsorum navibus.* Ed. Spir. *corsoribus insulae consilium aperit.* Media desunt.

principibus. Ed. Beroald. vitiose *princibus.*

Phirricum trierarchum. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Reg. edd. Lips. posteriores, Pich. sqq. — *Phirrhicum trierarchum* edd. Put. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. et Lips. prima. — *Phirritum trierarcum* ed. Spir. — *Phyricum* MS. Bud. — *Pyrricum* MS. Guelf. — *Pyrrhicum* MSS. Harl. Bodl. Ies. et sic I. Fr. Gronovius coniiciebat. In inscriptt. apud Gruter. p. 597. nr. 2. est *Pyrriche.*

Quintium. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium, qui dedit *Quinctium* ex sua de orthographia huius vocabuli opinione nixa Capitolinis lapidibus. At non paucioribus monimentis inest *Quintius* et Graecis dicitur *Κοΐντιος.* cf. An. 3, 76. MS. Agr. hic habet *Q. Certum.*

tum equitem Romanum interfici iubet. quorum morte exterriti qui aderant, simul ignara et alieni metus socia imperitorum turba in verba Vitellii iuravere. Sed ubi delectum agere Pacarius et inconditos homines fatigare militiae muneribus occepit, laborem insolitum perosi infirmitatem suam reputabant: insulam esse, quam incolerent, et longe Germaniam viresque legionum: direptos vastatosque classe etiam quos cohortes alaeque protegerent. Et aversi repente animi nec tamen aperta vi aptum tempus insidiis legere. digressis qui Pacarium frequentabant nudus et auxilii inops balineis interficitur, trucidati et comites. capita ut hostium ipsi interfectores ad Othonem tulere: neque eos aut Otho praemio adfecit aut puniit Vitellius in multa colluvie rerum maioribus flagitiis permixtos.

XVII. Aperuerat iam Italiam bellumque transmiserat, ut supra memoravimus, ala Sullana, nullo apud quemquam Othonis favore, nec quia Vitellium mallent, sed longa pax ad omne servitium fregerat faciles occupantibus et melioribus incuriosos. florentissi-

interfici. Hoc verbum deest in ed. Spir. Eadem mox *Picarius* pro *Pacarius* et *accepit* pro *occepit.*

viresque legionum. Ed. Spir. *virosque legionum.* Mox *quas cohortes* pro *quos cohortes:* dein iterum *Picarium.* MS. Guelf. ante *quos* negligit *etiam.* Idem liber *digressisque* pro *digressis qui.*

balineis. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) edd. Pich. Grut. sqq. — *balinei* ed. Spir. — *balneis* vulgus MSStorum et edd. Put. sqq. ad Pichenam.

aut Otho praemio. MS. Guelf. omittit vocabulum *Otho.*

puniit. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *punivit* MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. ad hunc diem. Praefero illam formam ob κακοφωνίαν, quae est in *punivit Vitellius.*

Cap. 17. *Aperuerat iam Italiam bellumque etc.* Sic edd. Rhenan. Ald. sqq. — *Italia* edd. Spir. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — *in Italia* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Puteol. M. et V. Pro *aperuerat* MS. Bud. dat *apparuerat.* Pro *bellumque* ed. Spir. habet *bellum quę;* MS. Harl. *bellum quod.* Vulgata speciem veritatis praeferunt: diversa scriptura emendandi studio debetur exorto e lineolae super *a* in fine vocis *Italia* omissione.

ala Sullana. Vid. not. ad 1, 70. Hic MS. Flor. teste Victorio *ala Silina;* teste Ryckio *Siliana.* Ed. Spir. *silana.* Edd. Put. sqq. cum MS. Guelf. *Syllana.*

faciles. MS. Corb. *fragiles.*

occupantibus. Sic edd. Put. Beroald (cum sil. Vict.) sqq. — *occupationibus* MSS. Agr. Guelf. (a sec. manu) ed. Spir.

melioribus incuriosos. Sic libri omnes. I. Fr. Gronovius malebat:

mum Italiae latus, quantum inter Padum Alpesque camporum et urbium armis Vitellii (namque et praemissae a Caecina cohortes advenerant) tenebatur. capta Pannoniorum cohors apud Cremonam, intercepti centum equites ac mille classici inter Placentiam Ticinumque. quo successu Vitellianus miles non iam flumine aut ripis arcebatur. inritabat quin etiam Batavos Transrhenanosque Padus ipse: quem repente contra Placentiam transgressi raptis quibusdam exploratoribus ita ceteros terruere, ut adesse omnem Caecinae exercitum trepidi ac falsi nuntiarent.

XVIII. Certum erat Spurinnae (is enim Placentiam obtinebat) nec dum venisse Caecinam et, si propinquaret, coercere intra munimenta militem nec tris praetorias cohortes et mille vexillarios cum paucis equitibus veterano exercitui obiicere. sed indomitus miles et belli ignarus correptis signis vexillisque ruere et retinenti duci tela intentare spretis centurionibus tribunisque. providentiam ducis laudari? quin proditionem et accitum Caecinam clamitabant. Fit temeritatis alie-

melioribus incuriosis; Groslotius: *meliorum incuriosos.* Verum An. 14, 38. idem Noster scribit: *serendis frugibus incuriosos.* Recte. Nam *meliorum incuriosi* sunt qui meliorum, quibus utuntur quosque cognitos habent, nullam gerunt curam. At *melioribus incuriosi,* qui non curant de melioribus, utrum sint hi an illi meliores. Sic *serendis frugibus incuriosi* sunt qui non curant, serantur fruges necne; *serendarum frugum incuriosi,* qui serunt quidem, incuriosi tamen versantur in serendis frugibus. Dativus in hac formula ponitur pro *ad* cum accusativo.

et urbium. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *et urbium est* MSS. Guelf. Harl. Bodl. les. edd. Put. M. et V. Berold. Alc.

inritabat. Sic MS. Flor. teste Victorio. *irritabat* edd. vett.

quem repente. Rhenanus auctoritate MS. Bud. deleverat *repente.* Restituit Pichena e MS. Flor., cui suffragantur ceteri codd. MSS. et vett. edd.

Cap. 18. *Spurinnae.* Sic edd. Lips. sqq. — *Spurinae* edd. ante Lips. — *Spurrinae* MS. Guelf. et ita mox, ubi ed. Spir. fert *Spurina.*

signis vexillisque. Ed. Spir. *vexillis signisque.*

retinenti. Heinsius vult *renitenti.* Haud inepte: sed frustra.

tribunisque. providentiam ducis laudari? quin proditionem et accitum C. clamitabant. Locus in vett. libris corruptus. Ed. Spir. *tribunisque providentiam ducis laudari: qui pro othone et accitum Cecinam clamitabant.* Eadem insunt MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) et Reg. Pichena in MS. Flor. vidit *p Othonem.* MSS.

nae comes Spurinna, primo coactus, mox velle simulans, quo plus auctoritatis inesset consiliis, si seditio mitesceret.

XIX. Postquam in conspectu Padus et nox adpetebat, vallari castra placuit. is labor urbano militi

Agr. Corb. *providentiam ducis laudare.* In sqq. MS. Agr. (teste Heinsio) *quin pro Othone et;* MS. Corb. *Othonem* sine praepositione. Diversum scripturae genus est in MSS. Bud. Harl. Bodl. les. edd. Put. Beroald. sqq., qui libri ferunt: *tribunisque providentiam ducis laudantibus: qui pro Othone et accitum C. clamitabant.* MS. Guelf.: *tribunisque prouidentiam ducis laudatibus et pro Othone: et accitum Cetinū clamitabant.* Quae quum contextui conciliari nequirent, viri docti de emendatione loci cogitarunt. Rhenanus volebat: *tribunisque ... laudantibus, qui pro Othone etiam accitum C. clamitabant.* Danesius: *quin pro Othone etiam* etc. Mercerus: *quin proditione accitum Caecinam clamitabant.* Nam in proditionis crimen vocatum Spurinnam a milite scribit Plutarchus. Pichena: *quin proditionem et accitum* etc. Idem verba praecedentia: *providentiam ducis laudantibus* abiicienda censebat, quippe quae e c. 19. hic irrepserint. Alteram emendationis partem a Pichena propositae in contextum recepere Freinshem. Gronov. Ryck. Ernest., qui tamen toleravere verba a Pichena damnata, quanquam et ipsis persuasum ea esse spuria. Eiecit Broterius, quem deinde omnes secuti sunt. Legunt: *tribunisque; quin proditionem et accitum C. clamitabant*, adfirmantque indignam esse Tacito eorundem verborum repetitionem. Sed caute versari debemus in tali re. Inrepserunt illa e cap. 19. Quaeritur, utrum consulto et interpretamenti causa, an per errorem librarii additamentum illud intruserint. Consulto haec addita nego. Nam si interpretamenti causa librarii addidissent, ut intelligeretur, qua in re centuriones tribunique sint spreti a milite; scripsissent non *providentiam ducis laudari*, uti est in MS. Flor. et optimis libris, sed *providentiam ducis laudantibus*, uti locum referunt MSS. Bud. Harl. etc. Iam vero horum librorum scriptura hic ut alibi palam praefert speciem emendationis. Scripserunt sic, qui obvia in antiquiore codice verba non concoquerent. Sed fortasse per errorem scribae illa verba huc venere. At tum non scripsisset: *providentiam ducis laudari*, sed *laudari provid. duc.*, uti sunt cap. 19. Quare satis dubia videtur esse opinio eorum, qui insititia illa verba existimant. Immo bene se habent et eximia est vis in illa repetitione, quae viros doctos offendit. Nam alio sensu verba cap. 19. leguntur. Priore loco milites clamitant: *providentiam ducis laudari?* (interrogatio ironica. cf. not. ad An. 2, 15.) *quin* (*nein*) *proditionem* etc. Altero loco Noster scribit: *iamque ... laudari providentia ducis*, praeponitque verbum *laudari*, ut sententiam exprimat: iam providentiam ducis non amplius in suspicionem esse vocatam atque inrisam, ut antea, sed laudatam sane. Ceterum *quin* ita ponitur pro *quin immo*. cf. An. 1, 23. Plin. ep. 3, 16. 4, 9. Sueton. Ner. c. 42.

inesset consiliis. MS. Corb. *esset consiliis.*

Cap. 19. *nox adpetebat.* MS. Harl. (a sec. manu) ed. Spir. *apparebat.* Sed cf. An. 4, 51. *adpetente iam luce.*

labor. MS. Guelf. *labos.*

insolitus contudit animos. tum vetustissimus quisque castigare credulitatem suam, metum ac discrimen ostendere, si cum exercitu Caecina patentibus campis tam paucas cohortes circumfudisset. iamque totis castris modesti sermones, et inserentibus se centurionibus tribunisque laudari providentia ducis, quod coloniam virium et opum validam robur ac sedem bello legisset. Ipse postremo Spurinna non tam culpam exprobrans quam ratione ostendens relictis exploratoribus ceteros

contudit. Sic codd. MSS. Agr. Guelf. (aliique, ut videtur) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhenan. sqq, At Iac. Gronovius in MS. Flor. vidit *contundit*, quod etiam reperitur in MS. Bud. et ed. Spir. Suffragatur cod. MS. Corb., qui dat *contundis*. Parum refert.

vetustissimus quisque. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Reg. Agr. Corb. Bud. Bodl. (hic in margine) edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. et inter recentiores Ryck. Lallemand. Brot. Bipont. Oberl. sqq. — *moestissimus quisque* MSS. Harl. Bodl. (a pr. manu) Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — Lipsius volebat: *modestissimus;* Freinshemius: *inertissimus*, quod ediderunt Bernegg. Gronov. (1672.) Ernestius. —, Iac. Gronovius maluit *vecordissimus*. Sed *vetustus* est diu meritus et rerum sciens. cf. supr. 1, 23. *vetustissimum quemque nomine vocans*.

castigare. Hoc verbum non apparet in ed. Spir. Mox etiam deest *campis*.

credulitatem. MS. Guelf. *crudelitatem*.

metum ac discrimen ostendere. cf. An. 2, 72. *ostendere metum*. Vid. ibi not.

laudari providentia ducis. Et hic locus e vett. libris infirmus est. MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et dein ed. Pich. *laudari prouidentiam*. Ed. Spir. *laudari prouinciam*, omissis litteris mediis et ex compendio scripturae orto vitio. MSS. Agr. Corb. Harl. (a sec. manu) edd. Rhen. Ald. sqq. ad Pichenam, et post Pich. edd. Bernegg. Gronov. sqq. *laudare providentiam*. Pro *ducis* in MS. Agr. exstat *principis*. Denique suadentibus I. Fr. Gronovio et Ryckio Iac. Gronovius, Ernestius edidere *laudari providentia*. Cogitabam aliquando de servanda vetere scriptura atque distinguebam locum sic: *laudari: providentiam* (esse) *ducis* etc. Sed non satis confido.

coloniam. MS. Guelf. *colomniam*.

virium et opum validam. MS. Oxon. (teste Iac. Gronovio) h. e. Ies. *virium et opiis validam;* in marg. *opibus*. Unde Iac. Gronov. suspicabatur legendum aut *virium opibus* aut *virium copiis*. Heinsius volebat *opis validam* h. e. ad opem ferendam. Sed unus iste Oxoniensis bonam ceterorum librorum scripturam nunquam turbabit.

exprobrans. Ed. Spir. *exprobans*, et ita MS. Guelf. a sec. m., quum prima manus id verbum omisisset.

ratione ostendens. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et deinde Lips. Pichen. sqq. — *rationes ostendens* edd. Rhenan. Ald. sqq. cum Lipsii prima. Secundum castigationes Rhenanus voluit dare: *quam ratione attendens*, uti locus

Placentiam reduxit minus turbidos et imperia accipientes, solidati muri, propugnacula addita, auctae turres, provisa parataque non arma modo, sed obsequium et parendi amor: quod solum illis partibus defuit, cum virtutis haud poeniteret.

XX. At Caecina velut relicta post Alpes saevitia ac licentia modesto agmine per Italiam incessit. ornatum ipsius municipia et coloniae in superbiam trahebant, quod versicolori sagulo, braccas barbarum tegimen indutus togatos adloqueretur. uxorem autem eius Saloninam, quanquam in nullius iniuriam insignis equo ostroque veheretur, tanquam laesi gravabantur, insita mortalibus natura recentem aliorum felicitatem aegris oculis introspicere modumque fortunae a nullis magis

legitur in MS. Bud. Acidalius malebat *oratione*. Sed vulgata scriptura sine labe est. Ablativus *ratione*, ut saepe, ponitur pro adverbio *rationaliter* (*avec raison*). Senec. ep. 109. *hominem movere rationaliter non potest nisi homo*.

obsequium. Ed. Spir. *obsequia*.

Cap. 20. *versicolori*. Sic MS. Guelf. ed. Beroald. (cum sil. Vict.). Iac. Gronov. in MS. Flor. vidit *versicoloris sagulo*. Suffragatur ed. Spir., quae dat *versi caloris sagulo*, duplicata littera *s*. Edd. Put. Alc. Rhen. sqq. *versicolore*.

tegimen. De scriptura cf. not. ad 1, 79. Vulgo edunt *tegmen*. Ed. Spir. *brachas barbarum tegmen*. Eandem verborum ordinem servat MS. Flor. (teste Iac. Gron.). Vulgo *tegmen barbarum*. — *Braccas* edd. Gron. (1672.) Iac. Gronov. sqq.; *bracas* MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Ryck.; *brachas* MS. Guelf. edd. ante Gronovianam omnes. Ceterum Tacitus verba *barbarum tegimen* non explicandi, sed exprobrandi causa addit. Ne igitur cum interpretibus nonnullis putes esse ea e glossemate.

uxorem autem eius. Sic MS. Flor. test. Vict. cum Iac. Gronovio. — *uxorem quoque eius* MS. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. Scilicet tenerae aures non ferebant malum sonum, qui videbatur esse in *uxorem autem*. Sed cave, ne fastidiosius agas et in detrimentum veritatis. Nam hic sententia cohaeret sic: Caecinae ornatum trahebant in superbiam: uxoris autem equum insignem tanquam laesi gravabantur. Hoc igitur gravius ferebant quam illud. Quare nullus locus particulae *quoque*: sententia poscit *autem*, quod per compendium (*aū*) scriptum facile potuit abire in aliud, quod significat *quoque*.

insignis equo ostroque. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. edd. Spir. et Broterii. — *insigni* edd. Put. Beroald. sqq. — *equo ostroque* est ἓν διὰ δυοῖν, equus ostro stratus. cf. Roth. p. 24.

aegris oculis. MS. Corb. ed. Spir. *acribus oculis*. Iidem libri mox *in equis* (volunt *in aequis*) pro *in aequo*. MS. Guelf. *in equo*.

a nullis magis. MS. Guelf. *a nōnullis magnis*.

exigere quam quos in aequo videre. Caecina Padum transgressus tentata Othonianorum fide per colloquium et promissa iisdem petitus, postquam pax et concordia speciosis et inritis nominibus iactata sunt, consilia curasque in oppugnationem Placentiae magno terrore vertit, gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore.

XXI. Sed primus dies impetu magis quam veterani exercitus artibus transactus: aperti incautique muros subiere, cibo vinoque praegraves. In eo certamine pulcherrimum amphitheatri opus situm extra muros conflagravit, sive ab oppugnatoribus incensum, dum faces et glandes ac missilem ignem in obsessos iaculantur, sive ab obsessis, dum retorta ingerunt. municipale vulgus pronum ad suspiciones fraude inlata ignis alimenta credidit a quibusdam e vicinis coloniis,

videre. Sic edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. — *viderunt* MSS. Harl. Bodl. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.). Parum interest.

iisdem petitus. Ed. Spir. *isdem petitis.*

inritis. Sic MS. Flor. (t. Vict.); *irritis* edd. vett. cum MS. Guelf.

gnarus. MS. Guelf. a sec. m. *ignarus.*

provenissent, famam in cetera fore. MS. Reg. ed. Spir. *praevenissent: fama incerta fore.* De verbo *provenire* cf. not. ad An. 1, 19. Simillima sententia est Agr. c. 18.

Cap. 21. *incensum.* Abest hoc ab ed. Spir. et sane abesse potest. MS. Guelf. dat *incessum.*

ac missilem. Sic MS. Bud. edd. Rhenan. Ald. sqq. — *et missilem* MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.). Oberlinus e MS. Flor. falso prodiderat *ac.* — Mox MS. Corb. *sini ab obsessis.*

dum retorta ingerunt. Locus e vett. libris infirmus. MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Bud. Reg. Corb. ed. Spir. *dum reportans gerunt.* Ryckius adfirmat *gerunt* in MS. Flor. esse a recentissima manu. Adfuit tamen an. p. Chr. n. 1520. — MSS. Guelf. Harl. Ies. *dum per portas egerunt.* MS. Agr. *dum in hostes ingerunt.* Edd. Put. Ber. Alc. Rhenan. sqq. *dum regerunt.* Victorius ex suo ingenio corrigit: *dum portus regerunt.* Rhenanus: *dum reperta transgerunt.* Heinsius: *dum per tormenta ingerunt.* Iac. Gronovius: *dum retorta ingerunt:* quae in contextum recepta sunt a Bipont. Oberl. sqq. Simplicius forsitan foret: *dum reportant,* int. faces et glandes etc. h. e. *regerunt.* Nam alterum verborum videtur esse e glossemate.

ad suspiciones. Ed. Spir. *et suspitiones.* MS. Guelf. *ad suspictiones,* ut plerumque.

a quibusdam e vicinis coloniis. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. (ibi est *e viciniis*) Agr. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Micyll. (1557.) et e recentioribus

invidia et aemulatione quod nulla in Italia moles tám capax foret. quocunque casu accidit, dum atrociora metuebantur, in levi habitum: reddita securitate, tanquam nihil gravius pati potuissent, maerebant. Ceterum multo suorum cruore pulsus Caecina, et nox parandis operibus adsumpta. Vitelliani pluteos cratesque et vineas suffodiendis muris protegendisque oppugnatoribus, Othoniani sudes et immensas lapidum ac plumbi aerisque moles perfringendis obruendisque hostibus expediunt. utrimque pudor, utrimque gloria et diversae exhortationes, hinc legionum et Germanici exercitus robur, inde urbanae militiae et praetoriarum cohortium

Lips. (1607.) Ryck. Ernest. Broter. sqq. Eadem Pichena vidit in MS. Flor. voluitque edere. Operae maluere: *e quibusdam vicinis coloniis*, quae scriptura dein venit in eiusdem ed. 1609. Bernegg. Gronov. 1672. At Iac. Gronovius in MS. Flor. invenit ediditque haec: *a quibusdam et vicinis coloniis*. Conspirant MS. Corb. et ed. Spir. — *et quibusdam vicinis coloniis* MS. Bud. edd. Rhenan. Ald. — *a quibusdam vicinis coloniis* Lipsii priores et Gruterus. Quae si contuearis, nullus dubitabis de veritate receptae scripturae.

invidia et aemulatione. MSS. et vett. edd. *invidiae aemulatione*. Suadente Mureto Pichena, Bernegg. sqq. edidere *invidia et aemulatione*. Bene. cf. infr. c. 101. *aemulatione etiam invidiaque;* supr. 1, 65. *unde aemulatio et invidia.* Ryckius et Iac. Gronovius defenderunt revocaruntque veterem scripturam nemini auditi. Vitium illud vulgare est in vett. libris.

quocunque casu accidit. Sic codd. MSS. Flor. (teste Pichena) Guelf. et plerique alii, edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et deinde Lips. (1607.) Ryck. Ernest. Brot. sqq. — *acciderat* edd. Rhen. Ald. sqq. Nam in MS. Bud. est *accidat*, quod Iac. Gronovius etiam in MS. Flor. se vidisse testatur. — Mox ed. Spir. cum MS. Guelf. (a sec. manu) *in levi habitu reddita securitate* etc.

maerebant. Sic MS. Guelf. edd. Lips. sqq. — Edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. *merebant*, solita incuria; *moerebant* edd. Rhen. sqq.

adsumpta. Sic MSS. et edd. Spir. Put. sqq. — Muretus coniecit *absumpta*, quod Lips. et Pich. in marginem, Gronovii (1672.), Iac. Gronovius, Ernestius, Broterius et nuper Bekkerus in contextum receperunt. Veterem scripturam servarunt Ryck. Bipont. Oberlinus sqq. Recte. Nam sententia est, ne noctem quidem ingruentem imposuisse finem parandis operibus. Absque necessitate certe veterum librorum auctoritas hic spernitur.

pluteos. Ed. Spir. *puteos*.

perfringendis obruendisque h. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronovio) Bud. Agr. Reg. Corb. Guelf. edd. Spir. Iac. Gronov. Ernest. sqq. — MSS. Harl. Bodl. edd. Put. Beroald. sqq. ad Iac. Gronovium post *perfringendis* interponunt *operibus*. — MS. Ies. *perstringendis operibus*, et mox *utrique pudor*, *utrique gloria*.

militiae. Hoc voc. a pr. manu in MS. Guelf. omissum secunda manus in margine addidit.

decus attollentium: illi ut segnem et desidem et circo ac theatris corruptum militem, hi peregrinum et externum increpabant. simul Othonem ac Vitellium celebrantes culpantesve uberioribus inter se probris quam laudibus stimulabantur.

XXII. Vixdum orto die plena propugnatoribus moenia, fulgentes armis virisque campi: densum legionum agmen, sparsa auxiliorum manus: altiora murorum sagittis aut saxis incessere, neglecta aut aevo fluxa cominus adgredi. ingerunt desuper Othoniani pila librato magis et certo ictu adversus temere subeuntes cohortes Germanorum cantu truci et more patrio nudis corporibus super humeros scuta quatientium. legionarius pluteis et cratibus tectus subruit muros, instruit aggerem, molitur portas. contra praetoriani dispositos ad id ipsum molares ingenti pondere ac fragore provolvunt. pars subeuntium obruti, pars confixi et exsangues

ut segnem. MS. Guelf. *et segnem.*

et desidem. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *ac desidem* edd. Put. Ber. sqq. cum MS. Guelf.

culpantesve. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf, edd. Spir. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Pich. Grut. Bernegg. sqq. — *culpantesque* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. ad Pichenam. — Pro *celebrantes* in MS. Guelf. contextu scribitur *increpantes:* sed vetus manus in margine posuit *celebrantes.* Idem liber pergit: *inter se uberioribus probris* etc.

Cap. 22. *propugnatoribus.* MSS. Harl. les. Guelf. *oppugnatoribus.*

legionum agmen. Savilius: „Et tamen unicam tantum legionem habuit Caecina." cf. Hist. 1, 61. Verum praeter unam eamque plenam legionem Caecina multa millia electorum ex aliis legionibus ducebat, qui haud dubie in legionum numeros compositi pugnavere, nec sparsi cum auxiliis. — Mox ed. Spir. *sagitris* pro *sagittis.*

librato magis. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — MS. Bud. pro *magis* dat *magna.* — Mox MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. punctum ponunt ante *cohortes.* Meliorem loci interpunctionem instituit Rhenanus. Deinde ed. Spir. *quatientium legionarium puteis et cratibus textus subruit* etc.

contra praetoriani. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *contra praetorianus* MSS. Reg. Corb. ed. Spir., quae tamen mox habet *provolvunt.*

ad id ipsum. MS. Oxon. Iac. Gronovii h. e. les. *ad ipsum.* Broterius tacet. In MS. Guelf. secunda manus addidit *id.*

obruti. MS. Corb. *obruta.*

exsangues. Edd. ante Lips. cum MS, Guelf. *exangues.* MS. Flor. teste Vict. *exsangues.*

aut laceri. cum augeret stragem trepidatio eoque acrius e moenibus vulnerarentur, rediere infracta partium fama. Et Caecina pudore coeptae temere oppugnationis, ne inrisus ac vanus iisdem castris adsideret, traiecto rursus Pado Cremonam petere intendit. tradidere sese abeunti Turulius Cerialis cum compluribus classicis et Iulius Briganticus cum paucis equitum, hic praefectus alae in Batavis genitus, ille primipilaris et Caecinae haud alienus, quod ordines in Germania duxerat.

XXIII. Spurinna comperto itinere hostium defensam Placentiam, quaeque acta et quid Caecina pararet, Annium Gallum per litteras docet. Gallus legio-

aut laceri. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *ac laceri* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *ut laceri* MS. Bud. teste Oberlino: Rhenanus in castigationibus prodiderat ibi esse *ait laceri.*

pudore coeptae temere o. Sic MSS. Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Ernest. Brot. Oberl. sqq. — *fama et pudore c. t. o.* MS. Agr. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Ernestium. — Iac. Gronovius tamen in MS. Flor. vidit *fama pudore coeptae* etc. — MS. Bud. *fama pudoris cepta et.* Lubenter acquiescimus in recepta scriptura, quum additum *famae* vocabulum non possit non videri molestum ob praecedentem formulam *infracta p. fama*: quanquam per se *fama et pudore* ut ἓν διὰ δυοῖν egregium sensum fundit, nec Tacito adeo rarum est repetere vocabula proxime posita. Potest etiam admitti asyndeton, quod dicitur in MS. Flor. esse. — Emendationis nomine viri docti varia coniecere. Lipsius: *fame et pudore.* I. Fr. Gronovius: *damno et pudore.* Heinsius: *infamia et p.* Freinshemius: *iam ira et p.*

iisdem. Ed. Spir. *hisdem*, uti solet.

castris adsideret. MSS. Agr. Corb. *castris insideret*, ex emendandi studio. De alia ratione verbi *adsidere* cf. not. ad An. 4, 58.

tradidere sese. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Corb. Guelf. Bud. edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *tradidere se* edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Pichenam.

Turulius. Sic edd. recentt. auctore Ernestio et ob fidem inscriptt. apud Gruter. p. 735. cf. Cic. ad Div. 12, 13. Priores edd. omnes et MS. Guelf. *Turullius* cum silent. Victorio. MS. Bodl. *Turrullius.* MS. Harl. *Turrillius.* MS. Bud. *Turrulius.*

cum compluribus. Ed. Spir. *cũ q̃ pluribus.* MS. Guelf. *cum cumpluribus.*

Iulius Briganticus. Sic MS. Bud. edd. Rhenan. Ald. sqq. — *Iullius Breganticus* ed. Spir. — *Iulius Breganticus* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — Mox voc. *genitus* abest a MS. Corb.

primipilaris. Ed. Spir. *prima pilaris.*

Cap. 23. *Annium Gallum.* MS. Guelf. *animum gallum.* Ed. Spir. *Gallium:* sed mox *Gallus.*

nem primam in auxilium Placentiae ducebat diffisus paucitate cohortium, ne longius obsidium et vim Germanici exercitus parum tolerarent: ubi pulsum Caecinam pergere Cremonam accepit, aegre coercitam legionem et pugnandi ardore usque ad seditionem progressam Bedriaci sistit. inter Veronam Cremonamque situs est vicus duabus iam Romanis cladibus notus infaustusque. Iisdem diebus a Martio Macro haud procul Cremona prospere pugnatum. namque promptus animi Martius transvectos navibus gladiatores in adversam Padi ripam repente effudit. turbata ibi Vitellianorum auxilia, et ceteris Cremonam fugientibus caesi qui restiterant. sed repressus vincentium impetus, ne novis subsidiis firmati hostes fortunam proelii mutarent. Suspectum id Othonianis fuit omnia ducum facta prave aestimantibus. cer-

diffisus paucitate. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. ad Lipsium, qui tacite edidit *paucitati*, et sic MSS. Reg. Corb. ed. Spir. Utraque constructio latina est. cf. Ramshorn. Gr. p. 267. not. 2. et interprett. ad Sueton. Iul. c. 3., ubi codicum auctoritate reposuere ablativum pro dativo. Tac. An. aliquo loco: *defensioni diffidere.*

Bedriaci. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Ryckio) Vatic. (test. Lips.) Sambuc. Bud. edd. Spir. Lips. sqq. — *Bebriaci* MSS. Reg. Corb. Harl. Bodl. Ies. Agr. Guelf. edd. Put. sqq. ad Lipsium. — Sueton. Oth. c. 9. *Betriacum.* Eadem varietas etiam apud alios scriptores invenitur.

Veronam Cremonamque. MS. Guelf. *Cremonam Veronamque.*

duabus .. cladibus. cf. infr. 3, 15 sq.

infaustusque. MS. Flor. teste Vict. *infastusque.*

restiterant. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Victorii) sqq. — *resisterent* MSS. Harl. Ies. Corb. ed. Spir.

repressus. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *reprensi* MS. Corb.; *reprehensi* ed. Spir.

subsidiis. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *praesidiis* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Pichenam.

omnia ducum facta. E verissima Freinshemii coniectura, quam in contextum recepere Bip. Oberl. sqq. — *omniaque uocum factu* MS. Reg. ed. Spir. — *omnia quaecunque facta* vulgo MSS. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Bipontinos. — In MS. Guelf. recentior manus *quaecunque* emendavit in *ducum.* — *omnia quae ducum facta* MS. Agr. (*dusum* a sec. m.). Iac. Gronovius in MS. Flor. vidit *omnia quocū f.* — Lallemandus volebat: *omnia quorumcunque facta.* Iac. Gronovius: *quorumquorum.* Sunt qui scripturam *omnia quaecunque* compararent cum Graeca formula πάνθ' ὅσα.

aestimantibus. Sic edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. —

tatim, ut quisque animo ignavus, procax ore, Annium Gallum et Suetonium Paullinum et Marium Celsum (nam eos quoque Otho praefecerat) variis criminibus incesserant. acerrima seditionum ac discordiae incitamenta interfectores Galbae: scelere et metu vecordes miscere cuncta, modo palam turbidis vocibus modo occultis ad Othonem litteris: qui humillimo cuique credulus, bonos metuens trepidabat, rebus prosperis incertus et inter adversa melior. igitur Titianum fratrem accitum bello praeposuit. Interea Paullini et Celsi ductu res egregie gestae.

XXIV. Angebant Caecinam nequidquam omnia coepta et senescens exercitus sui fama. pulsus Placentia, caesis nuper auxiliis etiam per concursum exploratorum (crebra magis quam digna memoratu proelia) inferior, propinquante Fabio Valente ne omne belli decus illuc concederet, reciperare gloriam avidius quam consultius properabat. ad duodecimum a Cremona (locus Castorum vocatur) ferocissimos auxiliarium imminen-

existimantibus ed. Spir. cf. not. ad An. 13, 17. — MS. Guelf. *extimantibus*.

nam eos quoque Otho etc. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *nam eos Otho quoque* edd. Rhen. Ald. sqq.

incesserant. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Ryckium, qui e MS. Agr. dedit *incessebant*, quod hodie vulgatur. Sed vetus scriptura haud inepta est: spectat ad *praeposuit*. Nam Otho fratrem praeposuit, quia alios duces incesserant variis criminibus. Ed. Spir. dat *incesserent*. Eodem fere modo plusquamperfectum ponitur An. 2, 22. *miserationem addiderat*.

humillimo. Ed. Spir. *minimo*. Eadem mox *inita* pro *interea*; *Consulini* pro *Celsi*. MS. Flor. (teste Ryckio) *consilii ductu*. Victorius vulgatum intactum reliquit. MS. Agr. *interea Paullini consiliis et ductu*. Vulgatum tuentur MSS. Bud. Guelf. edd. Put. Beroald. sqq. Veram huius loci distinctionem debemus Rhenano. Priores consensu cod. Guelf. ediderant: *res egregiae gestae angebant Caecinam nequidquam omnia coepta. Et* etc. Pro *egregiae* in edd. Put. sqq. restitui *egregie* e MSS. Harl. Bodl. ed. Spir.

Cap. 24. *nequidquam*. Ed. Spir. *nequaquam*.

reciperare. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. — *recuperare* edd. vett. cum MS. Guelf.

locus Castorum. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. vett. (cum sil. Vict.) et Lips. prima *locus castrorum*. Sed Alciatus iam viderat ex Oros. 7, 8. scribendum esse *locus Castorum*. cf. Sueton. Oth. c. 9. In contextum Alciati emendationem recepere Lips. Pich. Grut. sqq.

auxiliarium. MS. Guelf. *auxiliarios*.

tibus viae lucis occultos componit. equites procedere longius iussi et inritato proelio sponte refugi festinationem sequentium elicere, donec insidiae coorirentur. Proditum id Othonianis ducibus, et curam peditum Paullinus, equitum Celsus sumpsere. tertiaedecumae legionis vexillum, quattuor auxiliorum cohortes et quingenti equites in sinistro locantur: aggerem viae tres praetoriae cohortes altis ordinibus obtinuere: dextra fronte prima legio incessit cum duabus auxiliaribus cohortibus et quingentis equitibus. super hos e praetorio auxiliisque mille equites cumulus prosperis aut subsidium laborantibus ducebantur.

imminentibus. MS. Bud. *eminentibus*, quod placebat Rhenano. Sed nemo ita edidit.

componit. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Pich. Bernegg. sqq. — *imponit* MS. Reg. et edd. ante Pichenam.

iussi. Sic edd. Rhen. (ex ingenio) Ald. sqq. — *iussit* MSS. et edd. ante Rhenanum (cum silent. Vict.). Sed *refugi*, quod sequitur, non tolerat *iussit*.

refugi. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum aliis) Bud. Guelf. Reg. Harl. Bodl. Ies. edd. Rhenan. Ald. sqq. — *refugere* MS. Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. — Mox ed. Spir. *festinatione* pro *festinationem*.

coorirentur. Sic MS. Flor. (test. Victorio) edd. Rhen. Ald. sqq. — *coërcerentur* MSS. Reg. Harl. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *coercerent* MS. Bodl.

aggerem viae. Int. Postumiae. Vid. infr. 3, 21.

altis ordinibus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Reg. Corb. Bud. Guelf. Agr. edd. Spir. Ryck. Ernest. Brot. sqq. — *arctis ordinibus* MS. Bodl. edd. Put. sqq. ad Ryckium. — *altibus* MS. Ies. De re cf. Veget. 3, 15.

dextra fronte. H. e. dextro cornu. cf. Curt. 4, 13. Claudian. in Ruf. 2, 174. Lipsius frustra emendabat: *obtinuere dextrâ. A fronte* etc. Sic tamen Bipontini. — *dextera* ed. Spir.

cum duabus auxiliaribus cohortibus. E correctione Merceri, quam Lipsius in marginem, Pich. Bernegg. sqq. in contextum receperunt. MS. Guelf. *duobus*. — Pro *auxiliaribus* est *vexillaribus* in MSS. Flor. (test. Pich. et Iac. Gronov.) Reg. Harl. Bodl. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Pichenam; *vexiliaribus* in MS. Bud.; *vexillariis* in MSS. Ies. Agr. Corb. Sed vexillarios in cohortes divisos nusquam reperimus, et more militiae Romanae auxilia latus claudunt. cf. ad h. l. Gutmannus, qui latius de hoc positu copiarum disputat. Ryckius nulla veteris scripturae emendatione opus fuisse censet.

e praetorio. Ed. Spir. *et pretorio*. — Mox ed. Beroald. vitiose *prospesis*. Victorius corr. *prosperis*.

aut subsidium. MS. Guelf. *aut in subsidium*, ex emendandi studio.

XXV. Antequam miscerentur acies, terga vertentibus Vitellianis Celsus doli prudens repressit suos. Vitelliani temere exsurgentes cedente sensim Celso longius secuti ultro in insidias praecipitantur. nam a lateribus cohortes, legionum adversa frons: et subito discursu terga cinxerant equites. Signum pugnae non statim a Suetonio Paullino pediti datum. cunctator natura, et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent, compleri fossas, aperiri campum, pandi aciem iubebat, satis cito incipi victoriam ratus, ubi provisum foret, ne vincerentur. Ea cunctatione spatium Vitellianis datum in vineas nexu traducum impeditas refugiendi. et modica silva adhaerebat: unde rursus ausi promptissimos praetorianorum equitum interfecere. vulneratur rex Epiphanes impigre pro Othone pugnam ciens.

Cap. 25. *cedente sensim Celso.* Sic MS. Guelf. edd. Alc. Rhenan. sqq. — *caedente* edd. Put. M. et V. Beroald. — Ed. Spir. *cedunt: et sensim Celsum* etc. — Eadem mox ante *insidias* omittit *in.*

legionum adversa frons. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronovio) Reg. Corb. Harl. Bodl. Ies. Guelf. (a pr. manu) edd. Put. M. et V. — *legionum adversa fronte* MSS. Bud. Guelf. (a sec. m.) edd. Spir. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. Haud inepte. Sed sine causa sic spernitur veterum librorum fides. Ad verba: *nam ... frons* intellige verbum substantivum. Ernestius perperam huc trahit *cinxerant.* De recipienda MSti Flor. scriptura mecum consentiunt Iac. Gronovius et Broterius. Ceterum edd. Rhenan. Ald. Lips. Pichen. Bernegg. Ryck. interpungunt: *legionum, adversa fronte* etc. Edd. Gronov. (1672.) Iac. Gronov. sqq. *legionum adversa fronte* etc. Lipsius malebat: *a lateribus cohortes, legio adversa fronte.* Freinshemius: *legionarii adversa fronte.* Frustra.

pediti datum. Ed. Spir. *datum pediti.*

fossas. Intell. quae erant utrimque ad viam. cf. infr. c. 41. Pichena cogitabat de fossis, quas rustici fecerint recipiendis aquis aut ob alium usum. — Mox MS. Agr. *campos* pro *campum;* MS. Reg. *iubet* pro *iubebat.*

incipi victoriam ratus. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. et sic codd. MSS. Bodl. Ies. aliique. Ernestius auctoritate MS. Reg. et ed. Spir. et suadente Freinshemio deleverat *ratus.* Sed cum nil inepti sit in hoc vocabulo, revocavi cum Bekkero. — Mox MS. Ies. *vinceretur* pro *vincerentur.* — MS. Guelf. *militum* pro *equitum.* — Ed. Spir. *interficere* pro *interfecere.*

rex Epiphanes. Non proprie rex, sed Antiochi regis Commageni filius *(königlicher Prinz).* cf. Ioseph. B. I. 7, 7. Sic et infr. 5, 9. *rex Pacorus* dicitur pro regis filio.

XXVI. Tum Othonianus pedes erupit. protrita hostium acie versi in fugam etiam qui subveniebant. nam Caecina non simul cohortes, sed singulas acciverat: quae res in proelio trepidationem auxit, cum dispersos nec usquam validos pavor fugientium abriperet. Orta et in castris seditio, quod non universi ducerentur. vinctus praefectus castrorum Iulius Gratus, tanquam fratri apud Othonem militanti proditionem ageret, cum fratrem eius Iulium Frontonem tribunum Othoniani sub eodem crimine vinxissent. Ceterum ea ubique formido fuit apud fugientes, occursantes, in acie, pro vallo, ut deleri cum universo exercitu Caecinam potuisse, ni Suetonius Paullinus receptui cecinisset, utrisque in partibus percrebruerit. Timuisse se Paullinus ferebat tantum insuper laboris atque itineris, ne Vitellianus miles recens e castris fessos adgrederetur et perculsis nullum

Cap. 26. *erupit.* cf. not. ad An. 2, 17. sub vv. *illa rupturus.* MS. Reg. *erumpit.* Mox Puteolanus punctum posuit ante *versi.* Meliorem interpungendi rationem instituerunt sequentes editores.

fratrem eius. Voc. *eius* abest a MS. Bodl. Pro *Frontonem* ed. Beroald. vitiose dat *Frontem.* Correxit Victorius e MS. Flor. MS. Guelf. pro *Frontonem* habet *Othonem.* Idem liber mox *simul eodem* pro *sub eodem*, vitium e comp. script. ortum. Deinde *vicissent* a sec. m. pro *vinxissent.*

ubique. MS. Bodl. (test. Gronov.) *undique.*

occursantes. Sic MSS. Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Ber. (cum sil. Vict.) Rhen. sqq. — *occursantesque* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Alc.

percrebruerit. Sic edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhenan. Ald. sqq. cum Lipsii prima. — *percrebuerit* edd. Put. M. et V. et dein Lips. posteriores sqq. — *percrebuit* ed. Spir. — *percrebruit* MS. Guelf. a sec. m.; a pr. m. fuit *percrebuit.* Vid. not. ad An. 6, 20. 12, 6.

tantum insuper laboris atque itineris. H. e. timuisse, ne, si tantum laboris atque itineris prioribus militum laboribus adderet, Vitellianus miles recens e castris fessos adgrederetur etc. Ernestius frustra emendabat *super* pro *insuper.* Oberlinus auctoritate MS. Bud. dederat *ac* pro *atque.* Hoc bene restituit Bekkerus. Nam alibi *ac* ante vocalem haud raro contra MSS. mutant in *atque:* hic Oberlinus contrario officio erat functus. Naudetus, Weisius et alii hodieque amant *ac itineris.*

recens e castris. Sic MS. Corb. edd. Spir. Lips. sqq. — *recens castris* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lips. primam. — Mox *adgrederetur* MS. Flor. (test. Vict.); *aggrederetur* MS. Guelf. edd. vett.

perculsis. MSS. Flor. (t. Vict.) Reg. Corb. ed. Spir. *periculosis*, varietas et alibi, nisi fallor, obvia. Rhenanus duce MS. Bud. deleverat *et* ante *perculsis:* restituit Pichena e MS. Flor. et edd. ante Rhenanum, quibuscum consentit MS. Guelf.

retro subsidium foret. apud paucos ea ducis ratio probata in vulgus adverso rumore fuit.

XXVII. Haud perinde id damnum Vitellianos in metum compulit quam ad modestiam composuit: nec solum apud Caecinam, qui culpam in militem conferebat seditioni magis quam proelio paratum, Fabii quoque Valentis copiae (iam enim Ticinum venerat) posito hostium contemptu et reciperandi decoris cupidine reverentius et aequalius duci parebant. Gravis alioquin seditio exarserat, quam altiore initio (neque enim rerum a Caecina gestarum ordinem interrumpi oportuerat) repetam. Cohortes Batavorum, quas bello Neronis a quartadecuma legione digressas, cum Britanniam peterent, audito Vitellii motu in civitate Lingonum Fabio Valenti adiunctas rettulimus, superbe agebant, ut cuiusque legionis tentoria accessissent, coercitos a se quartadecumanos, ablatam Neroni Italiam atque omnem belli fortunam in ipsorum manu sitam iactantes. Contumeliosum id militibus, acerbum duci: corrupta iurgiis aut rixis disciplina: ad postremum Valens e petulantia etiam perfidiam suspectabat.

in vulgus. MSS. Flor. (t. Vict.) Guelf. *in volgus.*

adverso rumore. Ed. Spir. *adversorum ore.*

Cap. 27. *perinde.* Ed. Spir. *proinde.* cf. not. ad An. 3, 17.

id damnum. Sic libri vett. omnes praeter MS. Bud., cuius auctoritate Rhenanus deleverat *id.* Restituit Pichena.

Fabii quoque. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Bud. Reg. Corb. edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. — *sed Fabii quoque* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. ad Iac. Gronovium. Vid. not. ad An. 4, 35. aliisque locis. — Mox ed. Spir. *iam et in ticinum venerant quae posito* etc. Eadem *cupidine decoris.* MS. Bud. *dedecoris.*

aequalius. MS. Agr. *aequabilius.* cf. not. ad An. 15, 21.

quam altiore. Ed. Spir. *quaq altiore.* Eadem *interrumpi ordinem.*

oportuerat. De tempore verbi vid. Ramshorn. Gr. p. 402, 7.

rettulimus. Supr. 1, 59. et 64.

ut cuiusque. MSS. Flor. (test. Ryckio) Agr. Corb. ed. Spir. *ut cuius* h. e. *ut alicuius.* Victorius intactum reliquit *ut cuiusque,* quod exstat in MS. Guelf. edd. Put. sqq. — Pro *legionis* ed. Spir. dat *regionis*; quod vitium frequens est in vett. libris. cf. not. ad An. 13, 7. — Mox *e petulantia* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.); Alciatus omiserat *e*: restituit Rhenanus.

suspectabat. MS. Guelf. *suspectabant*, quare recens manus verba *ad postremum Valens* uncis inclusit.

XXVIII. Igitur nuntio adlato pulsam Treverorum alam Tungrosque a classe Othonis et Narbonensem Galliam circumiri, simul cura socios tuendi et militari astu cohortes turbidas ac si una forent praevalidas dispergendi partem Batavorum ire in subsidium iubet. quod ubi auditum vulgatumque, maerere socii, fremere legiones: orbari se fortissimorum virorum auxilio: veteres illos et tot bellorum victores, postquam in conspectu sit hostis, velut ex acie abduci. si provincia urbe et salute imperii potior sit, omnes illuc sequerentur: sin victoriae sanitas, sustentaculum, columen in Italia verteretur, non abrumpendos ut corpori validissimos artus.

XXIX. Haec 'ferociter iactando, postquam immissis lictoribus Valens coercere seditionem coeptabat, ipsum invadunt, saxa iaciunt, fugientem sequuntur: spolia Galliarum et Viennensium aurum et pretia laborum suorum occultare clamitantes direptis sarcinis tabernacula ducis ipsamque humum pilis et lanceis rimabantur. nam Valens servili veste apud decurionem equitum tegebatur. Tum Alphenus Varus praefectus castrorum deflagrante paulatim seditione addit consi-

Cap. 28. *Treverorum.* Libri, ut supra. Sic etiam in *Tungrosque.*

cura socios. Ed. Spir. *circa socios.* Eadem *hastu* pro *astu;* et mox *vulgatum* sine *que.*

dispergendi. MS. Guelf. *dispargendi.*

maerere. Edd. Put. M. et V. *merere*, uti fere solent; *moerere* edd. Spir. Alc. Rhenan. cum MS. Guelf.

sin victoriae sanitas. Sic MSS. Flor. (test. Ernest. et Brot., non invenio qua auctoritate) Bud. Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. sqq. — *sin victoria: sanitas* MSS. Harl. Bodl. Jes. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Sed vix dubitabis verum delectum Rhenano.

sustentaculum. Nove dictum et vituperatum Hillo: defendit Buble, nam sic *receptaculum* a *receptare.* MS. Guelf. *substanculum.* Recens manus inter *st* et *a* inseruit *et.*

non abrumpendos. Ed. Spir. *nõ ad rumpendos.*

Cap. 29. *sequuntur.* Edd. Put. M. et V. Alc. *secuntur.*

direptis. Edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *dirreptis.* Victorius e MS. Flor. alterum *r* delevit, quod etiam abest a MS. Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq.

Alphenus Varus. Sic edd. Rhenan. sqq. cf. infr. c. 43. 3, 36. 55. etc. — *Alphenius Varus* MS. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. Alc. — *Alfenius Varus* MS. Flor. teste Victorio.

lium, vetitis obire vigilias centurionibus, omisso tubae sono, quo miles ad belli munia cietur. igitur torpere cuncti, circumspectare inter se attoniti et id ipsum quod nemo regeret paventes: silentio, patientia, postremo precibus ac lacrimis veniam quaerebant. ut vero deformis et flens et praeter spem incolumis Valens processit, gaudium, miseratio, favor: versi in laetitiam, (ut est vulgus utroque immodicum) laudantes gratantesque circumdatum aquilis signisque in tribunal ferunt. Ille utili moderatione non supplicium cuiusquam poposcit: ac ne dissimulans suspectior foret, paucos incusavit, gnarus civilibus bellis plus militibus quam ducibus licere.

XXX. Munientibus castra apud Ticinum de adversa Caecinae pugna adlatum, et prope renovata seditio, tanquam fraude et cunctationibus Valentis proelio defuissent. nolle requiem, non exspectare ducem, anteire signa, urgere signiferos: rapido agmine Caecinae iunguntur. Improspera Valentis fama apud exercitum Caecinae erat: expositos se tanto pauciores integris hostium viribus querebantur, simul in suam excusationem et adventantium robur per adulationem attollentes, ne ut victi et ignavi despectarentur. Et quanquam plus virium, prope duplicatus legionum auxiliorumque nu-

obire vigilias. cf. not. ad Hist. 1, 48.

ad belli munia. Ed. Spir. *ad bella.*

cietur. MS. Guelf. *cieretur.*

patientia. Lipsius malebat: *poenitentia.*

lacrimis. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. — *lachrymis* edd. vett. cf. not. ad An. 1, 5. — *ac* ante *lacrimis* ferunt MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *et*, MS. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc.

ut vero deformis. Ed. Spir. non addit *vero.*

dissimulans. cf. not. ad Hist. 1, 26.

Cap. 30. *renovata seditio.* Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *revocata seditio* MSS. Harl. Ies.

non exspectare. MS. Guelf. *nec expectare.*

urgere signiferos. Ed. Spir. et secunda manus in MS. Guelf. addit *et* ante *urgere.* MS. Flor. (test. Vict.) scribit *urguere.*

iunguntur. Sic MSS. edd. Spir. Put. M. et V. Rhen. sqq. — *iungitur* edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat.

improspera. Ed. Spir. *In prospera.*

prope duplicatus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Corb. edd. Spir.

merus erat Valenti, studia tamen militum in Caecinam inclinabant super benignitatem animi, qua promptior habebatur, etiam vigore aetatis, proceritate corporis et quodam inani favore. hinc aemulatio ducibus. Caecina ut foedum et maculosum, ille ut vanum ac tumidum inridebant. sed condito odio eandem utilitatem fovere, crebris epistolis, sine respectu veniae probra Othoni obiectantes, cum duces partium Othonis quamvis uberrima conviciorum in Vitellium materia abstinerent.

XXXI. Sane ante utriusque exitum, quo egregiam Otho famam, Vitellius flagitiosissimam meruere, minus Vitellii ignavae voluptates quam Othonis flagrantissimae libidines timebantur. addiderat huic terrorem atque odium caedes Galbae: contra illi initium belli nemo imputabat. Vitellius ventre et gula sibi ipse hostis, Otho luxu, saevitia, audacia rei publicae exi-

Rhen. Ald. sqq. — *ac prope duplicatus* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — Mox in MS. Guelf. *erat* non legitur ante *Valenti*. Dein idem liber fert *quondam* pro *quodam*.

inani favore. Sic libri vett. et recentt. cf. Hist. 1, 32. *studiis inanibus.* I. Fr. Gronovius frustra coniiciebat *inanium favore.* — Mox ed. Spir. *fedum ac maculosum.* Foedum et maculosum intellige libidine acrapacitate. cf. 1, 66. Eadem vocabula coniunguntur 1, 7. et An. 13, 33.

vanum ac tumidum. Ed. Spir. *tumidum ac vanum.* Mox ed. Put. V. *favore* pro *fovere.*

Cap. 31. *gula sibi ipse hostis.* MS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) *gula sibi inhostus.* Ed. Spir. *gula sibi mhostus* (voluit dare *inhostus*). MS. Flor. scripturam tuentur Salmas. ad Solin. p. 24. cf. not. ad An. 15, 25. Pichena et Victorius etiam hic volunt *inhonestus.* Sed quia oppositum *exitiosior* aliud vocabulum videbatur poscere, Heinsius malebat *sibi infestus.* MS. Bud. habet *sibi in hostiis*, unde Rhenanus coniiciebat *sibimet hostis:* quod Iac. Gronovius in contextum recepit. Ernestius *sibimet* vel *sibi modo noxius.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. sqq. *sibi ipsi hostis.* Oberlinus dedit *ipse.* MS. Agr. *sibi hostibus.* Uti Ernestio ita et mihi persuasum est non esse de nihilo, quod legitur in MS. Flor. Ceterorum librorum scriptura haud dubie emendandi studio debetur. Aptissime Victorius emendat *inhonestus*, quod cur ob vocabulum *exitiosior* stare nequeat, non satis video. Nam qui gula sibi inhonestus, idem exitio sibi esse videtur, ut aliis vitiis alius rei publicae. Nec denique necessario utrumque vocabulum ad exactam significatus similitudinem revocatur. Potest alter sibi esse inhonestus, alter exitiosus rei publicae.

tiosior ducebatur. Coniunctis Caecinae ac Valentis copiis nulla ultra penes Vitellianos mora, quin totis viribus certarent. Otho consultavit, trahi bellum an fortunam experiri placeret. Tum Suetonius Paullinus dignum fama sua ratus, qua nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur, de toto genere belli censere festinationem hostibus, moram ipsis utilem disseruit.

XXXII. Exercitum Vitelii universum advenisse: nec multum virium a tergo, quoniam Galliae tumeant, et deserere Rheni ripam inrupturis tam infestis nationibus non conducat: Britannicum militem hoste et mari distineri: Hispanias armis non ita redundare: provinciam Narbonensem incursu classis et adverso proelio contremuisse: clausam Alpibus et nullo maris subsidio Transpadanam Italiam atque ipso transitu exercitus vastam: non frumentum usquam exercitui, nec exercitum sine copiis retineri posse. Iam Germanos, quod genus militum apud hostes atrocissimum sit, tracto in aestatem bello fluxis corporibus mutationem soli coelique haud toleraturos. multa bella impetu valida per taedia et moras evanuisse. Contra ipsis omnia opulenta et fida, Pannoniam, Moesiam, Dalmatiam, Orientem

ducebatur. MS. Corb. *videhatur.* Sed cf. An. 3, 47. *nunc quia non metu ducatur.*

tum Suetonius. Ed. Spir. *Tunc Suetonius.* Eadem non habet verbum *censere.*

qua nemo etc. MS. Guelf. *quia illa tempestate nemo militaris rei* etc.

CAP. 32. *et deserere.* Copulam *et* Lipsius reposuit e MS. Vat. et ed. Spir. Abest ab MSS. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium.

inrupturis tam inf. n. Ad structuram loci cf. An. 2, 80. *consisterent in acie, non pugnaturis militibus, ubi* etc.

conducat. MS. Guelf. a pr. m. *ducat;* sec. manus addidit *con.* — Mox idem liber *hostē* pro *hoste.*

distineri. Ed. Spir. et MS. Agr. *detineri.* cf. not. ad An. 11, 12. 14, 25. Hist. 4, 55.

Alpibus. MS. Agr. *maritimis Alpibus*, e glossemate.

vastam. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Agr. Corb. edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. — *vastatam* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. ad Iac. Gronovium.

opulenta et fida: Pannoniam etc. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *opulenta: et fidam Pannoniam* etc. MS. Corb. et ed. Spir.

cum integris exercitibus: Italiam et caput rerum urbem, senatumque et populum nunquam obscura nomina, etsi aliquando obumbrentur: publicas privatasque opes et immensam pecuniam inter civiles discordias ferro validiorem: corpora militum aut Italiae sueta aut aestibus: obiacere flumen Padum, tutas viris murisque urbes, e quibus nullam hosti cessuram Placentiae defensione exploratum. Proinde duceret bellum. paucis diebus quartamdecumam legionem magna ipsam fama cum Moesiacis copiis adfore: tum rursus deliberaturum et, si proelium placuisset, auctis viribus certaturos.

XXXIII. Accedebat sententiae Paullini Marius Celsus: idem placere Annio Gallo, paucos ante dies lapsu equi adflicto, missi, qui consilium eius sciscitarentur, rettulerant. Otho pronus ad decertandum: frater eius Titianus et praefectus praetorii Proculus impe-

senatumque et populum. MS. Bud. non habet *que.* MS. Agr. addit *Rom.* — Mox MS. Bud. *obscurari* pro *obscura nomina.* MS. Guelf. *obscura*, neglecto vocabulo altero. Idem liber *nonquam* pro *nunquam.*

etsi aliquando. Sic MSS. Bud. Guelf. Harl. (a pr. manu) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *etiamsi aliquando* MS. Harl. a sec. manu. — *etiam aliquando* MSS. Flor. (test. Ryckio) Reg. Corb. ed. Spir. — *etiam ut aliquando* MS. Agr., ex emendandi studio.

et immensam. Ed. Spir. *in īmensam.* — Eadem mox *validiore* pro *validiorem.*

cessuram. MS. Guelf. *cesuram.*

proinde duceret. cf. not. ad An. 3, 17. Ed. Spir. *deinde.* MS. Harl. *ducerent.* — Mox ed. Spir. post *bellum* non interpungit. Edd. Put. M. et V. Ber. sqq. ad Lipsium: *bellum paucis diebus. Quartamdecimam* etc. Melius edd. Lips. sqq. *bellum. paucis diebus* etc.

magna ipsam fama. Sic MS. Guelf. edd. Lips. sqq. — *magnam ipsam famā* MS. Corb. ed. Spir. — *magnam ipsam fama* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium, qui fortasse sine causa veterem scripturam mutavit.

cum Moesiacis. Sic edd. Lips. sqq. Priores edd. et MS. Guelf. non habent *cum.* Et ed. Spir. dat *moseacis.* Edd. Put. M. et V. *Mesiacis* (iidem libri semper scribunt *Mesia* pro *Moesia*). Edd. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. *Moesiacis.* MS. Guelf. fluctuat inter *Moesia* et *Mesia.*

Cap. 33. *lapsu.* MS. Flor. test. Vict. *labsu.* — Idem liber *adflicto* eodem teste; *afflicto* MS. Guelf. edd. vett. — *adfore* MS. Flor. et ed. Spir.; *affore* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

Otho pronus. MS. Guelf. *Pronus Otho.*

ad decertandum. MSS. Bud. Guelf. *ad certandum.*

ritia properantes fortunam et deos et numen Othonis adesse consiliis, adfore conatibus testabantur. neu quis obviam ire sententiae auderet, in adulationem concesserant. Postquam pugnari placitum, interesse pugnae imperatorem an seponi melius foret, dubitavere. Paullino et Celso iam non adversantibus, ne principem obiectare periculis viderentur, iidem illi deterioris consilii auctores perpulere, ut Brixellum concederet ac dubiis proeliorum exemptus summae rerum et imperii se ipsum reservaret. Is primus dies Othonianas partes adflixit. namque et cum ipso praetoriarum cohortium et speculatorum equitumque valida manus discessit et remanentium fractus animus, quando suspecti duces et ut Otho, cui uni apud militem fides, dum et ipse non nisi militibus credit, imperia ducum in incerto reliquerat.

numen Othonis. Adulatione dictum. Freinshemius perperam emendabat *nomen Othonis.* cf. An. 1, 78.

adesse. Hoc verbum in MS. Guelf. non legitur.

neu quis. cf. Ramshorn. Gr. § 180. 1. p. 529. — Pro *adulationem* MS. Guelf. fert *audulationem.* — Mox edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc. dividunt: *dubitavere: Paulino et Celso iam non adversantibus ne principem obiectare periculis viderentur. Idem illi* etc. Melius membra distinxit Rhenanus.

summae rerum. Sic edd. Put. sqq. — *sume rerum* MS. Guelf. — *summam rerum* MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Reg. Agr. Corb. ed. Spir. De formula cf. not. ad An. 12, 5.

se ipsum. Othonem *ipsum* opponunt sibi legatis, qui nunc seposito Othone res sunt gesturi. Igitur *ipsum* non friget, ut videbatur Ernestio: immo efficacissimum est (nos dicimus *seine eigene Person*).

adflixit. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *afflixit* edd. vett.

namque et cum ipso. MS. Guelf. *nam et cum ipso.*

praetoriarum. MS. Bud. *praetorianorum.*

speculatorum. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Lips. sqq. — *spiculatorum* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Lipsium. — Mox ed. Spir. *suspecta* pro *suspecti.*

et ut Otho, cui uni etc. Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Bud. Agr. ed. Spir. — *et Otho cui uni* codd. MSS. Reg. Guelf. aliique, edd. Puteol. sqq. Rhenanus per transpositionem e scriptura cod. Bud. faciebat: *et Otho, ut cui uni* etc. Iac. Gronovius: *et sic Otho, cui* etc. Oberlinus cum Bipont. edidit: *et ut Othoni uni* etc. Bekkerus restituit Puteolani scripturam. Sed non video, quid sit impedimenti in scriptura Florentina, cuius verba cohaerent ita: *duces suspecti erant et ut Otho imperia ducum in incerto reliquerat* h. e. duces suspecti erant et incertis imperiis, ut Otho ... reliquerat. Tacitus e suo

XXXIV. Nihil eorum Vitellianos fallebat, crebris ut in civili bello transfugiis: et exploratores cura diversa sciscitandi sua non occultabant. Quieti intentique Caecina ac Valens, quando hostis imprudentia rueret, quod loco sapientiae est, alienam stultitiam opperiebantur inchoato ponte transitum Padi simulantes adversus oppositam gladiatorum manum ac ne ipsorum miles segne otium tereret. Naves pari inter se spatio validis utrimque trabibus connexae adversum in flumen dirigebantur iactis super ancoris, quae firmitatem pontis continerent. sed ancorarum funes non extenti fluitabant, ut augescente flumine inoffensus ordo navium attolleretur. claudebat pontem imposita turris et in extremam navem educta, unde tormentis ac machinis hostes propulsarentur. Othoniani in ripa turrim struxerant saxaque et faces iaculabantur.

XXXV. Et erat insula amne medio, in quam gladiatores navibus molientes, Germani nando praelabebantur. ac forte plures transgressos completis liburnicis per promptissimos gladiatorum Macer adgreditur. sed neque ea constantia gladiatoribus ad proelia, quae

more brevitati studet, omissis quae intelligi possunt. Nam si duces erant, ut Otho imperia ducum in incerto reliquerat, facile intelligis illos fuisse incertis imperiis h. e. neminem fuisse certum, penes quem summum imperium esset, quis superior aut inferior. Ceterum ed. Spir. pro *imperia* suppeditat *imperitia*. Edd. Put. et Ber. punctum ponunt ante *imperia*. MS. Guelf. verbum *credit* in contextu omissum habet in margine a secunda manu.

Cap. 34. *ut in civili bello*. MS. Guelf. non habet *ut*. Ed. Spir. *ut civili bello*. Mox eadem non agnoscit vocabulum *sua*, pergitque deinde *non occultabant: qui et intenti: quę Cecina et Valens* etc.

ac ne ipsorum miles etc. MS. Guelf. *Ac miles ne ipsorum segne ocium terreret naves* etc.

validis utrimque. Sic edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *validis inter se* edd. Put. M. et V. cum MS. Guelf.

iactis super ancoris. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum lac. Gronov.) Reg. Bud. Agr. edd. Spir. Ryck. lac. Gronov. sqq. — *iactis insuper ancoris* (vel *anchoris*) MSS. Guelf. Harl. Bodl. les. edd. Put. sqq. ad Ryckium. — Rhenanus non satis feliciter coniiciebat *iactis superne ancoris*.

educta. cf. infr. 4, 30. *eduxerant Batavi turrim*. An. 2, 61. *eductae pyramides*. MS. Guelf. *adducta*.

Cap. 35. *adgreditur*. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *aggreditur* edd. vett. cum MS. Guelf.

militibus, nec perinde nutantes e navibus quam stabili gradu e ripa vulnera dirigebant. et cum variis trepidantium inclinationibus mixti remiges propugnatoresque turbarentur, desilire in vada ultro Germani, retentare puppes, scandere foros aut cominus mergere. quae cuncta in oculis utriusque exercitus quanto laetiora Vitellianis, tanto acrius Othoniani causam auctoremque cladis detestabantur.

XXXVI. Et proelium quidem abreptis quae supererant navibus fuga diremptum: Macer ad exitium poscebatur. iamque vulneratum eminus lancea strictis gladiis invaserant, cum intercursu tribunorum centurionumque protegitur. nec multo post Vestricius Spurinna iussu Othonis, relicto Placentiae modico praesidio, cum

nec perinde. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *nec proinde* MS. Bud. ed. Spir. cf. not. ad An. 3, 17.

et cum variis etc. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *et tum variis* etc. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir.

mixti remiges. Sic MSS. Flor. (test. Ryck.) Reg. Bud. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *immixti remiges* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Ryckium. cf. 3, 69. *mixto milite.*

puppes. Sic edd. Spir. Alciat. Rhen. sqq. — *pupes* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.).

aut cominus. MS. Guelf. *at cominus.*

Cap. 36. *abreptis.* Ex emendatione I. Fr. Gronovii, quam recipio cum Bekkero. *Abripere* est ἀποσπᾷν, raptim abducere. cf. not. ad An. 14, 8. sub v. *abripit.* MS. Flor. (test. Iac. Gronov.) ed. Spir. *arruptis.* Victorius intactum reliquit *abruptis*, quod exstat in MSS. Bud. Reg. edd. Put. M. et V. Beroald. sqq. et in MS. Guelf. a sec. manu in margine: in contextu verbum neglectum erat. cf. Virgil. Aen. 9, 118. *et sua quaeque continuo puppes abrumpunt vincula ripis.* Sed ibi nil fuit abrumpendum, nisi si id verbum respicit ad Germanos retentantes. Iac. Gronovius et Lallemandus volebant *arreptis*, Bip. *absumptis.* Utrumque a loco alienum est.

supererant. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Bud. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *superfuerant* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Puteol. sqq. ad Ryckium.

vulneratum. MS. Flor. (teste Vict.) *volneratum.* Sic *volneribus* in inscriptt. apud *Gori, Inscriptt. Ant.* T. II. p. 10. tab. 2.

strictis gladiis. MS. Guelf. *structis lanceis gladiis* (repetito vocabulo *lanc.*).

intercursu. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Reg. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *incursu* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. In MSS. Harl. et Bodl. sec. manus emendavit *intercursu.*

nec multo post. MS. Guelf. *nec multo plus.*

cohortibus subvenit. Dein Flavium Sabinum consulem designatum Otho rectorem copiis misit, quibus Macer praefuerat, laeto milite ad mutationem ducum et ducibus ob crebras seditiones tam infestam militiam aspernantibus.

XXXVII. Invenio apud quosdam auctores pavore belli seu fastidio utriusque principis, quorum flagitia ac dedecus apertiore in dies fama noscebantur, dubitasse exercitus, num posito certamine vel ipsi in medium consultarent vel senatui permitterent legere imperatorem. atque eo duces Othonianos spatium ac moras suasisse, praecipua spe Paullini, quod vetutissimus consularium et militia clarus gloriam nomenque Britannicis expeditionibus meruisset. Ego ut concesserim apud paucos tacito voto quietem pro discordia, bonum et innocentem principem pro pessimis ac flagitiosissimis expetitum, ita neque Paullinum, qua prudentia fuit, sperasse corruptissimo saeculo tantam vulgi moderatio-

Flavium. Ed. Spir. *Flavum*. cf. not. ad An. 2, 9.

laeto milite ad mutationem ducum. Sic MS. Reg. edd. Spir. Put. sqq. — *laeto milite et ad* etc. MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Bud. Agr. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Ryck. et Iac. Gronovius. In MS. Harl. sec. m. delevit *et*, quod etiam Ernestius rursum hinc expulit. Nam Tacitus copulam posuisset ante *laeto*, si voluisset, quod vult Iac. Gronovius.

ob crebras s. Ed. Spir. *ad crebras s.*

Cap. 37. *pavore belli*. Ed. Spir. *belli pavorē*.

num posito. MS. Guelf. *no posito*, ut saepe.

spatium ac moras. Synonyma. cf. Roth. p. 9. et not. ad An. 2, 82. *tempore ac spatio*.

praecipua spe Paullini. Ex emendatione Bipont., quam Oberlinus sqq. recepere et quam praeiverunt MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. ed. Spir., qui libri ferunt *praecipuas Paulini*. MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. *praecipue Paulinum* (ed. Put. V. *praecipuae*). Iac. Gronovius divinabat: *praecipue Suetonium Paullinum*. Sed Tacitus non solet ubique repetere plenum nomen. cf. c. 33. ab initio.

consularium. Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict.) aliique, edd. Rhenan. Ald. sqq. — *consiliarium* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alciat. — *consiliorum* MS. Reg. Similem varietatem vidimus An. 15, 7.

gloriam nomenque. Synonyma. cf. Roth. p. 21.

ut concesserim. MS. Agr. et ed. Spir. *consenserim*.

expetitum. Ed. Oberlini vitio operarum *expeditum*, quod propagavere Weikertus, Naudetus aliique.

corruptissimo saeculo. Ed. Spir. *corruptissimos seculo*, per adhae-

nem reor, ut qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate deponerent, neque aut exercitus linguis moribusque dissonos in hunc consensum potuisse coalescere aut legatos ac duces magna ex parte luxus, egestatis, scelerum sibi conscios nisi pollutum obstrictumque meritis suis principem passuros.

XXXVIII. Vetus ac iam pridem insita mortalibus potentiae cupido cum imperii magnitudine adolevit erupitque. nam rebus modicis aequalitas facile habebatur: sed ubi subacto orbe et aemulis urbibus regibusve excisis securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebemque certamina exarsere. modo turbulenti tribuni, modo consules praevalidi, et in urbe ac foro tentamenta civilium bellorum. mox e plebe infima C. Marius et nobilium saevissimus L. Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt. post quos Cn. Pompeius occultior, non melior. et nunquam postea nisi de principatu quaesitum. non discessere ab armis in Pharsalia ac Philippis civium legiones, nedum Othonis ac Vitellii exercitus sponte posituri bellum fue-

sionem litterae *s*. Eadem *amore belli* pro *belli amore*, et *dissonis* pro *dissonos*.

neque aut exercitus. MS. Guelf. *nec aut* etc.

egestatis, *scelerum*. MS. Agr. *egestatisque et scelerum*.

meritis suis. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Reg. Bud. Agr. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *moribus suis* MSS. Harl. Bodl. (sec. manus addidit *meritis*) Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. eaque scriptura magis placebat I. Fr. Gronovio, Ernestio, Strombeckio. Sed vox *obstrictum* poscit *meritis* potius quam *moribus*.

Cap. 38. *insita*. Ed. Spir. *inscita*.

subacto orbe. MS. Guelf. *subtracto orbe*.

urbibus regibusve. Sic MSS. Flor. (test. Vict. Pichen. Iac. Gronov. per silentium) Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. sqq. usque ad Iac. Gronovium, qui tacite edidit *regibusque*, operarum lapsu, ut videtur. At mire id placuit Ernestio, qui malam increpat veterem scripturam atque addit et urbes aemulas fuisse et reges. Verum hoc non impeditur illo *ve*, quod satis consentit utrosque fuisse, distinguit autem aemulos sive fuerint urbes sive reges. cf. not. ad An. 3, 57. *publicis privatisve monimentis*.

post quos Cn. Pompeius. Victorius litteram ultimam in *quos* subscripta lineola notavit, ut in MS. Flor. non apparentem. Mox ed. Spir. *philippicis* pro *Philippis*.

nunquam. MS. Guelf. *nonquam*.

nedum Othonis ac Vitellii. MS. Agr. edd. Spir. et Ryck. *nedum Othonis aut Vitellii*. Sed iam non quaeritur, Othonis an Vitellii exer-

rint. eadem illos deum ira, eadem hominum rabies, eaedem scelerum causae in discordiam egere. quod singulis velut ictibus transacta sunt bella, ignavia principum factum est. Sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit: nunc ad rerum ordinem venio.

XXXIX. Profecto Brixellum Othone honor imperii penes Titianum fratrem, vis ac potestas penes Proculum praefectum. Celsus et Paullinus, cum prudentia eorum nemo uteretur, inani nomine ducum alienae culpae praetendebantur. tribuni centurionesque ambigui, quod spretis melioribus deterrimi valebant. miles alacer, qui tamen iussa ducum interpretari quam exsequi mallet. Promoveri ad quartum a Bedriaco castra placuit, adeo imperite ut quanquam verno tempore anni et tot circum amnibus penuria aquae fatigarentur. ibi de proelio dubitatum, Othone per litteras flagitante ut maturarent, militibus ut imperator pugnae adesset poscentibus: plerique copias trans Padum agentes acciri postulabant. Nec perinde diiudicari potest, quid optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse quod factum est.

citus, immo an Othonis ac Vitellii exercitus una coeuntes bellum posituri fuerint. Recte igitur recentiores editores *aut* a Ryckio receptum noluerunt.

venio. Ed. Spir. *veniā*.

Cap. 39. *Brixellum*. Ed. Spir. *Brissellum*.

vis ac potestas. Sic edd. Lips. sqq. — *ius ac potestas* MS Guelf. edd. Spir. Put. sqq. ad Lipsium et sic MSS. Harl. et Ies. apud Broterium. Verum vocabula *ius* et *uis* in libris scriptis vix discernuntur. Cod. Guelferbytanus tamen luculenter exhibet *Ius*. Huic loco unice convenit *vis*.

qui tamen. Sic edd. Put. Ber. (cum sil. Vict.) sqq. — *qui tam* ed. Spir. — *qui tum* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Eadem varietas e compendio scribendi exorta saepius invenitur. cf. not. ad Hist. 4, 23. Germ. c. 11 et 21. An. 13, 42. 14, 12 et 27.

a Bedriaco. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Lips. sqq. — *a Bebriaco* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Lipsium. cf. not. ad c. 23.

postulabant. Ed. Spir. *postulabantur*.

nec perinde. MS. Bud. *nec proinde*. Ed. Spir. *neque proinde*. cf. not. ad An. 3, 17.

quid optimum. Sic edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Rhen. sqq. — *quod optimum* MSS. Bodl. Ies. Guelf. (ibi *q̃*) edd. Spir. Put.

XL. Non ut ad pugnam sed ad bellandum profecti confluentes Padi et Adduae fluminum sedecim inde millium spatio distantes petebant. Celso et Paullino abnuentibus militem itinere fessum, sarcinis gravem obiicere hosti non admissuro, quo minus expeditus et vix quattuor millia passuum progressus aut incompositos in agmine aut dispersos et vallum molientes adgrederetur, Titianus et Proculus, ubi consiliis vincerentur, ad ius imperii transibant. Aderat sane citus equo Numida cum atrocibus mandatis, quibus Otho increpita ducum segnitia rem in discrimen mitti iubebat aeger mora et spei impatiens.

XLI. Eadem die ad Caecinam operi pontis intentum duo praetoriarum cohortium tribuni colloquium

Cap. 40. *Non ut ad pugnam sed ad bellandum.* Grotius corrigebat *ad debellandum.* Ernestio *bellare* pro *debellare* videtur dici. Provocat ad Liv. 6, 31. Explicant: „ibant non quasi ad incertum certamen, sed ut finem impósituri bello una victoria." At plane aliud sibi vult auctor, quod bene vidit Heinsius, qui ad h. l. scribit: „qui ad bella proficiscuntur, sarcinas secum ferunt: qui ad pugnam, eas in loco proximo relinquunt." Recte. cf. Tac. Germ. c. 30. *Alios ad proelium ire videas, Cattos ad bellum.* Etenim Catti militem super arma ferramentis quoque et copiis onerant. Vituperantur igitur Othoniani, quod non expediti ut ad pugnam, sed sarcinis graves, uti solent esse in itinere et procul ab hoste versantes, profecti sunt. Melius Vitelliani, qui c. 45. dicuntur *expediti et tantum ad proelium egressi.*

Adduae. Ed. Spir. *agde.* MS. Guelf. *Adue.* Idem liber mox *XV* pro *sedecim.*

non admissuro. Sic MS. Bud. et inde edd. Rhenan. Ald. sqq. — *non amissuro* vulgo MSS. et edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc., quam scripturam Ernestius ita defendit ut intelligat *occasionem.* Vix cuiquam persuadebit. MS. Corb. *non annixuri.* MS. Bodl. a sec. m. *non commissuro.* Rupertius satis apte emendat: *non omissuro.* cf. An. 3, 27. *ac ne bello quidem ... omissum, quin multa et diversa sciscerentur.* Ea tamen non est unius Rupertii coniectura: invenitur iam in margine ed. Micyll. 1557. Sed *amissuro,* quod est in vetustis exemplaribus, videtur originem traxisse ex *ammissuro* h. e. *admissuro.*

molientes. MS. Guelf. *mollientes,* vulgari vitio.

adgrederetur, Titianus etc. Sic interpungunt edd. Alc. Rhen. Ald. Dein irrepsit punctum ante *Titianus,* quod primum invenio in ed. Micyll. 1557. Est vero etiam in MS. Guelf. Tolerarunt sequentes editores usque ad Bekkerum, qui comma reposuit. Sunt tamen qui post Bekkerum malint punctum.

Numida. Nimirum Numidas equites de more virorum lautiorum Otho habebat praecursores. cf. Senec. ep. 88. et 124. Sueton. Ner. c. 30. extr.

segnitia. MS. Corb. *segnitie.*

Cap. 41. *Eadem die.* Sic edd. Lips. sqq. *eodem die* MS. Guelf. et edd. ante Lipsium. Sed *eodem die*

eius postulantes venerunt. audire conditiones ac reddere parabat, cum praecipites exploratores adesse hostem nuntiavere. interruptus tribunorum sermo, eoque incertum fuit, insidias an proditionem vel aliquod honestum consilium coeptaverint. Caecina dimissis tribunis revectus in castra datum iussu Fabii Valentis pugnae signum et militem in armis invenit. dum legiones de ordine agminis sortiuntur, equites prorupere: et mirum dictu a paucioribus Othonianis quo minus in vallum impingerentur, Italicae legionis virtute deterriti sunt. ea strictis mucronibus redire pulsos et pugnam resumere coegit. Disposita Vitellianarum legionum acies sine trepidatione: etenim quanquam vicino hoste aspectus armorum densis arbustis prohibebatur. apud Othonianos pavidi duces, miles ducibus infensus, mixta vehicula et lixae et praeruptis utrimque fossis via quieto quoque agmini angusta. circumsistere alii signa sua, quaerere

dicitur de luce, ut dies opponatur nocti (*jour*): *eadem die* de certo tempore (*journée*).

postulantes. MS. Corb. *expostulantes.* Mox idem liber *coeptarent* pro *coeptaverint.* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) *ceptaverint.*

revectus. Ed. Spir. *reversus.*

impingerentur. Ernestius: „E Virgilio sumptum Aen. 5, 804. *cum Troia Achilles examinata sequens impingeret agmina muris.*" Ne tamen putes Tacitum ita scripsisse, ut Virgilium imitaretur, sed quia latinitas ita poscebat.

deterriti sunt. Sic MSS. et vett. edd. Operarum vitio in ed. Rhen. 1544. venit *territi sunt*, quod propagaverunt Lips. Pich. Grut. Bernegg. Gron. In ed. Micyll. 1557. est *deterriti sunt*, quod e MS. Flor. reposuere Ryck. Iac. Gronov. sqq.

ea strictis mucronibus. Ex emendatione Rhenani, quam ab ipso in contextu positam omnes dein editores comprobaverunt. MS. Flor. teste Victorio *et strictis.* — MSS. Bud. Reg. Corb. Harl. (hic a secunda manu) ed. Spir. *et adstrictis* vel *astrictis.* — MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Alc. *quae astrictis.* — Ed. Ber. *quae strictis.*

disposita V. l. acies. Sic edd. Lipsii posteriores, Pich. sqq. — *acie* MSS. Bud. Guelf. edd. Put. sqq. cum Lipsii prima. — *arce* (pro *acie*) ed. Spir. — *arte* MS. Flor. teste Victorio. Sed vocabulum *acies* in hac corruptione latere vix dubitari potest. Scriptura *acie* orta est absorpta per sequens vocabulum littera extrema.

circumsistere alii signa sua, quaerere alii. Ita Lipsius membra loci ordinavit. Priores edd. cum Lipsii prima: *circumsistere alii, signa sua quaerere alii.* MS. Guelf. non habet alterum *alii.*

incertus undique clamor currentium, volitantium: et ut cuique audacia vel formido etc. Locus in libris scriptis et editis corruptus. Ed. Spir. *incertus undique clamor adcurrentium volantiumque ut cuique* etc. In vo-

alii: incertus undique clamor currentium, vocitantium: et ut cuique audacia vel formido, in primam postremamve aciem prorumpebant aut relabebantur.

XLII. Attonitas subito terrore mentes falsum gaudium in languorem vertit, repertis qui descivisse a Vi-

lantium consentiunt MSS. Farnes. Reg. Corb. — *incertus undique clamor accurrentium*: *clamantiumque: et ut cuique* etc. edd. Put. M. et V. Alc. Consentit MS. Bodl. — Ed. Beroald. *clamitantiumque*. Consentiunt MSS. Harl. Ies. Guelf. — Rhenanus edidit *clamantium* deleta copula *que*, et sic iubet MS. Bud. Rhenani scriptura duravit usque ad Pichenam, qui iussit scribi *vocitantium* pro *clamantium*. Viderat enim inepte dici *clamor clamantium* et in MS. Flor. esse *uomantium*, ut in Vatic. test. Lipsio. Sed de MS. Flor. deinde Iac. Gronovius accuratiorem nuntium attulit: legi ibi *currentium clamantium ut cuique audacia* etc. a prima manu: dein super transfixis tribus prioribus verbi *clamantium* litteris correctum *uo*. — Ryckius e MS. Agr. edidit: *incertus undique clamor*, *accurrentium volitantiumque: ut cuique* etc. — Iac. Gronov. Ernest. Brot. sqq. ad Pichenae scripturam redierunt, quae hodieque vulgatur. Verum si ineptus est *clamor clamantium*, non elegantior certe videtur esse *clamor vocitantium*. Boxhornius coniecit *vitantium*, Iac. Gronovius *morantium*, nemine plaudente. Mihi verum videtur *volitantium*: nam pro ea scriptura non solum faciunt libri, qui mediis litteris omissis dant *voluntium*, sed etiam corruptum illud *uomantium* aeque facile vertitur in *volitantium* atque in *vocitantium*. *Volitare* autem haud absurdum est synonymum verbi *currentium*. Sic An. 15, 9. *iam enim subiectis campis magna specie volitabant*, de Parthis. Accedunt *Caractacus huc illuc volitans* (An. 12, 34); *Inguiomerus tota volitans acie* (An. 2, 21); *Tiridates huc illuc volitans* (An. 13, 37); *Arminius per Cheruscos volitans* (An. 1, 59); Hist. 2, 88. *tribuni praefectique .. volitabant*. Sed alia quaestio oritur de copula *et* ante *ut cuique*. Ea enim abest a MSS. Flor. Agr. ed. Spir. et fortasse ab aliis libris, quanquam de hac re tacent interpretes. Hinc licet dubitare, an recte hucusque loci partes coniungantur: nam fortasse melius erit legere: *incertus undique clamor*: *ac currentium*, *volitantium ut cuique* etc. ut ita genitivi *currentium*, *volitantium* pendeant e voce *cuique*. Sed haec verborum structura audacior videbitur.

postremamve. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Victorii) sqq. — *postremamque* MSS. Bud. Corb., pervulgari confusione.

aut relabebantur. Particulam *aut* reposui e MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. Vulgo edunt *vel* inde a Puteolano. Sed *vel* non est huius loci. *Relabebantur* Pichena attulit e MS. Flor. Sed Ryckius in collatione Iac. Gronovii invenit *relebebantur* et Victorius in illō codice vidit *relibebantur*, quod ipse iubet corrigi *relabebantur*. Recte. Nam Tacitus hic de ruentibus militum globis loquitur ut de undarum fluctibus, qui dicuntur *prorumpi* et *relabi*. cf. An. 12, 57. *vis aquarum prorumpens*; An. 1, 76. *relabens Tiberis*; 2, 24. *relabens aestus*. Sed quia codicis Flor. scriptura una littera debilis est, non defuit qui mallet emendare *revehebantur*, quod exstat in aliis MSS. et edd. vett.

Cap. 42. *in languorem*. MS. Guelf. ed. Spir. *in langorem*. Ea-

tellio exercitum ementirentur. is rumor ab exploratoribus Vitellii dispersus, an in ipsa Othonis parte seu dolo seu forte surrexerit, parum compertum. Omisso pugnae ardore Othoniani ultro salutavere: et hostili murmure excepti, plerisque suorum ignaris quae causa salutandi, metum proditionis fecere. tum incubuit hostium acies integris ordinibus, robore et numero praestantior: Othoniani, quanquam dispersi, pauciores, fessi, proelium tamen acriter sumpsere. et per locos arboribus ac vineis impeditos non una pugnae facies. cominus eminus catervis et cuneis concurrebant: in aggere viae collato gradu corporibus et umbonibus niti, omisso pilorum iactu, gladiis et securibus galeas loricasque perrumpere: noscentes inter se, ceteris conspicui in eventum totius belli certabant.

dem ed. Spir. mox *ab exploratore* pro *ab exploratoribus*.

an in ipsa. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Harl. Bodl. Ies. Guelf. Agr. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Ryck. Iac. Gron. sqq. — *an ipsa* (sine *in*) MSS. Reg. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. ad Ryckium. Nimirum *in* per compendium ī scriptum facile potuit absorberi a vocabulo *ipsa*.

fecere. tum etc. Punctum ante *tum* ab Oberlino et sequacibus commate mutatum Bekkerus e prioribus edd. restituit. De particula *tum* vid. not. ad An. 2, 9. Ed. Spir. et MS. Agr. *tunc*

locos ... impeditos. MS. Agr. ed. Spir. *loca ... impedita*.

cominus eminus. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Harl. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Iac. Gron. — *cominus eminusque* MSS. Reg. Corb. Bud. Agr. edd. Spir. Rhen. sqq. ad Iac. Gron. et post illum Ernest. Brot. sqq. De MS. Flor. Ernestius et Broterius falsi sunt, dum inde adferunt *eminusque*. Asyndeton maiorem vim addit verbis. Sic *huc illuc* An. 12, 34. 1, 56. — Mox MS. Agr. *catervis ac cuneis*. — Ed. Spir. *collocato* pro *collato*.

umbonibus niti. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Vatic. Farnes. Corb. edd. Spir. Lips. sqq. — *niti* abest a MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. ad Lipsium. Addidit secunda manus in MS. Harl.

gladiis. Ed. Spir. *glandibus*.

perrumpere. Sic MSS. Bud. Corb. Guelf. edd. Rhen. Ald. sqq. (cum silent. Pichenae et Iac. Gronovii). Victorius intactum reliquit *perrupere*, quod exstat in MSS. Reg. Bodl. et edd. ante Rhenanum. Praecedens *niti* omnino videtur poscere infinitivum *perrumpere*.

noscentes inter se. Xiphil. 65, 12. γνωρίζοντες ἀλλήλους. Ryckius frustra coniecit *noscentes invicem se*. Nam si erant *noscentes inter se*, tum haud dubie *se invicem noscebant*. Sic infr. c. 47. *experti invicem sumus* h. e. experti nos invicem sumus.

ceteris conspicui. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silentio Vict.) sqq. Bodleianus Gronovii *ceterum* — *ceteri conspicui* MSS. Bud. Corb. Reg. ed. Spir. et haec sine ulla loci inter-

XLIII. Forte inter Padum viamque patenti campo duae legiones congressae sunt, pro Vitellio unaetvicesima, cui cognomen Rapaci, vetere gloria insignis: e parte Othonis prima Adiutrix, non ante in aciem deducta, sed ferox et novi decoris avida. Primani stratis unaetvicesimanorum principiis aquilam abstulere. quo dolore accensa legio et impulit rursus primanos interfecto Orfidio Benigno legato et plurima signa vexillaque ex hostibus rapuit. A parte alia propulsa quintanorum impetu tertiadecuma legio, circumventi plurium adcursu quartadecumani. et ducibus Othonis iam pridem profugis Caecina ac Valens subsidiis suos firmabant. Accessit recens auxilium Varus Alphenus cum Batavis fusa gladiatorum manu, quam navibus transvectam oppositae cohortes in ipso flumine trucidaverant. ita victores latus hostium invecti.

XLIV. Et media acie perrupta fugere passim Othoniani Bedriacum petentes. immensum id spatium, obstructae strage corporum viae: quo plus caedis fuit. neque enim civilibus bellis capti in praedam

punctione. MS. Agr. *noscentes inter se conspicui. ceteri in eventum belli certabant* (ex emendandi studio). Vulgata scriptura vera est. Nam describitur hic ratio in aggere pugnantium diversa ab eorum, qui per locos arboribus ac vineis impeditos.

Cap. 43. *unaetvicesima.* MS. Flor. teste Victorio *una et vicensima*, et mox *una et vicensimanorum.*

non ante. Ed. Spir. *non autem.*

principiis. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryck.) Bud. Agr. Guelf. Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. Intellige προμάχους, primam aciem. — *principibus* MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc., errore pervulgari. cf. Stewechius in Comm. ad Veget. 2, 7. et 3, 2.

Orfidio. Sic MS. Guelf. ed. Spir. Vulgo *Orphidio.* Sic *Orfitus* An. 12, 41. 16, 12. et in inscript. apud Gruter. p. 300. num. 1. In aliis tamen inscriptt. legitur *Orphitus.*

a parte alia. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. Rhen. Ald. sqq. — *aperte alia* edd. Put. V. Beroald. Alc.

tertiadecuma. MS. Guelf. *trina decima.* Mox idem liber *circumventu.*

Varus Alphenus. Sic edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. Consentit Plutarch. in Othone. — *Varenus Alphenus* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Corb. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. — *Varenus Alfenus* MS. Flor. teste Victorio.

Cap. 44. *Bedriacum.* Libri, ut supra c. 23. et eodem modo in sqq.

civilibus bellis. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) Reg. Corb. Agr. Bud. edd. Spir. Ryck. Iac. Gron. sqq. — *civilibus proeliis* MSS. Guelf. Harl. Ies. edd. Put. sqq. ad Ryckium. Similem varie-

vertuntur. Suetonius Paullinus et Licinius Proculus diversis itineribus castra vitavere. Vedium Aquilam tertiaedecumae legionis legatum irae militum inconsultus pavor obtulit. multo adhuc die vallum ingressus clamore seditiosorum et fugacium circumstrepitur: non probris, non manibus abstinent, desertorem proditoremque increpant, nullo proprio crimine eius, sed more vulgi suum quisque flagitium aliis obiectantes. Titianum et Celsum nox iuvit, dispositis iam excubiis compressisque militibus, quos Annius Gallus consilio, precibus, auctoritate flexerat, ne super cladem adversae pugnae suismet ipsi caedibus saevirent. sive finis bello venisset seu resumere arma mallent, unicum victis in consensu levamentum. Ceteris fractus animus: praetorianus miles non virtute se, sed proditione victum fremebat. ne Vitellianis quidem incruentam fuisse victoriam pulso equite, rapta legionis aquila: superesse cum ipso Othone militum quod trans Padum fuerit: venire Moesicas legiones: magnam exercitus partem Bedriaci remansisse: hos certe nondum victos, et si ita ferret, honestius in acie perituros. His cogitationibus truces

tatem videbimus infr. 3, 19. 32. 4, 67.

vertuntur. MS. Guelf. *non cedunt*, quanquam *neque* praecessit.

Licinius Proculus. Ed. Spir. *L. Proculus.* Sed cf. 1, 46.

vitavere. Nimirum φοβούμενοι τοὺς στρατιώτας. cf. Plutarch. Othon. c. 13. — MS. Farnes. *petivere*, male.

Vedium Aquilam. MS. Corb. ed. Spir. *Vedium Aquilum.*

clamore. Ed. Spir. *amore.* Mox MS. Guelf. *fugantium* pro *fugacium.*

crimine eius. Pronomen *eius* in MSS. Corb. Agr. non apparet. Mox vocabulum *suum* ante *quisque* in MS. Guelf. non legitur.

consilio, precibus, auctoritate. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *precibus, consilio, auctoritate* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

suismet ipsi caedibus. Ed. Spir. *suismet ipsis cedibus.* Eadem mox *sive resumere* pro *seu r.*

militum quod. German. c. 15. *vel armentorum vel frugum quod* etc. Vid. ibi not.

et si ita ferret. Sic edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. cf. An. 3, 15. — *et si ita ferret* MS. Reg. ed. Spir. — *et si ita fieret* MSS. Harl. Guelf. — *et si ita foret* MS. Ies.

his cogitationibus truces aut pavidi. *Truces* praetoriani, *pavidi* ceteri, quis fractus animus. Ed. Spir. *haud pavidi*, uti vult Dureau de Lamalle. Perperam. Ablativus *his cogitationibus* pertinet ad *truces* tantum, non ad *pavidi*.

aut pavidi extrema desperatione ad iram saepius quam in formidinem stimulabantur.

XLV. At Vitellianus exercitus ad quintum a Bedriaco lapidem consedit non ausis ducibus eadem die oppugnationem castrorum: simul voluntaria deditio sperabatur. sed expeditis et tantum ad proelium egressis munimentum fuere arma et victoria. Postera die haud ambigua Othoniani exercitus voluntate et qui ferociores fuerant ad poenitentiam inclinantibus missa legatio: nec apud duces Vitellianos dubitatum, quo minus pacem concederent. legati paulisper retenti. ea res haesitationem attulit ignaris adhuc an impetrassent. mox remissa legatione patuit vallum. tum victi victoresque in lacrimas effusi, sortem civilium armorum misera laetitia detestantes. iisdem tentoriis alii fratrum, alii propinquorum vulnera fovebant. spes et praemia in ambiguo, certa funera et luctus: nec quisquam adeo mali expers, ut non aliquam mortem maereret. Requisitum Orfidii legati corpus honore solito crematur. paucos necessarii ipsorum sepelivere: ceterum vulgus super humum relictum.

in formidinem. MS. Guelf. negligit *in.*

Cap. 45. *eadem die.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *eodem die* MSS. Harl. Guelf. edd. Put. sqq. ad Pichenam. cf. not. ad c. 41. Mox MS. Flor. (test. Vict.) *obpugnationem.* Edd. vett. *oppugnationem.*

sperabatur. MS. Guelf. *sperebatur.*

et tantum ad proelium egressis etc. cf. not. ad c. 40. Sententia: Quum Vitelliani sine instrumentis et ad proelium tantum accincti essent profecti, sine castris pernoctavere armis et victoria freti, quia deerant instrumenta quis castra facerent.

missa legatio: nec apud etc. Ex egregia Pichenae emendatione, quam ipse et Gruter. Bernegg. sqq. in locum receperunt, et quam praeivit MS. Flor. ferens: *missa legatione. capud* etc. Alii codd. MSS. et edd. ante Pichenam: *missa legatione: apud* etc. In MS. Harl. secunda manus emendavit *nec.* De re cf. Plutarch. Othon. c. 13.

legati paulisper retenti. Haec verba absunt ab ed. Spir. — Edd. Put. M. et V. Ber. sine ulla interpunctione legunt inde a verbis *apud duces* usque ad *retenti.* Punctum ante *legati* Rhenanus posuit, uti est in MS. Guelf.

tum victi. Ed. Spir. *tunc victi.* Eadem mox cum MS. Corb. *civilium bellorum* pro *civilium armorum.*

iisdem. Ed. Spir. *hisdem*, uti solet. — Dein MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. *mereret* pro *maereret.* Ed. Weikerti male omittit verba *adeo mali expers, ut non aliquam.*

Orfidii. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *Orfodii.*

XLVI. Opperiebatur Otho nuntium pugnae nequaquam trepidus et consilii certus. maesta primum fama, dein profugi e proelio perditas res patefaciunt. Non exspectavit militum ardor vocem imperatoris. bonum habere animum iubebant. superesse adhuc novas vires et ipsos extrema passuros ausurosque. Neque erat adulatio: ire in aciem, excitare partium fortunam furore quodam et instinctu flagrabant. qui procul adstiterant, tendere manus et proximi prensare genua, promptissimo Plotio Firmo. is praetorii praefectus identidem orabat, ne fidissimum exercitum, ne optime meritos milites desereret: maiore animo tolerari adversa quam relinqui: fortes et strenuos etiam contra fortunam insistere spei, timidos et ignavos ad desperationem formidine prope-

Cap. 46. *et consilii certus.* Rhenanus malebat *sed consilii c.* Frustra. cf. not. ad An. 1, 13.

bonum habere animum. Sic MS. Guelf. edd. vett. (cum silent. Vict.) et recentt. Ryckius tamen testatur in MS. Flor. legi *haberet.* Mox in ed. Spir. *superesse* non apparet.

neque erat adulatio. MS. Corb. non habet *erat.*

furore quodam et instinctu fl. Sic edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. Ita et MS. Guelf., nisi quod pro *instinctu* ibi legitur *institu.* — *pavore quodam* etc. MS. Ies. *furore* ꝙ *amēt instinctu* ed. Spir. h. e. *furore quod am etiam i.* Latent ibi vera verba, at perverse perscripta. Ernestius falsus est, dum ex ed. Spir. profert *furoreque amenti instinctu.* E contorta ed. Spir. scriptura MS. Agr. hausit sua: *furore quodam et amenti instinctu.* Ceterum Ernestius et Roth. (p. 27.) hic volunt esse ἓν διὰ δυοῖν, ut intelligas furore quodam instinctos. Contra Bipont. *furorem* referunt ad iram et vindictae cupidinem, *instinctum* ad incredibilem amorem exercitus in Othonem. Verum sunt hic potius synonyma: nam in utroque vocabulo est notio necessitatis, cui abest consilium; nam necessitate et absque consilio agunt et qui furore et qui agunt instinctu.

prensare. Sic MS. Bud. edd. Spir. Ernest. Brot. sqq. Recte. Nam ita An. 1, 21. 68. 2, 30. 4, 51. Hist. 1, 36, 66. Suffragantur MSS. Reg. et Corb., qui ferunt *pensare.* At MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Ernest. *prehensare.* Pro *proximi* ed. Spir. dat *proxima.*

promptissimo Plotio Firmo. Sic MSS. Reg. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. — *promptissimus Plotius Firmus* MSS. Corb. Agr. ed. Spir. Nimirum terminationes *us* et *o* saepius confunduntur ob compendium 9 (h. e. *us*). Similis locus exstat An. 5, 3. *promptissimo Cotta Messallino.*

is praetorii praefectus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Rhen. Ald. sqq. — Edd. Spir. Beroald. Alc. addunt *erat*, et Beroaldus quidem haec parenthesi circumdedit. De Plotio Firmo praef. praet. cf. supr. 1, 46.

tolerari. MS. Guelf. *tolerare.*

fortes et strenuos. Synonyma. cf. Roth. p. 15.; item mox *timidos et ignavos.* MS. Guelf. *strenues.*

rare. Quas inter voces ut flexerat vultum aut induraverat Otho, clamor et gemitus. nec praetoriani tantum, proprius Othonis miles, sed praemissi e Moesia eandem obstinationem adventantis exercitus, legiones Aquileiam ingressas nuntiabant, ut nemo dubitet potuisse renovari bellum atrox, lugubre, incertum victis et victoribus.

XLVII. Ipse aversus a consiliis belli „Hunc" inquit „animum, hanc virtutem vestram ultra periculis „obiicere nimis grande vitae meae pretium puto. quanto „plus spei ostenditis, si vivere placeret, tanto pulchrior „mors erit. Experti invicem sumus, ego ac fortuna. nec „tempus computaveritis. difficilius est temperare felici„tati, qua te non putes diu usurum. Civile bellum a Vi„tellio coepit, et ut de principatu certaremus armis, ini„tium illic fuit: ne plus quam semel certemus, penes me „exemplum erit. hinc Othonem posteritas aestimet. „Fruetur Vitellius fratre, coniuge, liberis: mihi non ul-

induraverat. Sic MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silentio Vict.) sqq. — *induerat* ed. Spir. — *induruerat* MS. Agr.

praemissi e Moesia. Sic codd. MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. aliique, edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Micyll. 1557. Pich. Gruter. sqq. Praepositionem *e* omittunt MS. Bud. edd. Rhen. Ald. Lips.

Aquileiam. Ed. Spir. *aquileiam.*

potuisse. MS. Guelf. *potius se.*

Cap. 47. *Ipse aversus.* Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Micyll. 1557. Pich. (e MS. Flor.) Gruter. sqq. — *ipse versus* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. Lips., qui tamen in margine adnotavit *aversus.*

hanc virtutem vestram. MS. Guelf. *nostram* pro *vestram.* Ed. Spir. *virtutem vestram hanc.*

ultra. Sic MS. Guelf. edd. Lipsii posteriores, Pich. sqq. — *ultro* edd. ante Lipsium et Lips. prima. Sed hoc non est huius loci.

vitae meae. Ed. Spir. *meae vitae.*

tanto pulchrior. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Pich. Bernegg. sqq. — *tanto* non habent MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Rhen. Ald. sqq. ad Pichenam.

nec tempus. Sic edd. ante Rhen. et MSS. praeter Bud., unde Rhenanus ediderat *ne tempus.* Pichena veterem scripturam e MS. Flor. restituit.

felicitati. Hoc vocabulum abest a MS. Bud. edd. Rhen. Ald. Micyll. 1557. — Lipsius restituit vett. libris auctoribus et increpito Rhenano, qui eiecerat.

aestimet. MS. Guelf. *extimet.* cf. not. ad An. 18, 17.

fruetur. Sic edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. — *frueretur* MSS. Guelf. Harl. Ies. Corb. ed. Spir. In Harl. secunda manus emendavit *fruetur.*

„tione neque solatiis opus est. alii diutius imperium te„nuerint: nemo tam fortiter reliquerit. An ego tantum „Romanae pubis, tot egregios exercitus sterni rursus et „rei publicae eripi patiar? eat hic mecum animus, tan„quam perituri pro me fueritis. sed este superstites. nec „diu moremur ego incolumitatem vestram, vos constan„tiam meam. plura de extremis loqui pars ignaviae est. „praecipuum destinationis meae documentum habete, „quod de nemine queror. nam incusare deos vel homi„nes eius est, qui vivere velit."

XLVIII. Talia locutus, ut cuique aetas aut dignitas, comiter appellatos, irent propere neu remanendo iram victoris asperarent, iuvenes auctoritate, senes precibus movebat placidus ore, intrepidus verbis, intempestivas suorum lacrimas coercens. dari naves ac vehicula abeuntibus iubet: libellos epistolasque studio erga se aut in Vitellium contumeliis insignes abolet: pecunias distribuit parce nec ut periturus. Mox Salvium Cocceianum fratris filium, prima iuventa, trepidum et mae-

tenuerint. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Corb. edd. Spir. Pich. Lipsii postr. Gruter. sqq. — *tenuerunt* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. ad Pichenam.

reliquerit. Hoc verbum deest in codice Budensi. Pro *fortiter* ed. Spir. non satis venuste dat *ferociter*.

sed este. MSS. Corb. Agr. *estote*. Mox MS. Ies. *ne diu*.

de extremis. Ed. Spir. nugatur *de externis*.

Cap. 48. *irent propere*. Ed. Spir. *ire propere*.

remanendo. Sic codd. MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. (ibi est *ramanendo*) Agr. aliique et edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc., deinde Pich. Bernegg. sqq. — *remorando* MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. sqq. ad Pich.

asperarent. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *aspernarent*.

movebat. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Pich. Gruter. Bernegg. sqq. — *monebat* MS. Agr. edd. Spir. Put. sqq. ad Pich.

coercens. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Lips. sqq. — *cohercens* edd. Put. sqq. ad Lipsium.

aut in Vitellium. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.), Alc. Micyll. 1557., et deinde Ryck. Iac. Gron. sqq. — *aut Vitellium* MSS. Bud. Harl. Ies. Reg. Guelf. edd. Rhen. Ald. Lips. sqq. ad Ryckium. In Harl. secunda manus addidit *in*. MS. Bodl. *aut Vitellii*.

nec ut periturus. Ed. Spir. *nec cui periturus*.

Cocceianum. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Rhen. Ald. sqq. — *Coceianum* MS. Guelf. a secunda manu. — *Cocceanum* edd. Put. Ber. Alc. — *Coccelanum* ed. Spir. Mox *merentem* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V., uti solent.

rentem, ultro solatus est laudando pietatem eius, castigando formidinem: an Vitellium tam immitis animi fore, ut pro incolumi tota domo ne hanc quidem sibi gratiam redderet? mereri se festinato exitu clementiam victoris. non enim ultima desperatione, sed poscente proelium exercitu remisisse rei publicae novissimum casum. satis sibi nominis, satis posteris suis nobilitatis quaesitum. post Iulios, Claudios, Servios se primum in familiam novam imperium intulisse. proinde erecto animo capesseret vitam, neu patruum sibi Othonem fuisse aut oblivisceretur unquam aut nimium meminisset.

XLIX. Post quae dimotis omnibus paulum requievit. atque illum supremas iam curas animo volutantem repens tumultus avertit nuntiata consternatione ac licentia militum. namque abeuntibus exitium mini-

an Vitellium. Ed. Spir. *Alii Vitellium.* Mox *gratiam sibi* pro *sibi gratiam.* Vocabulum *exitu* ibi deest.

non enim ultima d. Sic MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. — *nec enim ultima d.* ed. Spir. — *nec ultima d.* MS. Corb.

Servios. Sic MSS. (test. Broterio) et Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. et deinde Lips. sqq. — *Sergios* edd. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Micyll. 1557. Sed vid. not. ad Hist. 1, 1.

capesseret. Edd. Spir. Ald. *capesceret.* MS. Guelf. *capessant.* Mox ed. Spir. *patruum suum* pro *patruum sibi.*

aut nimium meminisset. MS. Bud. non habet *nimium*, et putabat Rhenanus abesse id posse, negante Lipsio, qui attulit locum Plutarchi: *μήτ' ἐπιλαθέσθαι παντάπασι, μήτ' ἄγαν μνημονεύειν, ὅτι Καίσαρα θεῖον ἔσχες.*

Cap. 49. *post quae.* Sic MS. Flor. (test. Vict.) Reg. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. *postque* MS. Corb. ed. Spir. (*que* per compendium ibi scribitur). *postq̃* (h. e. *postquam*) MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. Quae confusio e compendio scribendi exorta sexcenties invenitur in vett. libris.

paulum. Ed. Spir. et MS. Corb. *paululum.*

supremas iam curas animo volutantem. Sic codd. MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. (a secunda manu) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Pich. Gruter. Bernegg. sqq. — Rhenanus cum in MS. Bud. invenisset: *atque illum iam supremas c. agentes*, edidit: *atque i. iam s. c. agentem*, quae scriptura valuit usque ad Pichenam. — MS. Bodl. habet *animo volventem*, quod a prima manu et in cod. Guelf. videtur fuisse.

avertit. Heinsius coniecit *advertit.* Sed *avertit* bene se habet, int. a curis supremis.

exitium. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. al.) Bud. Guelf. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *exitum* edd. Put. Ber. Alc. Saepius utrumque vocabulum permutatur. cf. not. ad An. 13, 1.

tabantur, atrocissima in Verginium vi, quem clausa domo obsidebant. increpitis seditionis auctoribus regressus vacavit abeuntium adloquiis, donec omnes inviolati digrederentur. Vesperascente die sitim haustu gelidae aquae sedavit. tum adlatis pugionibus duobus, cum utrumque pertentasset, alterum capiti subdidit. et explorato iam profectos amicos, noctem quietam, utque adfirmatur, non insomnem egit. luce prima in ferrum pectore incubuit. ad gemitum morientis ingressi liberti servique et Plotius Firmus praetorii praefectus unum vulnus invenere. Funus maturatum. ambitiosis id precibus petierat, ne amputaretur caput ludibrio futurum. tulere corpus praetoriae cohortes cum laudibus et lacrimis vulnus manusque eius exosculantes. quidam militum iuxta rogum interfecere se, non noxa neque ob metum, sed aemulatione decoris et caritate principis. ac

Verginium. MS. Guelf. *Virginium.* Idem liber *seditionibus* pro *seditionis.*

adloquiis. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *alloquiis* edd. vett. — MS. Guelf. *colloquiis.*

vesperascente. MS. Farnes. *vesperante*, pro qua scriptura Lipsius attulit exemplum A. Gell. 17, 8. *ubi iam vesperaverat.* Sed ceteri libri consentiunt in vulgatum.

duobus. Sic codd. MSS. Flor. (test. Ernestio, non invenio qua auctoritate) Guelf. aliique, edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Micyll. 1557. et deinde Pich. Gruter. sqq. Et Pichena quidem profitetur se *duobus* ex ed. Venet. restituisse: de MS. Flor. ipse tacet. Omittitur id vocabulum in MSS. Bud. Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. Lips. Numeri signum facile potuit excidere: necessario autem reponitur et ob testimonium Plutarchi, et quia mox sequitur *utrumque.*

utrumque. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Ald. Micyll. Lips. Pich. Grut. sqq. — *utrinque* MS. Bud. et inde ed. Rhen. 1533.

pertentasset. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Ald. Pich. Grut. sqq. — *temptasset* MS. Bud. et inde *tentasset* edd. Rhen. Micyll. et Lipsii priores. — *praetentasset* ed. Lips. 1607.

subdidit. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Pich. Bernegg. sqq. — *subdit* MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. Micyll. Lips. Grut.

ludibrio futurum. A MS. Ies. haec absunt. MS. Guelf. paulo ante *amputeretur capud.*

manusque eius. Vocula *eius* non reperitur in MS. Agr.

interfecere se. Ed. Spir. *interficere se.*

non noxa neque ob metum. Est ἓν διὰ δυοῖν h. e. non quod noxae sive culpae admissae in Vitellium sibi conscii in metu futurae ultionis essent.

postea promiscue Bedriaci, Placentiae aliisque in castris celebratum id genus mortis. Othoni sepulcrum exstructum est modicum et mansurum.

L. Hunc vitae finem habuit septimo et tricesimo aetatis anno. Origo illi e municipio Ferentino. pater consularis, avus praetorius: maternum genus impar nec tamen indecorum. pueritia ac iuventa, qualem monstravimus. duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantundem apud posteros meruit bonae famae quantum malae. Ut conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate coepti operis crediderim, ita vulgatis traditisque demere fidem non ausim. die, quo Bedriaci certabatur, avem invisitata specie apud Regium Lepidum celebri loco consedisse in-

promiscue. Ed. Spir. *promiscuo.* MS. Flor. test. Vict. *promisce*, uti solet.

Bedriaci. Libri, ut supra. cf. not. ad c. 23.

aliisque. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Micyll. Pich. Lipsii postr. Grut. sqq. — *aliis* (sine *que*) MS. Bud. edd. Rhen. Ald. Lipsii priores.

celebratum. Ed. Spir. *celebrarunt.*

et mansurum. Scilicet ob *modestiam.* Vid. Plutarch. Othon. c. 18. Suet. Vitell. c. 10.

Cap. 50. *septimo et tricesimo aetatis anno.* Idem numerus habetur apud Plutarch. l. l. Xiphil. 64, 15. Aurel. Vict. epit. c. 7. Quippe Otho natus est d. 28. April. a. u. 785. cf. Sueton. Oth. c. 2. — periit d. 17. April. an. 822. — Suetonius (c. 11.) et Eutropius (7, 11.) ferunt *tricesimum octavum annum* ex more Suetonii, qui annum nativitatis mortisque computare solet. cf. Baumgarten-Crus. ad Sueton. l. l. — Ceterum MS. Flor. test. Vict. dat *tricensimo*; ed. Spir. *trigesimo*; MS. Guelf. edd. Put. sqq. *tricesimo.*

e municipio Ferentino. Sic MS. Guelf. edd. Put. Ber. sqq. cf. An. 15, 53. In MS. Guelf. voc. *Ferentino* est in margine et a secunda manu: in contextu neglectum est. — *a municipio* etc. ed. Spir. — *e municipio Ferentio* MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.). Utraque forma a viris doctis agnoscitur. De re vid. Suet. Oth. c. 1.

monstravimus. Potissimum supr. 1, 13. Mox ed. Spir. nugatur: *quantum male ut conquireret: fabulosa* etc.

invisitata specie. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) edd. Ryck. Iac. Gron. sqq. — *inusitata specie* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. Agr. edd. Put. sqq. ad Ryck. — *inusitata facie* MS. Reg. ed. Spir. Frequens in vett. libris eadem est vocabulorum permutatio. cf. Baumgarten-Crus. ad Suet. Oct. c. 43.

celebri loco. Ex emendatione Coleri, quam a Lipsio probatam in locum recepere Bip. Oberl. sqq. — *celebri luco* MSS. Flor. (test. Vict. cum al.) Reg. Corb. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. Utrumque vocabulum in vett. libris saepius confundi vidimus ad An. 2, 25. 3, 61. Non tamen video, cur non et lucus celebris (h. e. frequens hominibus huc illuc meantibus, discurrentibus) ibi

colae memorant, nec deinde coetu hominum aut circumvolitantium alitum territam pulsamve, donec Otho se ipse interficeret: tum ablatam ex oculis: et tempora reputantibus initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse.

LI. In funere eius novata luctu ac dolore militum seditio. nec erat qui coerceret. ad Verginium versi modo, ut reciperet imperium, nunc, ut legatione apud Caecinam ac Valentem fungeretur, minitantes orabant. Verginius per aversam domus partem furtim digressus inrumpentes frustratus est. Earum quae Brixelli egerant cohortium preces Rubrius Gallus tulit, et venia statim impetrata, concedentibus ad victorem per Flavium Sabinum iis copiis, quibus praefuerat.

esse potuerit. *Coetum hominum* deinde invisitata species adlexit. — Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. et deinde Ernest. et Brot. *celebri vico*, uti etiam legitur in marg. cod. Harl. et super additum est in cod. Ies.

aut circumvolitantium alitum. Sic edd. Spir. Ber. (cum silent. Vict.) et dein Lips. (consensu librorum suorum) Pich. Gruter. sqq. — *aut circumvolitantium alituum* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Alc. — *circumvolitantem alitem* (sine *aut*) MS. Bud. edd. Rhen. Ald. Micyll.

se ipse interficeret. MS. Ies. *se interficeret.* MS. Corb. *se ipsum* etc.

tum ablatam. Ed. Spir. *Tunc ablata.*

Cap. 51. *ut reciperet.* Ed. Spir. *ut inciperet.* Eadem mox *militantes* pro *minitantes.* *Verginius* hic legitur in omnibus libris excepto Guelferbytano, qui fert *Virginium.* cf. not. ad 1, 8.

per aversam domus partem. Vocabulum *aversam* exstat in MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. sqq. — *adversam* MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) Bud. Guelf. Agr. Corb. ed. Spir. Sed cf. infr. 3, 85. *per aversam palatii partem.* An. 1, 66. *aversa hosti porta.* Pervulgaris est utriusque vocabuli permutatio in vett. libris. Vid. interprett. ad Sueton. Ner. c. 48. et not. supr. ad 1, 59. — *partem* exhibent MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) Reg. Guelf. Corb. Harl. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gron. sqq. — *portam* MSS. Bud. Bodl. Harl. (in marg.) edd. Put. M. et V. Beroald. sqq. ad Ryckium.

digressus. Sic vulgo MSS. et edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Iac. Gronovium, qui in MS. Flor. vidit edititque *degressus.* Obtemperarunt Ernest. Brot. sqq. Sed vid. not. ad An. 2, 54. 69. 4, 49. 74. 6, 1. 12, 30. 13, 18. 14, 23.

earum quae Brixelli egerant ... praefuerat. Vulgo punctum ponunt post *tulit* inde a Puteolano. Hinc Freinshemius aut defectum esse locum putabat aut legendum: *tulit, et venia statim impetrata. Concedentibus ... praefuerat; et posito* etc. Bekkerus interpungit: *tulit, et venia statim impetrata concedentibus ad victorem iis copiis, quibus praefuerat.* Sed, nisi

LII. Posito ubique bello magna pars senatus extremum discrimen adiit profecta cum Othone ab urbe, dein Mutinae relicta. illuc adverso de proelio adlatum. sed milites ut falsum rumorem aspernantes, quod infensum Othoni senatum arbitrabantur, custodire sermones, vultum habitumque trahere in deterius: conviciis postremo ac probris causam et initium caedis quaerebant, cum alius insuper metus senatoribus instaret, ne praevalidis iam Vitellii partibus cunctanter excepisse victoriam crederentur. ita trepidi et utrimque anxii coeunt, nemo privatim expedito consilio, inter multos societate culpae tutior. onerabat paventium curas ordo Mutinensis arma et pecuniam offerendo, appellabatque patres conscriptos intempestivo honore.

LIII. Notabile inde iurgium fuit, quo Licinius Caecina Marcellum Eprium ut ambigua disserentem invasit.

fallor, verba *et venia statim impetrata* arte cohaerent cum antecedentibus spectatque *venia impetrata* ad preces Rubrii Galli. Ablativus *concedentibus* etc. non reddit rationem praecedentium, sed simpliciter indicat quae sint facta eodem tempore (*während durch F. S. diejenigen Truppen, welchen er vorgestanden, zum Sieger übergingen*). — Ed. Spir. *his copiis* pro *iis copiis*. Pro *Flavium* MS. Guelf. habet *Fabium*.

Cap. 52. *adverso de proelio*. Sic codd. MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Agr. Guelf. aliique, et edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Ryck. Iac. Gron. sqq. — *de adverso proelio* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. ad Ryck.

vultum habitumque. cf. not. supr. ad 1, 17. Ed. Spir. dat *vultum habitum: trahere* etc.

postremo. Sic MSS. Bud. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *postremum* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. cf. An. 1, 74. *ac postremum sibi invenere* 11, 2. *ac postremum mollitiam corporis obiectante*.

inter multos societate culpae tutior. Unus codex Agr. et inde ed. Ryckii *tutiore*. At societas culpae non erat dicenda tutior, immo senatores societate culpae. Quare Lipsius volebat *tutiores*. Hoc displicet propter verborum seriem, quae inde oritur: *inter multos .... tutiores*. Ernestius bene observavit e voce *nemo* ad alterum membrum intelligendum esse *quisque*, nam *nemo* est *quisque non*. Ceterum in ed. Spir. voc. *culpae* deest.

patres conscriptos. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *patres consultos* MSS. Harl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc., quae scriptura originem traxit e compendio con^{tos}, quod exstat in MS. Bodl.

intempestivo. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *intempesti*. Ultimam syllabam prima proximi vocabuli absorpsit.

Cap. 53. *Notabile inde iurgium fuit, quo* etc. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber.

nec ceteri sententias aperiebant: sed invisum memoria delationum expositumque ad invidiam Marcelli nomen inritaverat Caecinam, ut novus adhuc et in senatum nuper adscitus magnis inimicitiis claresceret. moderatione meliorum dirempti. Et rediere omnes Bononiam rursus consiliaturi: simul medio temporis plures nuntii sperabantur. Bononiae, divisis per itinera qui recentissimum quemque percunctarentur, interrogatus Othonis libertus causam digressus habere se suprema eius mandata respondit: ipsum viventem quidem relictum, sed sola posteritatis cura et abruptis vitae blandimentis. hinc admiratio et plura interrogandi pudor: atque omnium animi in Vitellium inclinavere.

(cum silent. Vict.) Alc. — Rhenanus tacite (fortasse e MS. Bud.) dedit: *notabile iurgium inde fuit*, et sic deinceps vulgo editum est. Apud Brotierium tamen invenio veterem verborum ordinem eumque meliorem. Nam *quo* non respicit ad vocem *inde*, sed ad *iurgium*. Ryckius e MS. Flor. adfert: *notabile Virgenium fuit, quo:* nescio qua fide. Nam Pichena et Iac. Gronovius silentio locum tramittunt cum Victorio. Est tamen scriptura ex tali corruptione orta etiam in MSS. Reg. Corb. ed. Spir., qui libri ferunt: *notabile in Verginium fuit, quo* etc. Eadem insunt codici Agr., nisi quod hic pro *quo* habet *quod*, eamque scripturam expressit Ryckius nemine plaudente. Nesciebat ille quomodo in contextu vulgato intelligi possint *ambigua*, quae Marcellus dicitur disseruisse. Sed accipe *ambigua* de sermonibus in concilio senatorum habitis, quis videretur dubitare, porro in partibus Othonis manerent an aliud consilium caperent. Nam addit Noster: *nec ceteri sententias aperiebant*: aeque igitur ambigue agebant, sed in Marcello Caecina haesit ob causas in contextu adlatas. Ceterum ed. Spir. habet *Marcellium* pro *Marcellum*; *ianua evasit* pro *invasit*; *invisu* pro *invisum*. Pro *disserentem* MS. Guelf. exhibet *deserentem*.

inritaverat. Sic MS. Flor. teste Victorio. *irritaverat* edd. vett. cum MS. Guelf. Acidalius et Dureau de Lamalle malebant *invitaverat*: sed idem melius et efficacius est in vulgato. cf. Sueton. Galb. c. 20. *maxime inritati ad talem iocorum petulantiam*, *quod* etc. Mox ed. Spir. *adscitum* pro *adscitus*.

consiliaturi. Sic MSS. Flor. (test. Ryckio) Bud. Reg. Corb. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. usque ad Lipsium, qui an. 1574. edidit *consultaturi*, idque exstat in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Mox idem Lipsius veterem scripturam restituit edoctus probum esse verbum *consiliare*. cf. Horat. Od. 3, 3, 17.; Art. poet. 196. Plin. epp. 4, 17. Caes. B. C. 1, 19. et 73. Ryckius tamen ne latinum quidem id verbum opinatus e MS. Agr. edidit *consulturi*. Verum posteriores editores ad veterem scripturam rediere. Rhenanus volebat *consilituri* non satis feliciter.

medio temporis. Sic edd. Spir. Lips. sqq. *medio tempore* MSS. Guelf. Bodl. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Lipsium. Nil refert. — Mox diversa est in libris edd. interpunctio. Ed. Spir. *sperabantur. Bononiae . . . . percunctarentur: interrogatus* etc.

LIV. Intererat consiliis frater eius L. Vitellius seque iam adulantibus offerebat, cum repente Coenus libertus Neronis atroci mendacio universos perculit adfirmans superventu quartaedecumae legionis iunctis a Brixello viribus caesos victores, versam partium fortunam. causa fingendi fuit, ut diplomata Othonis, quae negligebantur, laetiore nuntio revalescerent. Et Coenus quidem rapide in urbem vectus paucos post dies iussu Vitellii poenas luit. senatorum periculum auctum credentibus Othonianis militibus vera esse, quae adferebantur. Intendebat formidinem, quod publici consilii facie discessum Mutina desertaeque partes forent. nec ultra in commune congressi sibi quisque consuluere, donec missae a Fabio Valente epistolae demerent metum. et mors Othonis quo laudabilior, eo velocius audita.

LV. At Romae nihil trepidationis. Cereales ludi ex more spectabantur. ut cessisse vita Othonem et a

Edd. Puteol. *sperabantur: Bononiae* . . . . *percontarentur. Interrogatus* etc. Vulgata hodie distinguendi ratio invenitur apud Rhenan. Ald. sqq.

Cap. 54. *Coenus.* Sic e libris antiquis edd. Pich. sqq. et sic esse legendum Lipsius in margine adnotaverat. Alii libri cum cod. Guelf. *Caenus*. Edd. Put. sqq. ad Pichenam et mox MS. Guelf.: *Cenus* (cum silent. Vict.). *Comenus* MSS. Reg. Corb. ed. Spir.

perculit. Sic MS. Guelf. edd. vett. (cum sil. Vict.) et recentt. — MS. Bud. vitiose *pertulit*. Ernestius volebat *percutit* vel *percussit*, ut alibi idem interpres suadebat. cf. not. ad An. 1, 12.

superventu. Ed. Spir. *supuētū*.

diplomata. cf. Plin. epp. 10, 14 et 122. Intellige scriptum a principe aut alio magistratu datum, cuius auctoritate proficiscentibus equi et vehicula publice praeberentur.

rapide in urbem vectus. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. les. edd. Ernest. Brot. sqq. — *rapidus in urbem vectus* MS. Bodl. a secunda manu, edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Ernestium. — *rapidum urbem vectus* MSS. Flor. (test. lac. Gron.) Bud. Reg. Agr. ed. Spir. — Iac. Gronovius emendabat: *raptim in urbem v.* Ryckius et Heinsius: *rapidius in urbem v.* cf. infr. 4, 71.

auctum. Ed. Spir. *actum*, vulgari confusione. cf. not. ad Hist. 4, 28.

intendebat. MS. Guelf. *intendebăt.*

consuluere. Sic MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. — *consulere* MSS. Harl. Bodl. edd. Spir. et nuper Bekkeri. *consuluerant* MS. Corb. — Mox in ed. Spir. particula *donec* non apparet.

quo laudabilior. MS. Guelf. *quoque laudabilior.*

Cap. 55. *Cereales.* Sic MS. Guelf. edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. sqq. — *Ceriales* MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *Cereales* edd. Put. M. et V. — Mox Victorius vocabulum *vita* subscriptis lineolis notavit ut in MS. Flor. non appa-

Flavio Sabino praefecto urbis, quod erat in urbe militum, sacramento Vitellii adactum certi auctores in theatrum attulerunt, Vitellio plausere: populus cum lauru ac floribus Galbae imagines circum templa tulit, congestis in modum tumuli coronis iuxta lacum Curtii, quem locum Galba moriens sanguine infecerat. In senatu cuncta longis aliorum principatibus composita statim decernuntur. additae erga Germanicos exercitus laudes gratesque et missa legatio, quae gaudio fungeretur. recitatae Fabii Valentis epistolae ad consules scriptae haud immoderate: gratior Caecinae modestia fuit, quod non scripsisset.

LVI. Ceterum Italia gravius atque atrocius quam bello adflictabatur. dispersi per municipia et colonias Vitelliani spoliare, rapere, vi et stupris polluere: in omne fas nefasque avidi aut venales non sacro, non profano abstinebant. et fuere qui inimicos suos specie mi-

rent. Ed. Spir. nugatur: *spectabantur ut censuisset Otho et a* etc.

sacramento Vitellii adactum. Ex emendatione Rhenani, quam cum ipso omnes dein editores in contextum receperunt. cf. infr. c. 79. An. 1, 37. — *in sacramento V. adactum* codd. MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Bud. Guelf. aliique, edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — *in sacramenta* MS. Agr. Iac. Gronovius coniiciebat: *iri sacramento Vitellii adactum.* — Mox MS. Flor. test. Vict. *adtulerunt*, et ed. Spir. pro *plausere* dat *plausuri*, nulla distinctione posita ante *populus.* Puteolanus punctum posuit ante *Vitellio.*

floribus. MS. Guelf. *foliis.*

Curtii. MS. Flor. teste Victorio *Curti*, per contractionem. cf. not. ad 1, 41. MS. Guelf. *Curcii.*

composita. H. e. parata, comparata. cf. supr. 1, 89. *ex quo divus Augustus res Caesarum composuit.* Heinsius frustra emendabat *conquisita.*

recitatae. Ed. Spir. *revelatae.*

haud immoderate. Sic MS. Guelf. edd. ante Rhenanum (cum silent. Vict.) et nuper edd. Ernest. Brot. sqq. — *haud immoderatae* edd. Rhen. sqq. ad Ernestium. Latinitas utramque formam patitur et scriptura vett. librorum parum iuvat, quia mire confundunt *e* et *ę* vel *ae.*

gratior Caecinae modestia, quod etc. cf. infr. 4, 4. *Miserat et Mucianus* etc.

Cap. 56. *adflictabatur.* Ed. Spir. *adflictabantur*, nulla distinctione posita ante *dispersi.*

vi et stupris. Ἓν διὰ δυοῖν: stupris violentis. cf. Roth. p. 27.

in omne fas nefasque avidi. H. e. ea aviditate, ut non curarent, utrum esset fas an nefas, quod cupiebant. Sic infr. 3, 51. *tantam victoribus adversus fas nefasque inreverentiam fuisse.* cf. not. ad An. 15, 37. Non igitur erat, quod Ernestius hic offenderetur. Ceterum MS. Guelf. exhibet *atque nefas* pro *nefasque.*

litum interficerent: ipsique milites regionum gnari refertos agros, dites dominos in praedam aut, si repugnatum foret, ad excidium destinabant obnoxiis ducibus et prohibere non ausis. minus avaritiae in Caecina, plus ambitionis: Valens ob lucra et quaestus infamis eoque alienae etiam culpae dissimulator. iam pridem attritis Italiae rebus tantum peditum equitumque, vis damnaque et iniuriae aegre tolerabantur.

LVII. Interim Vitellius victoriae suae nescius ut ad integrum bellum reliquas Germanici exercitus vires trahebat. pauci veterum militum in hibernis relicti, festinatis per Gallias delectibus, ut remanentium legionum nomina supplerentur. Cura ripae Hordeonio Flacco permissa: ipse e Britannico delectu octo millia sibi adiunxit. et paucorum dierum iter progressus prosperas apud Bedriacum res ac morte Othonis concidisse bellum accepit. vocata concione virtutem militum laudibus cumulat. Postulante exercitu, ut libertum suum Asiaticum equestri dignitate donaret, inhonestam adulationem

refertos agros. Ed. Spir. *refectos agros.* Mox eadem: *Minus avaritiae in Cecina: plus Valens ambitionis ob* etc.

tantum peditum etc. Sic MSS. et edd. excepto cod. Guelf., qui dat *tamen peditum* frequenti in illo codice vitio. Acidalius volebat *tanta peditum* etc. Lipsius voc. *tantum* iubet deleri. Perperam. Vocabula *vis damnaque et iniuriae* per ἐπεξήγησιν adponuntur, quasi scriptum esset: tantum peditum equitumque cum vi damnisque et iniuriis, quis per illos adficiebantur homines, aegre tolerabantur.

Cap. 57. *reliquas G. exercitus vires trahebat.* MSS. Bud. et Guelf. *reliquias G. exercitus trahebat.*

delectibus. MS. Guelf. *militibus.* In marg. a rec. manu *delectibus.*

legionum nomina. Acidalius volebat *numeri*; Rupertius *damna.* Immo *nomina.* Nam legiones abierant relicta aliqua e singulis legionibus manu, quae legionum nomina ibi servabat et quae iam supplenda erat, ut integrae fierent legiones. In MS. Guelf. edd. Put. M. et V. deest vocabulum *legionum.*

cura ripae. Sic edd. Pich. Grut. Bernegg. sqq. e cod. MS. Flor., qui dat *curari pae* (test. Vict., qui iubet corrigi *cura ripae*). Pichena ibi vidit *curari pe.* Ceteri libri scripti et ante Pich. editi legunt *cura belli*, quam scripturam e corruptis verbis cod. Flor. ortam studio emendandi nemo dubitabit. — Mox pro *Hordeonio* MS. Bud. habet *Phordeonio.* Littera *P* adhaesit e priore voce. MS. Guelf. *Hordeoneo.* Deinde MS. Guelf. et ed. Spir. *delecta* pro *delectu.*

Bedriacum. Libri, ut supra. cf. not. ad c. 23.

compescit. dein mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter secreta convivii largitur, honoravitque Asiaticum annulis, foedum mancipium et malis artibus ambitiosum.

LVIII. Iisdem diebus accessisse partibus utramque Mauretaniam interfecto procuratore Albino nuntii venere. Luceius Albinus a Nerone Mauretaniae Caesariensi praepositus addita per Galbam Tingitanae provinciae administratione haud spernendis viribus agebat. undeviginti cohortes, quinque alae, ingens Maurorum numerus aderat, per latrocinia et raptus apta bello manus. caeso Galba in Othonem pronus nec Africa contentus Hispaniae angusto freto diremptae imminebat. inde Cluvio Rufo metus, et decumam legionem propinquare litori ut transmissurus iussit: praemissi centuriones, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent. neque arduum fuit magna per provincias Germanici exerci-

compescit. Sic MSS. et edd. ante Rhenanum, qui e MS. Bud. invexerat *compescuit.* Ernestius veterem formam restituit. MS. Agr. ante *compescit* addit *i. petitionem*, quod est glossema vocis *adulationem.*

dein mobilitate. Ed. Spir. *De mobilitate.* MS. Guelf. *dein nobilitate.*

honoravitque. MS. Flor. teste Victorio *oneravitque*, quod non est spernendum. Vix abstineo quin in locum recipiam. cf. supr. 1, 25. *pretio et promissis onerat.* MS. Guelf. *ornavitque.*

annulis. Sic MS. Guelf. a prima manu et ed. Spir. — *anulis* MS. Guelf. a secunda manu et edd. Put. sqq. cf. not. ad An. 2, 2.

Cap. 58. *Iisdem.* Ed. Spir. *Hisdem.*

accessisse. MS. Guelf. *abscessisse.*

Mauretaniam. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. — *Mauritaniam* MS. Guelf. edd. ante Lips. cf. not. ad 1, 11.

Albino. MS. Flor. test. Vict. *Aluino.* Idem liber teste eodem *Tangitanae* pro *Tingitanae.* MS. Guelf. *Tingintane*, et c. 59. *Tingintana.*

undeviginti cohortes. MSS. Flor. (test. Pich. et Iac. Gron.) Reg. Corb. Bud. Agr. ed. Spir. *decem novem.* MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. praeferunt XVIIII. In cod. Guelf. V. excidit. Beroaldus operarum vitio, ut videtur, dedit XVIII, qui numerus propagatus est in posteriores editiones. Ryckius verum numerum reposuit.

in Othonem pronus. Ex emendatione Rhenani, quam dein omnes editores probaverunt. MSS. et edd. ante Rhenanum *in Othone pronus*, nisi quod in cod. Harl. secunda manus mutavit *in Othonem.*

Cluvio. Sic MS. Guelf. edd. Rhen. sqq. — *Clivio* edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Sed cf. 1, 8. Ed. Spir. *Ruffo*, uti solet. Mox eadem pergit: *quartam et decimam legionem* pro *metus: et decumam legionem.*

tus fama. spargebatur insuper spreto procuratoris vocabulo Albinum insigne regis et Iubae nomen usurpare.

LIX. Ita mutatis animis Asinius Pollio alae praefectus e fidissimis Albino, et Festus ac Scipio cohortium praefecti opprimuntur. ipse Albinus, dum e Tingitana provincia Caesariensem Mauretaniam petit, adpulsus litori trucidatur. uxor eius, cum se percussoribus obtulisset, simul interfecta est. Nihil eorum quae fierent Vitellio anquirente brevi auditu vi quamvis magna transibant. impar curis gravioribus exerci-

fama. spargebatur insuper etc. MS. Agr. ed. Spir. *fama spargebatur. Insuper* etc.

Cap. 59. *e fidissimis.* Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *et fidissimus* MS. Bud. ed. Spir. — Mox eadem ed. Spir. *a Tingitana* pro *e Tingit.*

adpulsus litori. Sic MSS. Guelf. (*apulsus* ibi) Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. sqq. eamque scripturam Victorius intactam reliquit, nisi quod *appulsus* ed. Beroald. mutat e MS. Flor. in *adpulsus.* Contra *adpulsu littoris* MSS. Agr. Reg. ed. Spir. Ryckius e MS. Flor. adfert: *petiti appulsu litoris.* Pichena et Iac. Gronovius tacent, dum edunt: *petit, appulsus litori.* Quare satis dubium videtur esse testimonium Ryckii.

trucidatur. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et dein Lipsii posteriores, Pich. Grut. sqq. — *trucidatus* MSS. Bud. Agr. edd. Spir. Rhen. sqq. cum Lipsii prima. Id genus varietatis ortum est e compendio scripturae *trucidat*".

percussoribus. Ed. Spir. *persecutoribus.*

nihil eorum, quae fierent, Vitellio anquirente brevi auditu vi quamvis magna transibant. Sic MS. Flor. testante Victorio cum aliis, nisi quod Ryckius inde adfert *breve* pro *brevi.* Consentiunt fere codd. MSS., quos Lipsius vidit, et Reg. Corb. ed. Spir., qui libri pro *anquirente* ferunt *acquirente* et ed. Spir. *breve* pro *brevi:* qua in re an ceteri libri suffragentur non est proditum. Verum *e* et *i* saepissime in vett. libris confunduntur. Conspirant tamen hi omnes in addito *vi* et in *transibant.* Ita et MS. Bud., nisi quod scribit *in* pro *ui.* Alia loci ratio est in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf., qui libri pro *anquirente* dant *inquirente* omittuntque *vi*, consentiunt tamen in *transibant.* MS. Agr. *in quamvis magna transibat.* Puteolanus locum constituit in hunc modum: *nihil eorum quae fierent Vitellio inquirente brevi auditu quamvis magna transibat. Impar* etc. Etiam ed. Spir. punctum habet ante *impar.* Rhenanus plenam distinctionem posuit ante *brevi* et comma ante *impar*, punctum post *gravioribus.* Eodem modo edd. Ald. et Micyll. Lipsius id tantum mutavit, ut pro *inquirente* e libris melioribus reponeret *anquirente* (cf. not. ad An. 12, 6. et 13, 6.). Iam inde a Lipsio locus legitur ita: *interfecta est: nihil eorum, quae fierent, Vitellio anquirente. brevi auditu quamvis magna transibat, impar curis gravioribus. Exercitum* etc. Verum non video, quid commune habeant *Albinus truci-*

tum itinere terrestri pergere iubet: ipse Arare flumine devehitur nullo principali paratu, sed vetere egestate conspicuus, donec Iunius Blaesus Lugdunensis Galliae rector, genere inlustri, largus animo et par opibus, circumdaret principis ministeria, comitaretur liberaliter, eo ipso ingratus, quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret. Praesto fuere Lugduni victricium victarumque partium duces. Valentem et Caeci-

datus, *uxor eius interfecta et Vitellius nihil eorum*, *quae fierent*, *anquirens*. Alio plane nexu huius loci partes cohaerent. Ab initio cap. 58. auctor refert: *iisdem diebus .... venere*. Deinde uberiore narratione res in Africa tunc gestas exponit absolvitque verbis: *simul interfecta est*. Iam redit ad Vitellium. Exspectaveras Vitellium eiusque comites summa laetitia et ut rem gravissimi momenti accepisse ac celebrasse illam utriusque Mauretaniae accessionem. Sed alius ibi animorum habitus fuit. *Nihil eorum quae fierent Vitellio anquirente brevi auditu vi quamvis magna transibant* (intellige illa e Mauretania adlata). *impar curis* etc. — *Vi magnae* sunt res, quibus opponuntur res specie tantum magnae. Has licet negligere et brevi tantum auditu accipere: illae accuratius erant reputandae.

paratu. Sic codd. MSS. Flor. (teste Victorio) Corb. Bodl. (hic in margine) edd. Spir. Rhen. (e MS. Bud., ut videtur) Ald. sqq. — *apparatu* MSS. Harl. Bodl. (in contextu) Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. cf. not. ad An. 11, 30.

vetere egestate conspicuus. Sueton. Vit. c. 7. *Satis constat exituro* (int. in provinciam) *viaticum defuisse*, *tanta egestate rei familiaris*, *ut uxore et liberis*, *quos Romae relinquebat*, *meritorio coenaculo abditis domum in reliquam partem anni ablocaret*, *utque ex aure matris detractum unionem* *pigneraverit ad itineris impensas.*

Iunius Blaesus. Ed. Spir. *Iullius Blaesus.* Sed cf. supr. 1, 59.

genere inlustri. MS. Agr. ed. Spir. *illustris.*

principis ministeria. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Victorii) Alc. et deinde e sententia I. Fr. Gronovii edd. Ryck. Ernest. Brot. Recte. Nam *principis ministeria* dicuntur ut supr. 1, 58. *ministeria principatus.* Contra *principi ministeria* MSS. Bud. Corb. Agr. edd. Spir. Rhen. sqq. ad Ryckium, et post Ryckium edd. Iac. Gronov. Bipont. Oberlin. sqq. Scilicet ob verbum *circumdaret* emendandi studio ortum est *principi.* Sed intellige illum Vitellio principis ministeria circumdedisse. — Mox verba *comitaretur liberaliter* a pr. m. in MS. Guelf. omissa secunda manus in margine addidit.

vernilibus blanditiis. MS. Flor. test. Vict. *vēnilibus*, quod Pichena recte legit *vernilibus* inque contextum recepit adprobante Lipsio. Et ita esse legendum iam pridem Rhenanus coniectaverat. cf. infr. 3, 32. *vernile dictum.* Ante Pichenam vulgabatur *humilibus*, quod exstat in MSS. Agr. Reg. edd. Spir. Put. sqq. ad Pichenam. — *iuvenilibus* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. (hic a sec. manu; nam a prima manu ibi est *iuvenibus*). MSS. Harl. Bodl. Ies. in margine habent *humilibus.* Ed. Spir. verba habet alio ordine: *Vitellius odium humilibus* etc.

nam pro concione laudatos curuli suae circumposuit. Mox universum exercitum occurrere infanti filio iubet, perlatumque et paludamento opertum sinu retinens Germanicum appellavit cinxitque cunctis fortunae principalis insignibus: nimius honos inter secunda rebus adversis in solatium cessit.

LX. Tum interfecti centuriones promptissimi Othonianorum: unde praecipua in Vitellium alienatio per Illyricos exercitus. simul ceterae legiones contactu et adversus Germanicos milites invidia bellum meditabantur. Suetonium Paullinum ac Licinium Proculum tristi mora squalidos tenuit, donec auditi necessariis magis defensionibus quam honestis uterentur. proditionem ultro imputabant, spatium longi ante proelium itineris, fatigationem Othonianorum, permixtum ve-

perlatumque. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Corb. edd. Spir. Pich. Lipsii postr. Grut. sqq. Victorius tamen intactum reliquit *perlatum* (sine *que*), quod habetur in MSS. Bodl. Ies. Harl. Guelf. Bud. edd. Put. Beroald. sqq. ad Pichenam.

sinu retinens. Ed. Spir. *sinum retinens*.

in solatium cessit. Quomodo *in solatium?* Nesciunt interpretes. Quare Dureau de Lamalle emendat: *in exitium*; Woltmannus: *in solidum*; Strombeckius negationem addit. Gutmannus adscripsit haec: *Die Verdorbenheit dieser Worte ist offenbarer, als die Herstellung leicht*. Sed fortasse nec emendatione indiget, nec bono sensu caret. Nihil enim absurdi video, si nimius honos inter secunda dicitur eum habuisse eventum, ut pensatio adversarum rerum fuisse videatur, quas postea expertus est. Similis plane sententia legitur An. 14, 63. *Laeta aliqua viderant et praesentem saevitiam melioris olim fortunae recordatione levabant*.

Cap. 60. *Tum interfecti centuriones promptissimi O*. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *tum interfectis centurionibus promptissimi O*. ed. Spir. — *tum interfectis centuriones p. O*. MS. Reg. — Hinc Gruterus coniecit legendum: *interfecti ex centurionibus*, quam rationem vix patitur genitivus *Othonianorum*. Suetonius Vit. c. 10. memorat centum et viginti praetorianos supplicio adfectos. cf. Nostr. supr. 1, 44.

contactu. Ed. Spir. *contractu*. MS. Guelf. *cuntactu:* sed littera *v* est a secunda manu. cf. Hist. 1, 11. *contactu valentiorum*.

tristi mora squalidos tenuit. Rupertius vult: *tristis mora squalidos terruit*. Nam dura ipsi videtur ellipsis subiecti. Vix credo tali medicina opus esse. Subiecti notio per contextum satis in promptu est, nempe *Vitellius*. Is viros illos tristi mora squalidos tenuit, non statim audivit, in suspenso tenuit, an reciperentur in partes.

defensionibus. MS. Guelf. *offensionibus*. — Mox *spatium* MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Lips.; *spacium* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Lipsium.

hiculis agmen ac pleraque fortuita fraudi suae adsignantes: et Vitellius credidit de perfidia et fidem absolvit. Salvius Titianus Othonis frater nullum discrimen adiit pietate et ignavia excusatus. Mario Celso consulatus servatur. sed creditum fama obiectumque mox in senatu Caecilio Simplici, quod eum honorem pecunia mercari nec sine exitio Celsi voluisset. restitit Vitellius deditque postea consulatum Simplici innoxium et inemptum. Trachalum adversus criminantes Galeria uxor Vitellii protexit.

LXI. Inter magnorum virorum discrimina (pudendum dictu) Mariccus quidam e plebe Boiorum inserere sese fortunae et provocare arma Romana simulatione numinum ausus est. iamque adsertor Galliarum et deus (nomen id sibi indiderat) concitis octo millibus hominum proximos Aeduorum pagos trahebat, cum

creditum fama. H. e. fama fuit et famae rumore creditum est. Sic fama opponitur certis auctoribus. Lipsius volebat: *deditum fama;* Freinshemius: *creditum famae;* Rupertius: *credita fama.* Frustra.

quod eum honorem pecunia. Ed. Spir. *q cum honore pecuniae.* MS. Guelf. *qui eum honorem p.*

innoxium et inemptum. Ed. Spir. *ineptum et innoxium.* MS. Guelf. *innoxium et ieptū*, una lineola neglecta.

Trachalum. Sic edd. Spir. Rhenan. sqq. — *Thracalum* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.). cf. supr. 1, 90. — *chracalum* MS. Guelf.

Galeria. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. — *Galleria* edd. Put. M. et V Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. cf. not. ad c. 64. Ceterum ed. Spir. nulla distinctione post *protexit* posita sententiam continuat usque ad *dictu.*

Cap. 61. *Mariccus.* Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Bodl. Corb. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat. et deinde Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *Maricus* MSS. Bud. Ies. Guelf. (a sec. manu) edd. Rhen. sqq. — *Mauricus* MS. Reg. — *Mariceus* MS. Agr.

e plebe Boiorum. MS. Agr. *e plebe Heduorum.* Ed. Spir. *e plebeiorum.* Sed cf. Caes. B. G. 1, 28. *Boios petentibus Aeduis, quod egregia virtute erant cogniti, ut in finibus suis collocarent, concessit.*

adsertor. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *assertor* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. sqq.

nomen id sibi indiderat. Sic edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — *nam id sibi indiderat* codd. MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. Guelf. aliique, edd. Spir. Puteol. M. et V. — Victorius e MS. Flor. pro *nomen*, quod legitur apud Beroaldum, adfert *nāt*, unde coniicio legendum potius: *nam tituli id sibi indiderat.* Ernestius malebat: *nam id sibi indiderat nomen* vel *nominis.*

trahebat. Gutmannus interpretatur *plündern*, ut An. 3, 74. Melius tamen cogitabis de trahendo in partes, de possessione militari, ut An. 1, 31. 36. 60. 13, 57.

gravissima civitas electa iuventute adiectis a Vitellio cohortibus fanaticam multitudinem disiecit. captus in eo proelio Mariccus ac mox feris obiectus quia non laniabatur, stolidum vulgus inviolabilem credebat, donec spectante Vitellio interfectus est.

LXII. Nec ultra in defectores aut bona cuiusquam saevitum. rata fuere eorum, qui acie Othoniana ceciderant, testamenta aut lex intestatis. prorsus, si luxuriae temperaret, avaritiam non timeres. Epularum foeda et inexplebilis libido: ex urbe atque Italia inritamenta gulae gestabantur strepentibus ab utroque mari itineribus: exhausti conviviorum adparatibus principes civitatum: vastabantur ipsae civitates: degenerabat a labore ac virtute miles adsuetudine voluptatum et con-

gravissima civitas. Epitheton ornans et honoris causa additum, ut significet civitatem non leviter et temere, ut fanatica multitudo, sed consilio agentem. Sic Cic. de Off. 2, 16. *gravi vero homini et ea, quae fiunt, iudicio certo ponderanti.* Stant ab hac parte Bipontini, Dotteville et Dureau de Lamalle. Ernestio *gravissima* non satis recte est *potens*, *valida.*

laniabatur. MS. Guelf. *laniebatur.*

Cap. 62. *in defectores.* Int. Maricci adseclas. Ita Dureau de Lamalle. Dotteville cogitat de Othonianis. Et sane hi etiam poterant defectores dici: nam Vitellius se gerebat ut Galbae ultorem. Sed quia praecessit narratio de Maricci tumultu, ad hos potius defectores illud vocabulum referes. MS. Guelf. omittit *in* ante *defectores.*

qui acie Othoniana. MS. Corb. ed. Spir. *qui in acie Othoniana.*

si luxuriae temperaret. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et deinde Pich. Lipsii postr. Bernegg. sqq. — *si luxuriam temp.* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Rhenan. Ald. Micyll. Lipsii priores et Gruterus. Sed cf. An. 1, 59. *neque probris temperabat*; 15, 16. *lacrimis.* Hist. 1, 69. *minis ac verbis*; 3, 31. *victoriae.* Contra *temperare aliquid* Tacito est regere, tractare, ad certum modum revocare. cf. An. 1, 67. *consilio temperanda arma*; 3, 59. *caerimonias ..... temperavit*; 13, 51. *subvectio temperata.* Hist. 1, 48. *militiae munia temperare.* Vid. ib. not. Ceterum pro *temperaret* edd. Put. V. et Alc. dant *temperares.* In edd. Put. M. et Beroald., ni oculi falsi mihi sunt, vidi *temperaret.*

epularum foeda. Ed. Spir. *epistolarum feda.*

inexplebilis. Sic edd. vett. (cum sil. Vict.) et recentt. — *inexpiabilis* MSS. Harl. Guelf. In Harl. sec. manus correxit *inexplebilis.* — Mox MS. Guelf. *irratamenta:* dein *exhaustis* a secunda manu.

ipsae civitates. In MS. Guelf. edd. Put. M. et V. vocabulum *ipsae* deest.

adsuetudine. Sic MS. Flor. (t. Vict.) ed. Spir. — *assuetudine* edd. Put. Beroald. Rhen. sqq. cum MS. Guelf.

temptu ducis. Praemisit in urbem edictum, quo vocabulum Augusti differret, Caesaris non reciperet, cum de potestate nihil detraheret. Pulsi Italia mathematici. cautum severe, ne equites Romani ludo et arena polluerentur. priores id principes pecunia et saepius vi perpulerant, ac pleraque municipia et coloniae aemulabantur corruptissimum quemque adulescentium pretio inlicere.

LXIII. Sed Vitellius adventu fratris et inrepentibus dominationis magistris superbior et atrocior occidi Dolabellam iussit, quem in coloniam Aquinatem sepositum ab Othone rettulimus. Dolabella audita morte Othonis urbem introierat. id ei Plancius Varus praetura functus, ex intimis Dolabellae amicis, apud Flavium Sabinum praefectum urbis obiecit, tanquam rupta custodia ducem se victis partibus ostentasset. addidit tentatam cohortem, quae Ostiae ageret: nec ullis tantorum criminum probationibus in poenitentiam

contemptu. MS. Guelf. *contentu.*

differret. Ed. Spir. *desereret.*

potestate. MS. Guelf. *postate.*

pulsi Italia mathematici. cf. Sueton. Vit. c. 14. Xiphil. 65, 1.

ludo et arena. MSS. Reg. Guelf. (hic a sec. manu) ed. Spir. *luto et arena.*

adulescentium. Sic edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Micyll. — *adolescentium* edd. ante Beroald. et dein Lips. sqq.

inlicere. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *illicere* MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *allicere* ed. Spir.

Cap. 63. *inrepentibus.* Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *irrepentibus* edd. Put. sqq. cum MS. Guelf.

Dolabellam. Sic edd. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *Dolobellam* MS. Guelf. edd. Spir. Put., hic et in sqq. Sed supr. 1, 88. ed. Spir. dat *Dolabella*, et mox in hoc ipso capite *Dolabellae.* Utraque scriptura in vett. monimentis invenitur.

rettulimus. cf. supr. 1, 88.

Plancius. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) edd. Iac. Gronov. Ernest. Brot. sqq. Suffragantur nummi apud Pellerin. Mel. d. Med. t. 2. p. 39. tab. 26. num. 4. Spanhem. de U. et Pr. NN. t. 2. p. 593. — *Plantius* ed. Spir. — *Plautius* MSS. Harl. Bodl. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. ad Iac. Gronovium. — *Plaucius* MSS. Reg. Guelf. Ies. — *Platius* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — Mox ab ed. Spir. abest voc. *amicis.*

ostentasset. MS. Agr. ed. Spir. *ostentaret.*

Ostiae. Sic edd. Gron. (1672.) Ryck. sqq. — *Hostie* MS. Guelf. — *Hostiae* edd. vett. et recentt. usque ad Gronovium. cf. not. ad An. 2, 40.

nec ullis tantorum criminum probationibus in poenitentiam versus seram veniam post scelus quae-

versus seram veniam post scelus quaerebat. cunctantem super tanta re Flavium Sabinum Triaria L. Vitellii uxor, ultra feminam ferox, terruit e periculo principis famam clementiae adfectare. Sabinus suopte ingenio mitis, ubi formido incessisset, facilis mutatu et in alieno discrimine sibi pavens, ne adlevasse videretur, impulit ruentem.

LXIV. Igitur Vitellius metu et odio, quod Petroniam uxorem eius mox Dolabella in matrimonium accepisset, vocatum per epistolas vitata Flaminiae viae

rebat. Sic locus legitur in edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Micyll. 1557. Consentiunt MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. — Rhenanus pro *seram* posuit *secundam*, quod exstat in MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. — Idem post *versus* comma addidit, eamque rationem retinuere Ald. Micyll. Lips. sqq. — Lipsius in postrema et Pich. Bernegg. sqq. restituere *seram.* Bipontini, Oberlinus sqq. distinguunt: *nec ullis t. c. probationibus: in poenitentiam versus seram, veniam post scelus quaerebat.* Verum colon illud post *probationibus* nihili est; sententia loci potius cohaeret ita: et quum Plancius nullas tantorum criminum, quae obiecerat, probationes edere posset, ipsum poenituit criminationis, ut post scelus commissum veniam quaereret, sed sero: non enim poterat impedire, quo minus crimina Dolabellae obiecta huic essent in exitium.

super tanta re. Ed. Spir. *supertētare.*

Triaria. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *Triara* edd. Put. Beroald. Alc. Sed cf. c. 64.

terruit e periculo principis famam clementiae adfectare. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Harl. Bodl. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. et ita tacite ediderunt Pichena et Iac. Gronovius. Falsus igitur videtur esse Ryckius, qui prodidit in MS. Flor. esse *affectaret.* Decepit illum compendium *adfectar̄*, quod etiam exstat in edd. Puteolani, unde Ernestius perperam protulit *affectaret.* Structura verborum: *terruit .... adfectare* aeque proba est atque illud *inlectus ... ducere* An. 2, 37. Vid. ibi not. Sed quia haec verborum ratio non satis apta visa est, fuere qui emendarent: *terruit, ne periculo pr. f. c. adfectaret*, uti locum ferunt MS. Reg. et edd. Spir. Ernest. Brot. sqq. — MS. Bud. nugatur: *terruit e periculo ... affectaret.* MS. Agr. *terruit: tanquam e periculo ... affectaret.* In MS. Guelf. contextus pro *terruit* fert *tremuit.* Sed in margine ab eadem veteri manu legitur *vel terruit.*

adlevasse. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *allevasse* MS. Guelf. edd. vett. — Eadem varietate prius *adfectare* MS. Flor. test. Vict.; *affectare* MS. Guelf. edd. vett.

Cap. 64. *Petroniam uxorem eius.* cf. Sueton. Vit. c. 6.

Flaminiae. Ed. Spir. *flamineae.*

celebritate devertere Interamnium atque ibi interfici iussit. longum interfectori visum: in itinere ac taberna proiectum humi iugulavit magna cum invidia novi principatus, cuius hoc primum specimen noscebatur. Et Triariae licentiam modestum e proximo exemplum onerabat, Galeria imperatoris uxor non immixta tristibus, et pari probitate mater Vitelliorum Sextilia, antiqui moris. dixisse quin etiam ad primas filii sui epistolas ferebatur non Germanicum a se, sed Vitellium geni-

devertere. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Agr. Corb. Bud. Reg. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. Victorius intactum reliquit *divertere*, quod ferunt codd. MSS. Guelf. aliique, edd. Put. Beroald. sqq. ad Ryckium. Fortassis viri docti magis anxie utramque scripturam discernunt quam fecere veteres auctores.

Interamnium. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Agr. Reg. Bodl. Guelf. edd. Iac. Gronov. Ernest. Broter. sqq. Victorius intactam reliquit scripturam *Interamnam*, quam praeferunt edd. Put. M. et V. Beroald. sqq. ad Iac. Gronovium. cf. infr. 3, 61 et 63. Non igitur video, quo tandem fructu Iac. Gronovius in hunc locum revocaverit *Interamnium*, dum aliis locis manet *Interamna:* quae scripturae inconstantia non potest non esse ingrata. Ed. Spir. dat *intra Annium.* MSS. Harl. Ies. *Interannium.* MS. Bud. *iter ariuninum.*

ibi interfici. In MS. Guelf. non legitur *ibi.*

longum interfectori visum: in itinere ac t. etc. Sic edd. ante Rhenanum (cum silent. Vict.) et deinde Micyll. (1557.) Lips. (e suis libris) Pich. sqq. Concinunt codd. MSS. (nisi quod Guelf. fert *longô* h. e. *longom*) uno excepto Bud., unde Rhenanus obtemperante Aldo edidit: *Longum interfectori: in itinere visum, ac taberna* etc.

Triariae. Sic omnes libri. cf., not. ad c. 63.

e proximo exemplum. Ed. Spir. *me proximo exemplo.*

Galeria. Sic edd. Put. sqq. — *galleria* ed. Spir. Vid. not. ad c. 60. MS. Guelf. hic *Gloria.*

non immixta tristibus. Ex emendatione I. Fr. Gronovii, quam in locum recepere Ernest. Broter. sqq. — Gronovio hanc emendationem praeivit cod. MS. Flor., qui test. Pich. dat *non inmix tristibus.* Ed. Spir. *non imixtricibus.* Victorius intactum reliquit *non minax tristibus*, quod exstat in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. ad Pichenam, qui e vestigiis MS. Flor. coniecit ediditque *non inmitis tristibus*, quae mansere per edd. Bernegg. Gronov. Ryck. Iac. Gronov. — MS. Bud. fert *non minis tristibus*, quae placebant Rhenano; MS. Agr. *non immanis tristibus.* De veritate emendationis Gronovianae vix dubitabis.

Sextilia. cf. Sueton. Vit. c. 3 et 14. Nostr. infr. c. 89. et 3, 67.

dixisse ... ferebatur etc. Sueton. c. 3. *Genituram eius praedictam a mathematicis ita parentes exhorruerant, ut pater magno opere semper contenderit, ne qua ei provincia vivo se committeretur, mater et missum ad legiones et appellatum imperatorem pro adflicto statim lamentata sit.*

tum. nec ullis postea fortunae inlecebris aut ambitu civitatis in gaudium evicta domus suae tantum adversa sensit.

LXV. Digressum a Lugduno Vitellium M. Cluvius Rufus adsequitur omissa Hispania, laetitiam et gratulationem vultu ferens, animo anxius et petitum se criminationibus gnarus. Hilarius Caesaris libertus detulerat, tanquam audito Vitellii et Othonis principatu propriam ipse potentiam et possessionem Hispaniarum tentasset eoque diplomatibus nullum principem praescripsisset. interpretabatur quaedam ex orationibus eius contumeliosa in Vitellium et pro se ipso popularia. auctoritas Cluvii praevaluit, ut puniri ultro libertum suum Vitellius iuberet. Cluvius comitatu principis adiectus non adempta Hispania, quam rexit absens exemplo L. Arruntii. eum Tiberius Caesar ob metum,

evicta. Sic MSS. Flor. (t. Vict. cum Iac. Gronov.) Harl. Ies. Guelf. (a pr. manu) Bud. et inde edd. Rhenan. Ald. sqq. ad Pichenam, qui maluit reddere *evecta*, quod exstat in MSS. Farnes. Reg. Agr. Bodl. Guelf. (a sec. manu) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. — Ryckius falso prodidit *evecta* etiam in Flor. esse. — Pichenam tamen secuti sunt Lipsius in ed. postrema, Bernegg. sqq. ad Iac. Gronovium, qui restituit *evicta*, stantque pro hac scriptura exempla An. 4, 57. *precibus uxoris evictus*; 11, 37. *supremis eius necessitatibus ad miserationem evicta*; 15, 64. *blandimentis vitae evictam.*

Cap. 65. *a Lugduno.* Ed. Spir. *a lugdunio.*

M. Cluvius Rufus. Sic edd. Rhenan. sqq. — *M. Cliuius Rufus* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *M. Cluuius Ruffus* ed. Spir. cf. not. ad c. 58.

interpretabatur. Ernestius coniiciebat *et interpretabatur* vel *interpretabaturque.* Bene, ut mihi videtur: nam copula *que* facile potuit absorberi a vocabulo proximo.

ex orationibus. Sic verissime emendavit Rhenanus, et ita esse legendum Victorius in suo exemplari adnotaverat. Edd. ante Rhenanum et MSS. *ex hortationibus*, nisi quod in MS. Harl. emendatum est *ex orationibus.*

comitatu. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Lips. (e MS. Farnes.) Pich. Gruter. sqq. ad Ryckium et Iac. Gronovium, qui edidere *comitatui*, ut e MS. Flor. Consentiunt in *comitatui* MSS. Bodl. Corb. Bud. edd. Rhen. Ald. Micyll. 1557. Verum Nostro dativum illum exhiberi per *u* exempla docent. cf. not. ad An. 3, 30. et 33. 6, 23. et alibi.

exemplo L. Arruntii. eum Tiberius Caesar etc. Ex emendatione Pichenae, quam cum ipso in locum receperunt Bernegg. Gronov. sqq. Nam in MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Reg. ed. Spir. leguntur haec: *exemplo L. Arruntium Ti. Caesar.* Ante Pichenam locus edebatur ita: *exemplo L. Arruntii, quem Tiberius Caesar* etc., uti legitur in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf.,

Vitellius Cluvium nulla formidine retinebat. Non idem Trebellio Maximo honos. profugerat Britannia ob iracundiam militum: missus est in locum eius Vettius Bolanus e praesentibus.

LXVI. Angebat Vitellium victarum legionum haudquaquam fractus animus. sparsae per Italiam et victoribus permixtae hostilia loquebantur, praecipua quartadecumanorum ferocia, qui se victos abnuebant, quippe Bedriacensi acie vexillariis tantum pulsis vires legionis non adfuisse. Remitti eos in Britanniam, unde a Nerone exciti erant, placuit, atque interim Batavorum cohortes una tendere ob veterem adversus quartadecumanos discordiam. nec diu in tantis armatorum odiis quies fuit. Augustae Taurinorum dum opificem quendam Batavus ut fraudatorem insectatur, legionarius ut hospitem tuetur, sui cuique commilitones adgregati a conviciis ad caedem transiere. et proelium atrox arsisset, ni duae praetoriae cohortes causam quartadecumanorum secutae his fiduciam et metum Batavis fecissent. quos Vitellius agmini suo iungi ut fidos, legionem Graiis Alpibus traductam eo flexu itineris ire iubet, quo

edd. Put. sqq. ad Pichenam. Sed illud *quem* scabrosi quid habet in hac verborum serie. MS. Bud. nugatur *Arutium p. Cesar.* MS. Guelf. omittit nomen *Tiberius.*

Britannia. MS. Guelf. *Britannia*, vitiose.

Vettius Bolanus. Sic scripsit Ryckius e lapidibus. cf. not. ad An. 15, 3. — *Vectius B.* edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Rhen. sqq. — *Bectius B.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. — *Bertius Bollanus* ed. Spir. — Ceterum in edd. Put. sqq. locus male distinguitur: *Bolanus. E praesentibus angebat* etc. eaque ratio mansit usque ad Pichenam, qui suadente Lipsio interpunxit, uti hodie legimus locum et sic MSS. Flor. Reg. ed. Spir.

Cap. 66. *Bedriacensi.* Libri, ut c. 23.

exciti. Ed. Spir. *acciti.* Eadem non habet *cohortes*, quod proxime sequitur. — Mox eadem *agusta thaurinorum.*

a conviciis. Edd. Put. M. et V. cum MS. Guelf. non habent praep. *a.* — Paulo ante MS. Guelf. *si quoique* pro *sui cuique.*

arsisset. Sic MSS. et vett. edd. Ryckius tamen quum ex uno cod. Agr. protulisset *exarsisset* idque in margine posuisset, Bipontini, Oberlin. sqq. ita ediderunt. Bekkerus recte veterem scripturam reposuit. Nam simplex verbum Tacito eadem vi ponitur. cf. An. 4, 40. *inimicitias ... longe acrius arsuras*; 1, 73. *exitium ... arserit.*

Graiis Alpibus. Sic edd. Rhen. sqq. — *Grais Alpibus* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum

Viennam vitarent. namque et Viennenses timebantur. Nocte, qua proficiscebatur legio, relictis passim ignibus pars Taurinae Coloniae ambusta: quod damnum ut pleraque belli mala maioribus aliarum urbium cladibus oblitteratum. Quartadecumani postquam Alpibus degressi sunt, seditiosissimus quisque signa Viennam ferebant. consensu meliorum compressi et legio in Britanniam transvecta.

LXVII. Proximus Vitellio e praetoriis cohortibus metus erat. separati primum, deinde addito honestae missionis lenimento arma ad tribunos suos deferebant, donec motum a Vespasiano bellum crebresceret: tum resumpta militia robur Flavianarum partium fuere. Prima classicorum legio in Hispaniam missa, ut pace et otio mitesceret: undecuma ac septima suis hibernis redditae: tertiadecumani struere amphitheatra iussi. nam Caecina Cremonae, Valens Bononiae spectaculum gladiatorum edere parabant, nunquam ita ad curas intento Vitellio, ut voluptatum oblivisceretur.

sil. Vict.) Alc. — *girat: alpibus* ed. Spir.

ambusta. MS. Guelf. *absumpta.*

oblitteratum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. edd. Rhen. sqq. — *oblitteratum est* MSS. Reg. Harl. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc.

degressi sunt. Sic e MS. Flor. edd. Pich. Gruter. Gronov. (1672.) sqq. Victorius tamen intactum reliquit *digressi sunt*, quod invenitur in MSS. Bud. Guelf. aliisque, et in edd. vett. et Lips. Bernegg. cf. not. ad An. 2, 54.

Cap. 67. *separati.* Sic MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. (ibi est *seperati*) Corb. edd. Rhenan. Ald. sqq. Eandem scripturam inesse codici Flor. testantur Ernestius et Broterius, non invenio qua fide. Nam Pichena atque Iac. Gronovius hoc silentio transmittunt, et Victorius patitur *separatae*, quod ferunt edd. Spir. Put. Beroald. Alc. Sic c. 66. *sparsae* de legionibus.

deferebant. Sic codd. MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. Guelf. aliique, et edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. Sed in Guelf. deest *suos.* — *ferebant* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Pichenam.

crebresceret. Edd. Spir. Put. *crebesceret.* cf. not. ad An. 2, 39. — Mox ed. Spir. pro *tum* habet *tunc.*

tertiadecumani . . . iussi. Ex emendatione Rhenani, quam confirmari a cod. Flor. testatur Ryckius. Ante Rhenanum edd. et plerique codd. MSS. (etiam Guelf.) *tertiam decimam . . . iussit.* MS. Bud. *tertia decima ... iussit.* Ceterum frequens est in vett. libris ea confusio, qua ferunt *am* pro *ani* in numeralibus: et hic prius vitium traxit alterum, *iussit* pro *iussi.*

voluptatum. Sic codd. MSS.

LXVIII. Et quidem partes modeste distraxerat: apud victores orta seditio ludicro initio, ni numerus caesorum invidiam bello auxisset. Discubuerat Vitellius Ticini adhibito ad epulas Verginio. legati tribunique ex moribus imperatorum severitatem aemulantur vel

Flor. (test. Pich.) Bud. Guelf. aliique et edd. Spir. Pichen. Gruter. Bernegg. sqq. — *voluptates* edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Pichenam. — Paulo ante MS. Guelf. *nonquam*.

Cap. 68. *distraxerat.* Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Vatic. (test. Lips.) Guelf. Harl. Ies. edd. Pich. Gruter. Bernegg. sqq. — *distinxerat* MSS. Reg. Bodl. Bud. edd. Spir. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. ad Pichenam. — *distinxerant* MS. Farnes.

ludicro initio. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Corb. edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. — *ludicrorum initio* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — MS. Farnes. voc. *ludicro* omittit.

ni numerus caesorum invidiam bello auxisset. Locus in vett. libris fractus, bene tamen a Rhenano restitutus in eum modum, quo nunc legitur. Et primum quidem particula *ni* vel *nisi* in plerisque libris vett. (MSS. Flor. Reg. Vat. Corb. Bud. Guelf. Bodl. edd. Spir. Put. Ber. Alc.) non apparet. Inveniuntur tamen apud alios vestigia eius particulae. Nam MS. Agr. pro *ni numerus* dat *ni metus*, quod etiam in Vatic. supra additum est. MSS. Corb. Farnes. *in motus;* MS. Bud. *nūs nus.* Reposuit igitur Rhenanus *nisi.* — Deinde *auxisset* ferunt MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Reg. Corb. Bud. Agr. Bodl. (in margine) edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *auxit* MSS. Harl. Bodl. (in contextu) Ies. Guelf. (ibi est *auẍ*) edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. — Ryckius scripturam Puteolani revocaverat, quam recentiores editores rectius aspernati sunt. Nam forma *auxisset* in optimis libris non est de nihilo, et *ni* facillime potuit absorberi ante *numerus.* Sed de sententia loci plerique falluntur. Constituunt talem: „Ludicra res fuisset initio suo, quod a re ludicra natum: sed numerus per eam occasionem caesorum tantus fuit, ut invidia augeretur, quam iam satis gravem bellum contraxerat." Verum nihili est, quod dicunt numerum illum caesorum bello, quod gestum erat inter Vitellium et Othonem, invidiam auxisse. Quaero, apud quem auxerit, nec invenio: neque omnino, quid haec seditio commune habuerit cum illo bello. Minime tamen cum Ernestio puto locum etiam nunc esse scabrum: video potius hic eundem sententiae hiatum (sive malis dicere ellipsim), qui sexcentis locis est ante particulam *ni.* cf. not. ad An. 1, 35. et alibi. Nempe ante *ni numerus* etc. e verbis *ludicro initio* intellige: *et res ludicra tantum fuisset, ni* etc. Vocabulum *bello* accipe de ipso illo militum proelio. Iam sententia erit: ludicrum illius pugnae initium fuit: numerus tamen caesorum invidiam bello auxit. *Bellum* sic dici de pugna, de certamine dissidentium, non est quod exemplis probetur. Rupertius transpositione locum sanandum censet legitque: *ac duae cohortes interfectae: numerus caesorum invidiam bello auxit: remedium tumultus fuit alius tumultus.* Vel: *Numerus caesorum i. b. auxit, et remedium* etc.

Verginio. Sic edd. Put. sqq. (cum sil. Vict.). *Virginio* MS. Guelf. ed. Spir. cf. not. ad 1, 8. — Mox eadem ed. Spir. *seueritate* pro *severitatem.*

tempestivis conviviis gaudent: perinde miles intentus aut licenter agit. apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis ac Bacchanalibus quam disciplinae et castris propiora. Igitur duobus militibus, altero legionis quintae, altero e Gallis auxiliaribus, per lasciviam ad certamen luctandi accensis, postquam legionarius prociderat, insultante Gallo et iis qui ad spectandum convenerant in studia diductis erupere legionarii in perniciem auxiliorum ac duae cohortes interfectae. Remedium tumultus fuit alius tumultus. pulvis procul et arma aspiciebantur: conclamatum repente quartamdecumam legionem verso itinere ad proelium venire. sed erant agminis coactores. agniti dempsere sollicitudinem. Interim Verginii servus forte obvius ut percus-

perinde. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. (cum silentio Victorii). — *proinde* MSS. Bud. Corb. Bodl. ed. Spir. cf. not. ad An. 3, 17.

aut licenter agit. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Reg. edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. In ed. Spir. legitur *haud* pro *aut.* — *aut licenter* (omisso verbo *agit*) MSS. Bud. Harl. Ies. Guelf. In Harl. sec. manus addidit *agens.* — *aut licenter agere* MSS. Corb. Agr. — *aut licentiosus* (omisso verbo) MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. — *aut licentior* (sine verbo) edd. Rhen. Ald. sqq. ad Pichenam.

pervigiliis ac Bacchanalibus quam disciplinae et castris propiora. Ἐν διὰ δυοῖν utroque loco. cf. Roth. p. 36. De *pervigiliis* cf. Böttigeri *Sabina* I. p. 206. et p. 232 sq. *Pervigilia*, quanquam res sacra (cf. An. 15, 44.), a corruptis posterioris aetatis moribus malam famam habebant ideoque pervigilia et Bacchanalia synonyma esse coeperunt.

propiora. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *promptiora* MSS. Bud. Agr. ed. Spir. — *propriora* MS. Ies. Sed cf. An. 1, 24. *contumaciae propiores*; 6, 42. *paucorum dominatio regiae libidini propior est.* Vid. not. ad Hist. 3, 65. 5, 2. Germ. c. 45.

e Gallis auxiliaribus. Ed. Spir. *ex Gallis auxiliariis.*

per lasciviam ad certamen. Sic MSS. et edd. Spir. Put. sqq. In alteram Rhenani editionem inrepsit *et* pro *ad*, quod vitium per edd. Lipsii duravit usque ad Pichenam, qui e MS. Flor. *ad* restituit. Edd. Micyll. (1557.) et Gryph. retinent *ad.*

prociderat. MS. Corb. *ceciderat.*

et iis. Ed. Spir. *et his.*

convenerant. Intellige ad spectandum ludicrum certamen luctandi aliaque ludicra, quae illa die praebebantur spectanda; non tumultum, uti Ernestius videtur accepisse. Is enim scribit in re tali et subita fieri concursum hominum, *convenerant* languidius esse.

diductis. Sic edd. Spir. Lips. Pich. Grut. sqq. — *deductis* MSS. Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsii primam. cf. infr. 4, 6. *ea ultio ... senatum in studia diduxerat.* Vid. not. ad An. 2, 11.

in perniciem auxiliorum. Ed. Spir. *ĩ pernitię auxiliariorum.* — Mox eadem *conclamantum* pro *conclamatum.*

sollicitudinem. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. et e recentt.

sor Vitellii insimulatur. et ruebat ad convivium miles mortem Verginii exposcens. ne Vitellius quidem quanquam ad omnes suspiciones pavidus de innocentia eius dubitavit. aegre tamen cohibiti, qui exitium viri consularis et quondam ducis sui flagitabant. nec quemquam saepius quam Verginium omnis seditio infestavit. manebat admiratio viri et fama: sed oderant ut fastiditi.

LXIX. Postero die Vitellius senatus legatione, quam ibi opperiri iusserat, audita transgressus in castra ultro pietatem militum collaudavit, frementibus auxiliis tantum impunitatis atque adrogantiae legionariis accessisse. Cohortes Batavorum ne quid truculentius auderent, in Germaniam remissae, principium interno simul externoque bello parantibus fatis. reddita civitatibus Gallorum auxilia, ingens numerus et prima statim defectione inter inania belli adsumptus. Ceterum

Ernest. Brot. sqq. — *solicitudinem* edd. Lips. Pich. Grut. sqq. ad Ernestium.

suspiciones pavidus. Ed. Spir. *suspectiones pavide.*

viri consularis. Vocabulum *viri* abest a MSS. Agr. Bud. Corb. edd. Spir. Iac. Gronov., et si fides Iac. Gronovio, etiam a MS. Florent. Victorius tamen intactum reliquit in ed. Beroald. Abesse illud posse nemo infitiabitur. — Mox ed. Spir. *quisquam* pro *quenquam*, et *ămiratio* pro *admiratio.*

ducis sui. MS. Guelf. non habet *sui.* Idem mox *ac fama.*

ut fastiditi. cf. supr. c. 51.

Cap. 69. *Postero die.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. — *postera die* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. et nuper Bekker., et sic infr. c. 78. — *postremo die* MS. Corb. ed. Spir.

ibi. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *ubi* edd. Put. V. Beroald. Alc. — Mox edd. Put. M. et V. *operiri*, vulgari confusione. — Ed. Spir. *Batavorum cohortes* pro *cohortes Batavorum; audirent* pro *auderent.*

impunitatis atque adrogantiae. Roth. p. 86. haec habet inter dicta per fig. ἓν διὰ δυοῖν. Dubito an satis recte.

civitatibus. MS. Guelf. *civitatis.*

inter inania belli. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Reg. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *inter munia belli* ed. Spir. — *inter initia belli* MS. Agr. — Lipsius in prioribus edd. suadebat *inter immania:* in postrema eam coniecturam omisit. Acidalius coniiciebat *inter minas* h. e. dum bellum parat. Nihil tamen in vulgata scriptura est quod displiceat: *inter inania belli* h. e. ut magnam et terribilem speciem bello adderent, licet parum inesset roboris. cf. An. 15, 31. *apud quos vis imperii valet, inania transmittuntur;* 2, 76. *inania famae.*

ut largitionibus adfectae iam imperii opes sufficerent, amputari legionum auxiliorumque numeros iubet vetitis supplementis, et promiscuae missiones offerebantur. exitiabile id rei publicae, ingratum militi, cui eadem munia inter paucos periculaque ac labor crebrius redibant. et vires luxu corrumpebantur contra veterem disciplinam et instituta maiorum, apud quos virtute quam pecunia res Romana melius stetit.

LXX. Inde Vitellius Cremonam flexit, et spectato munere Caecinae insistere Bedriacensibus campis ac vestigia recentis victoriae lustrare oculis concupivit: foedum atque atrox spectaculum intra quadragesimum pugnae diem: lacera corpora, trunci artus, putres viro-

adfectae iam. Sic MSS, Flor. (test. Iac. Gronov.) Agr. edd. Ber. (cum sil. Vict.) Iac. Gron. Ernest. sqq. — *adfectae tam* MSS. Reg. Corb. Bud. ed. Spir. — *affectae tamen* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. ad Iac. Gronovium. Intellige opes imperii iam ab aliis contritas.

promiscuae. MS. Flor. teste Victorio *promiscae*, de suo more.

missiones. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *emissiones*, temere repetita prioris vocabuli littera ultima.

exitiabile. Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Bud. Guelf. aliique, edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *exitiale* edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Pichenam.

stetit. MS. Guelf. *steterat*.

Cap. 70. *Bedriacensibus*. Libri, ut supra. cf. not. ad c. 23.

foedum atque atrox. Synonyma secundum Roth. p. 15.

intra quadragesimum pugnae diem. Ernestius ad h. l. „Si non plane insititia sunt haec verba, vereor ne legendum sit *ultra* pro *intra*. Ipsa diurnitas temporis facit intelligi foeditatem spectaculi. Ea exprimitur, si *ultra* XL dies insepulta cadavera iacuere, non si *intra*." Fallitur. Foeditas loci, ubi pugnatum est, intra quoddam temporis spatium durat, ultra quod paulatim mitescit evanescentibus foedis reliquiis et reparatis, quae fuerant vastata. Vitellius igitur intra quadragesimum diem, non prius nec ultra spectavit Bedriacenses campos h. e. intra id temporis spatium, ubi putredo iam satis omnia penetraverat, necdum evanuerant foedae reliquiae. Ceterum varia hic locus in libris utitur interpunctione. Edd. Spir. Put. *concupivit: foedum* (ed. Spir. *fedum*) *atque atrox spectaculum intra XL. pugnae diem: lacera* etc. Verissime, ut mihi videtur. Nam *foedum ... spectaculum* est adpositio eius generis, de quo diximus ad An. 1, 27. Verba *intra quadragesimum pugnae diem* reddunt rationem, cur foedum et atrox illud spectaculum non potuerit non esse. Sequitur accuratior camporum descriptio: *lacera corpora* etc. Maluere tamen sequentes editores distinguere ita: *concupivit. Foedum atque atrox spectaculum intra XL. pugnae diem lacera corpora, trunci* etc. Aldus addidit comma post *spectaculum*. Sic et edd. Micyll. et Lipsii prima. Mox Lipsius

rum equorumque formae, infecta tabo humus, protritis arboribus ac frugibus dira vastitas. nec minus inhumana pars viae, quam Cremonenses lauru rosisque constraverant, exstructis altaribus caesisque victimis regium in morem: quae laeta in praesens mox perniciem ipsis fecere. Aderant Valens et Caecina monstrabantque pugnae locos: hinc inrupisse legionum agmen, hinc equites coortos, inde circumfusas auxiliorum manus. iam tribuni praefectique sua quisque facta extollentes falsa, vera aut maiora vero miscebant. vulgus quoque

post *spectaculum* posuit punctum, dum retinet comma post *diem.* Edd. inde a Gronoviana (1672.): *concupivit. Foedum atque atrox spectaculum. intra XL. pugnae diem lacera corpora* etc. Rupertius vult: *Foedum ... spectaculum intra XL. diem. Lacera* etc. Explicat: „intra sive per XL dies, per omne hoc tempus." Sed hoc non inest.

infecta tabo h. Quod in edd. Gronov. (1672.) Iac. Gronov. Ernest. legitur *infesta* pro *infecta*, e lapsu operarum traxit originem. Nam ceteri libri consentiunt in *infecta.*

ac frugibus. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Agr. Reg. Corb. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. Victorius intactum reliquit *atque f.*, quod exstat in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. ad Ryckium.

nec minus inhumana. Sic MSS. Flor. (test. Ryck. cum Iac. Gron.) Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *nec minus humana* MSS. Reg. Corb. Agr. ed. Spir. In MS. Agr. prima manus omiserat *minus:* addidit sec. manus. Rhenanus corrigebat *inamoena* adversante Grutero. Inhumanitatem intellige de pari eius viae foeditate e proelio reliqua et cogita Vitellium ab ea parte campos Bedriacenses adiisse, per quam Othoniani fugerant. Infr. 3, 83. legitur *inhumana securitas.* Ernestius non satis recte explicat: „*inhumana* h. e. insolens apparatu et tyrannica specie."

lauru. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et nuper Bekkeri. — *lauro* MS Bud. edd. Rhen. sqq. — *laurus rosasque* MSS. Reg. Corb. ed. Spir.

regium in morem. Ed. Spir. *regnum in morem.*

inrupisse. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Reg. Bud. Corb. edd. Spir. Pichen. Gruter. Bernegg. sqq. — *erupisse* MSS. Harl. Bodl. Guelf. edd. Put. sqq. ad Pichenam, idque repetierant Ernest. Brot. aliique. — Bipontini et Oberlin. restituerunt *inrupisse.* Recte. Ernestius perperam censebat *hinc inrupisse* dici non posse. Nihil enim in ea dictione absurdi est. Monstrabant illi, unde (nempe *hinc*) legiones impetum fecissent in Othonianos eosque perrupissent.

coortos. Sic MS. Guelf. edd. Rhen. sqq. — *cohortos* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc.; *cohortes* ed. Spir. — In eadem ed. Spir. mox deest vocabulum *facta.* Deinde MS. Corb. *ita tribuni.*

falsa, vera aut etc. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Bud. edd. Pich. Grut. Bernegg. sqq. Concinit ed. Spir., nisi quod destitui-

militum clamore et gaudio deflectere via, spatia certaminum recognoscere, aggerem armorum, strues corporum intueri, mirari. et erant quos varia fors rerum lacrimaeque et misericordia subiret. at non Vitellius flexit oculos nec tot millia insepultorum civium exhorruit. laetus ultro et tam propinquae sortis ignarus instaurabat sacrum diis loci.

LXXI. Exin Bononiae a Fabio Valente gladiatorum spectaculum editur advecto ex urbe cultu. quantoque magis propinquabat, tanto corruptius iter immixtis histrionibus et spadonum gregibus et cetero Neronianae aulae ingenio. namque et Neronem ipsum Vitellius admiratione celebrabat, sectari cantantem solitus non necessitate, qua honestissimus quisque, sed luxu et saginae mancipatus emptusque. Ut Valenti et Caecinae vacuos honoris menses aperiret, coartati aliorum consulatus, dissimulatus Martii Macri tanquam

tur vocabulo *vera*. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. ad Pichenam ferunt: *falsa vera aut* etc. (cum silentio Victorii). Vid. not. ad An. 1, 7. sub v. *adulationem*.

clamore et gaudio. cf. Roth. p. 27. Sic *gaudio clamoribusque* infr. 4, 49.; *studio laetitiaque* ib. c. 53.

spatia certaminum. MS. Bud. *spacia certamina*, quod Rhenanus exponebat *spacia et certamina*.

mirari. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. — *mirarique* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Iac. Gronovium.

varia fors. Sic MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *varia sors* MSS. Agr. Corb. edd. Spir. Ernest. Brot. — Oberlinus revocavit *fors* (cf. An. 1, 28. 4, 27. 14, 5.) et *fors rerum* haud dubie aptius dicitur quam *sors*, quae est hominum.

lacrimaeque et misericordia. cf. Roth. p. 52. MS. Guelf. solita confusione in contextu pro *misericordia* fert *miseria*: in margine *al. misericordia*. cf. not. ad Hist. 1, 79.

Cap. 71. *Exin*. MS. Corb. *exinde*.

propinquabat. Intellige urbi. Mox ed. Spir. *cunctantem* pro *cantantem*.

saginae. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *sanguine*.

coartati. Sic MS. Guelf. (a prima manu) edd. Spir. Rhen. sqq.: secunda manus in Guelf. post *r* addidit *c*. — *cohartati* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) — *cohortati* ed. Alc.

Martii Macri. Sic e sententia Lipsii edd. Pichen. Bernegg. sqq. cf. supr. c. 23. — *Marcii Macri* ed. Gruteri; *Marci Macri* ed. Spir.; *M. Macri* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Pichenam, sic volentibus et aliis MSStis.

Othonianarum partium ducis: et Valerium Marinum destinatum a Galba consulem distulit nulla offensa, sed mitem et iniuriam segniter laturum. Pedanius Costa omittitur, ingratus principi ut adversus Neronem ausus et Verginii exstimulator: sed alias protulit causas. actaeque insuper Vitellio gratiae consuetudine servitii.

LXXII. Non ultra paucos dies quanquam acribus initiis coeptum mendacium valuit. exstiterat quidam Scribonianum se Camerinum ferens Neronianorum temporum metu in Istria occultatum, quod illic clientelae et agri veterum Crassorum ac nominis favor manebat. igitur deterrimo quoque in argumentum fabulae adsumpto vulgus credulum et quidam militum errore veri seu turbarum studio certatim adgregabantur, cum pertractus ad Vitellium interrogatusque, quisnam mortalium esset, postquam nulla dictis fides et a domino noscebatur conditione fugitivus, nomine Geta, sumptum de eo supplicium in servilem modum.

LXXIII. Vix credibile memoratu est, quantum superbiae socordiaeque Vitellio adoleverit, postquam

Pedanius. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. *Pedianus.*

Cap. 72. *ferens.* MS. Guelf. *referens.*

in Istria. Sic edd. Gronov. (1672.) Iac. Gronov. sqq. — *in Histria* MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum sil. Vict.) sqq., et post Gronovium inter recentt. Ryck. — *et hystria* ed. Spir.

Scribonianum se Camerinum .... occultatum. Lucis aliquid huic loco adfundit Xiphil. 68, 18: *ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ὁ Ἥλιος* (pessimum illud Neronis mancipium) *ἄλλα τε πολλὰ καὶ δεινὰ εἰργάσατο, καὶ Σουλπίκιον Καμερῖνον ἄνδρα τῶν πρώτων μετὰ τοῦ υἱέος ἀπέκτεινεν κ. τ. λ.* Licet igitur coniicere, Getam istum ex illa clade profugum se esse mentitum, ut magno nomine insignis res novas moliretur. Ed. Spir. *clientelae illic* pro *illic clientelae.* Eadem mox *et quendam militum* etc.

cum pertractus. MS. Corb. *tum pertractus.*

interrogatusque. Sic MSS. Bud. Guelf. et sic vulgo MSS. (teste Broterio), edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *interrogatus* (sine copula) MS. Corb. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc.

in servilem modum. Sic MS. Guelf. edd. ante Ryckium omnes inter silentium virorum doctorum, qui codd. MSStos inspexere. Ryckius e MS. Agr. dedit *servilem in modum.* Obtemperavere Oberlinus sqq. Sed non video necessitatem a vetere verborum ordine deflectendi.

Cap. 73. *speculatores.* Sic omnes libri. cf. not. ad 1, 24. et 25.

speculatores e Syria Iudaeaque adactum in verba eius Orientem nuntiavere. nam etsi vagis adhuc et incertis auctoribus, erat tamen in ore famaque Vespasianus ac plerumque ad nomen eius Vitellius excitabatur. tum ipse exercitusque ut nullo aemulo saevitia, libidine, raptu in externos mores proruperant.

LXXIV. At Vespasianus bellum armaque et procul vel iuxta sitas vires circumspectabat. miles ipsi adeo paratus, ut praeeuntem sacramentum et fausta Vitellio omina precantem per silentium audierint. Muciani animus nec Vespasiano alienus et in Titum pronior. praefectus Aegypti Ti. Alexander consilia sociaverat. tertiam legionem, quod de Syria in Moesiam transisset,

e Syria. Sic edd. ante Rhenan. et MSS. praeter Bud., cuius auctoritate Rhenanus deleverat praepositionem: restituit Pich. e MS. Flor. — Mox ed. Spir. non habet voculam *adhuc.*

in ore famaque. Synonyma. cf. Roth. p. 9.

tum ipse. Ed. Spir. *tunc ipse.* Mox MS. Guelf. omittit *ut* ante *nullo.*

in externos mores. H. e. ipse cum militibus coepit agere externorum regum more, qui non legibus, sed ut libitum regnant. Gutmannus frustra emendat: *in extremos mores.*

proruperant. MS. Guelf. *prorumperant.* — Mox idem liber *ac Vespasianus* pro *at Vespasianus.*

Cap. 74. *bellum armaque.* Synonyma. cf. Roth. p. 9.

et procul. Sic MS. Guelf. edd. ante Rhenanum, qui auctore cod. Bud. delevit copulam: restituit Pich. e Flor. — Mox ed. Beroald. vitiose dat *peratus* pro *paratus,* uti Vict. correxit e MS. Flor.

praeeuntem. MS. Guelf. *peuntem* h. e. *pereuntem,* vulgari confusione.

fausta Vitellio omina. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et sic volebant Lipsius (in ed. 1574.) et Freinshemius. — *omnia* vulgus MSStorum (Guelf. *oīa*) et edd. inde a Spir. omnes, quam scripturam Ernestius tuetur ob verbum *precantem.* „Precando, inquit, bene ominamur et omina facimus: sed non precamur omina, ut opinor." Non precamur omina, concedo: verum *fausta omina precari* non est absurdum. Nam *omina* in tali contextu sunt vota, quibus fausta in aliquem cupiuntur, spectantque hic ad imperii Vitelliani initia. cf. not. ad An. 5, 4. Ieiune autem dicitur Vespasianus fausta Vitellio *omnia* precatus: nam cur *omnia*? sufficiebat *fausta Vitellio* precari. Sexcenties in vett. libris utrumque vocabulum permutatur. cf. not. ad An. 15, 8. Hist. 2, 1. 4, 49. et alibi.

Ti. Alexander. Ursino, Mureto, Acidalio suadentibus Oberlinus et recentiores editores bene receperunt praenomen *Ti.* in MSS. et vett. edd. omissum ob praecedens vocabulum. cf. infr. c. 79. et Sueton. Vespas. c. 6. De viro vid. *Rhein. Museum f. Philol.* etc. II. *Jahrg.*, 2. *Heft*, p. 155.

tertiam. MS. Guelf. *ternam.*

de Syria. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum all. Vict.) Alc. sqq. ad Lipsium, qui edidit *e Syria,* auctore aliquo libro an ex ingenio mihi incertum est.

suam numerabat. ceterae Illyrici legiones secuturae sperabantur. namque omnis exercitus flammaverat adrogantia venientium a Vitellio militum, quod truces corpore, horridi sermone ceteros ut impares inridebant. Sed in tanta mole belli plerumque cunctatio: et Vespasianus modo in spem erectus, aliquando adversa reputabat: Quis ille dies foret, quo sexaginta aetatis annos et duos filios iuvenes bello permitteret? esse privatis cogitationibus progressum et, prout velint, plus minusve sumi ex fortuna: imperium cupientibus nihil medium inter summa aut praecipitia.

Sed non video, quid impediat veterem scripturam. Nam sic Cicer. Verr. 4, 65. *de foro, quum iam advesperasceret, discessimus.* Noster infr. 3, 68. *exire de imperio.* Et iam *de* plus dicit quam *e*: nempe indicat legionem illam prius stationem suam habuisse in Syria; *e* simpliciter significat locum, unde discessum sit.

suam numerabat. Ed. Spir. *suam tamen numerabat* e glossemate, nisi fallor.

Illyrici legiones. MS. Corb. *Illyrici regiones*, vulgari confusione. cf. not. ad An. 13, 7.

omnis exercitus. Sic MSS. Reg. Corb. Bud. ed. Spirensis. Accipe *omnis* in accusat. num. plur. cf. Hist. 4, 3. *omnis provincias exercitusque.* — *omnes exercitus* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. Ceterum MS. Bud. dat *ad arrogantiam.*

sed in tanta mole belli. Sic MSS. Flor. (alter ille a Pichena inspectus) Agr. Corb. Guelf. (a sec. manu) edd. Spir. Pichen. Gruter. Bernegg. sqq. In MS. Flor. Langob. Pichena vidit: *sed iniant a mole.* Cod. Agr. et ed. Spir. post *cunctatio* frustra addunt *oberat*, quod in Guelf. etiam secunda manus margini addidit. — MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. (a prima manu) edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Pichenam *sed inerat a mole belli.* — MS. Bud. *sed inerat amor belli*, unde Rhenanus coniiciebat *timor belli.*

sexaginta aetatis annos. Sic edd. vett. (cum silent. Vict.) et recentt. — *XL aetatis annos* MSS. Harl. Ies. Guelf. Corb. At Vespasianus natus est quintodecimo Kal. Decembr. an. u. 762. cf. Sueton. Vespas. c. 2. — Pichena suspicabatur legendum: *quo sexagesimo aetatis anno se et duos* etc. Sed Gruterus docuit nil vulgata scriptura rotundius esse.

progressum. Sic MSS. et vett. edd. — Pichena sententiam bene explicat: „privatos homines, cum cogitationem aliquam seu vitae institutionem sibi proponunt, eatenus progredi posse, quatenus ipsis videatur." Lipsius coniectaverat *regressum*, quod in locum recepere Freinshemius sqq. Veterem scripturam reposuerunt Bipontini, Oberlin. sqq.

velint. MS. Corb. *velit.*

aut praecipitia. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Ernest. Lallemand. Brot., qui receperunt *et pr.* e MS. Reg. ed. Spir. — *ac praecipitia* MS. Bud. — Pichena et Iac. Gronovius de MS. Flor. tacent, unde haud temere Victorio credes ibi esse *aut.* Recte. Nam hoc sibi vult Vespasianus: imperium cu-

LXXV. Versabatur ante oculos Germanici exercitus robur notum viro militari: suas legiones civili bello inexpertas, Vitellii victrices: et apud victos plus querimoniarum quam virium. fluxam per discordias militum fidem et periculum ex singulis. quid enim profuturas cohortes alasque, si unus alterque praesenti facinori paratum ex diverso praemium petat? sic Scribonianum sub Claudio interfectum, sic percussorem eius Volaginium e gregario ad summa militiae provectum. facilius universos impelli quam singulos vitari.

LXXVI. His pavoribus nutantem et alii legati amicique firmabant et Mucianus post multos secretosque sermones iam et coram ita locutus: „Omnes qui magna-

pientibus nihil medium esse, quum ea, quae cupiant, aut sint summa aut praecipitia h. e. id, quod cupiant, ita esse comparatum, ut cupidine sua evehantur ad summa aut praecipitentur in exitium. Sunt igitur *summa* et *praecipitia* invicem opposita: quare debebant distingui, non coniungi. cf. not. ad An. 2, 47.

Cap. 75. *Versabatur.* MS. Guelf. *versabat.*

fluxam ... fidem. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *fluxa ... fides* ed. Spir.

cohortes. MS. Guelf. *cohortis.*

praesenti facinori. Sic MSS. Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et inter recentiores Bipont. Oberlin. sqq. — *praesenti facinore* MS. Bud. edd. Rhen. sqq. ad Bipontinos, et nuper Bekkerus. Utramque formam esse bonam iam Ernestius vidit. Cum dativo *paratum* est promptum, ut infr. 4, 9. *paratum in res novas;* supr. 2, 9. *paratis animis:* cum ablativo i. q. comparatum, quaesitum. Ceterum *praesens facinus* non est audax, atrox, uti Ernestius interpretatur, sed *praesenti* facinori opponitur praemium *ex diverso:* est igitur facinus alicui praesens, quod in eius manu positum, cui perpetrando omni tempore occasio parata est. cf. Germ. c. 19. *poena praesens.*

Scribonianum sub Claudio interfectum. Vid. Suetòn. Claud. c. 13. et 35. Dio 60, 15. Noster An. 12, 52. Pro *sic* ante *Scribonianum* MS. Guelf. exhibet *sicut*, et mox iterum *sicut* ante *percussorem.*

Volaginium. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *Volaginum* MSS. Reg. Corb. Agr. ed. Spir. — Mox ed. Beroaldi vitiose *malitiae* pro *militiae*, uti Victorius correxit in suo exemplari. — Ed. Spir. *a gregario* pro *e gregario.*

Cap. 76. *iam et coram.* Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *et* abest a MSS. Reg. Corb. ed. Spir. — MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) *iam et coronam*, unde Iac. Gronovius coniecit *iam ad coronam.* Sed credo scribam voc. *corã* accepisse pro compendio vocis *corona.* — MS. Ies. *iam et contra.* — Freinshemius suspicabatur legendum: *iam et amicis coram.* Sed Boxhornius vulgatum bene defendit. *Coram* est palam, multis audientibus, et quasi in pu-

„rum rerum consilia suscipiunt, aestimare debent, an „quod inchoatur rei publicae utile, ipsis gloriosum aut „promptum effectu aut certe non arduum sit. simul „ipse, qui suadet, considerandus est, adiiciatne con„silio periculum suum: et si fortuna coeptis adfuerit, „cui summum decus adquiratur. ego te, Vespasiane, „ad imperium voco tam salutare rei publicae quam tibi „magnificum. iuxta deos in tua manu positum est. „Nec speciem adulantis expaveris.] a contumelia quam „a laude propius fuerit post Vitellium eligi. non ad„versus divi Augusti acerrimam mentem, nec adversus

blico. cf. An. 6, 8. *spectamus porro, quae coram habentur.* Sueton. Oct. c. 69. *feminam consularem e triclinio viri coram in cubiculum abductam.* Vid. Baumgarten-Crus. in clav. Sueton. s. h. v. In sequentibus opponuntur abditi principis sensus et res.

consilia. Ed. Spir. *principia.*

aestimare. Sic edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. — *estimare* edd. Put. M. et V., uti solent. — *extimare* MSS. Bud. Guelf. ed. Spir. — *existimare* MS. Reg., vulgari confusione. Vid. not. ad An. 13, 17.

quod inchoatur. Sic edd. Spir. Rhen. sqq. — *incohatur* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *incoatur* MS. Guelf. — *incohaturi* MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.). Idem inesse codici Agr. adfirmat Ryckius: sed fortasse voluit dicere de MS. Flor. Ceterum vix dubitabis *incohaturi* vel *inchoaturi* verum esse.

aut certe non arduum sit. Sic edd. et codd. MSS. omnes praeter Flor., in quo Victorius et Iac. Gronovius invenere: *aut non certe non arduum sit.* Iac. Gronovius probat, ut legas: *aut non, certe non a. s.* Coniectura non satis felix.

ipse, qui suadet. MSS. Guelf. Bodl. *ipsi qui suadet.* — Mox iidem libri *considerandum* pro *considerandus*, et deinde MS. Guelf. *periculo suo consilium suum*: sed *suo* punctis suppositis notatur. MS. Bodl. *adiiciatque periculum consilio suo*, teste Gronovio.

magnificum. iuxta deos etc. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *magnificum iuxta deos: in* etc. ed. Spir. — Berneggerus ante *iuxta* et post *deos* commata posuit, quae fluxere in edd. Gronov. (1672.) et Iac. Gronov. — Ryckius ante *iuxta* scripsit colon (:), Ernestius punctum restituit. *Iuxta* exprimit nostrum *nächst*, eamque rationem, qua duo arte sunt coniuncta vel invicem simillima. An. 6, 42. *populi imperium iuxta libertatem... est.* Liv. 9, 9. *foedera sancta sunt apud eos homines, apud quos iuxta divinas religiones fides humana colitur.* — MS. Bud. pro *iuxta* dat *vixit.*

nec speciem. Ed. Spir. *ne speciem.*

a contumelia. Sic edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. et MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. (a pr. manu). — *tam a contumelia* MSS. Reg. Corb. Bud. Guelf. (a sec. manu) ed. Spir. Quod additamentum debetur inscitiae eorum, qui putarent sequens *quam* poscere *tam* in priore membro. MS. Agr. *iam a contumelia.* De locutione cf. Hist. 1, 10. *Mucianus ... tam prope ab exsule fuit, quam postea a principe.* — Mox MS. Guelf. (a sec. manu) et ed. Spir. *fueris* pro *fuerit.*

„cautissimam Tiberii senectutem, ne contra Caii quidem aut Claudii vel Neronis fundatam longo imperio „domum exsurgimus. cessisti etiam Galbae imaginibus. „torpere ultra et polluendam perdendamque rem publicam relinquere sopor et ignavia videretur, etiam si „tibi quam inhonesta tam tuta servitus esset. Abiit iam „et transvectum est tempus, quo posses videri concupisse. confugiendum est ad imperium. an excidit „trucidatus Corbulo? splendidior origine, quam nos „sumus, fateor: sed et Nero nobilitate natalium Vitellium anteibat. satis clarus est apud timentem, quisquis timetur. Et posse ab exercitu principem fieri „sibi ipse Vitellius documento nullis stipendiis, nulla „militari fama, Galbae odio provectus. ne Othonem „quidem ducis arte aut exercitus vi, sed praepropera

ne contra Caii quidem. Sic MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Bud. edd. Ryck. Iac. Gronov. sqq. Victorius intactum reliquit *nec contra C. q.*, uti legitur in MS. Guelf. et plerisque MSS. et edd. Spir. Put. sqq. ad Ryckium. Parum interest.

torpere ultra et polluendam etc. Ed. Spir. *torpore: ultra ne polluendam perpendamque rem publ.* etc.

tam tuta. Ed. Spir. *quam tuta.*

transvectum. Sic Agr. c. 18. *transvecta aestas.* Roth. p. 17. animadvertit *abiit* et *transvectum est* esse synonyma: inter quae etiam (p. 9.) rettulit: *sopor et ignavia; ardoris ac ferociae; popinis et comissationibus*, quae vide in seqq.

concupisse. Ed. Spir. et MS. Reg. *concupiscere.* MS. Bud. *concupisse.* Strombeckius, Gutmannus et Rupertius volunt *non cupisse.* Verum est vulgatum. *Videri concupisse* opponitur sententiae, quam intelligendam Mucianus relinquit. Volebat dicere: *abiit tempus, quo posses* videri *concupisse: nam eo usque nunc rerum profectus es, ut nemo dubitet te revera concupiscere, ut te loquantur adfectatorem imperii, ut non possis falsam arguere speciem atque suspicionem. Nihil aliud tibi reliquum est quam ut confugias ad imperium.* - In sequenti oratione notam interrogationis (?) post *Corbulo* instituit Rhenanus. Edd. Put. Beroald. Alc. eam ponunt post *sumus.*

splendidior. Sic MS. Guelf. edd. vett. et recentt. In MS. Flor. Pichena vidit *splendiori*, quod putat esse pro *splendidiori.* Victorius tacet. De media syllaba omissa vid. not. ad An. 1, 20.

documento. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Harl. Bodl. Ies. Guelf. Corb. Bud. edd. Ernest. Brot. sqq. — *documento est* edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Ernestium.

ne Othonem quidem. Sic codd. MSS. Flor. (teste Ryckio) Guelf. aliique, edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Bipont. et Oberlin., qui e MS. Agr. maluere *nec Oth. q.*, uti etiam legitur in ed. Spir. — Bekkerus reposuit scripturam Puteolani.

exercitus vi. Ex emendatione

„ipsius desperatione victum iam desiderabilem et „magnum principem fecit. Cum interim spargit legio„nes, exarmat cohortes, nova quotidie bello semina „ministrat. si quid ardoris ac ferociae miles habuit, „popinis et comissationibus et principis imitatione de„teritur. tibi e Iudaea et Syria et Aegypto novem le„giones integrae, nulla acie exhaustae, non discordia „corruptae, sed firmatus usu miles et belli domitor ex„terni, classium, alarum, cohortium robora et fidissimi „reges et tua ante omnes experientia."

LXXVII. „Nobis nihil ultra adrogabo quam ne „post Valentem ac Caecinam numeremur. ne tamen „Mucianum socium spreveris, quia aemulum non expe„riris. me Vitellio antepono, te mihi. tuae domui „triumphale nomen, duo iuvenes, capax iam imperii „alter et primis militiae annis apud Germanicos quoque „exercitus clarus. absurdum fuerit non cedere impe„rio ei, cuius filium adoptaturus essem, si ipse impera„rem. Ceterum inter nos non idem prosperarum ad„versarumque rerum ordo erit. nam si vincimus, ho„norem quem dederis habebo: discrimen ac pericula „ex aequo patiemur. immo, ut melius est, tu hos

Rhenani, quam ipse et posteriores editores omnes in contextum receperunt. MSS. et edd. ante Rhenanum *exercitus sui*, facili errore: quanquam haec scriptura non omnino absurda est. Sed verum vidit Rhenanus.

quotidie. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Lips. sqq. — *cotidie* MS. Flor. (test. Vict.) edd. Rhen. Ald. Micyll. — *cottidie* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

comissationibus. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Oberlin. sqq. cf. not. supr. ad 1, 30. — *comessationibus* MS. Bud. edd. Spir. Put. sqq. — *commessationibus* MS. Guelf. Sunt etiam qui hoc loco scribunt *commissationibus*.

ante omnes. MS. Bud. *ante omnis*, quod fortasse veram Taciti manum refert. cf. not. ad c. 74. MS. Guelf. per compendium *oms*.

Cap. 77. *Nobis . . . adrogabo.* cf. not. ad 1, 1. sub v. *professis*.

ac Caecinam. MS. Guelf. *et Cecinam.* — Idem liber mox *armis* pro *annis*.

discrimen ac pericula. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Harl. Corb. Agr. edd. Spir. Pichen. Lipsii postr. Bernegg. sqq. — *periculum* MSS. Bud. Guelf. edd. Put. sqq. ad Pichenam.

patiemur. Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) Guelf. (ibi est *paciemur*) Bud. Agr. Reg. aliique, edd. Spir. Put. V. Iac. Gronov. sqq. — *partiemur* edd. Put. M. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Iac. Gronovium, idque nuper revoca-

„exercitus rege, mihi bellum et proeliorum incerta „trade. Acriore hodie disciplina victi quam victores „agunt. hos ira, odium, ultionis cupiditas ad virtu„tem accendit: illi per fastidium et contumaciam he„bescunt. aperiet et recludet contecta et tumescentia „victricium partium vulnera bellum ipsum. nec mihi „maior in tua vigilantia, parcimonia, sapientia fiducia „est, quam in Vitellii torpore, inscitia, saevitia. sed „et meliorem in bello causam quam in pace habemus. „nam qui deliberant, desciverunt."

LXXVIII. Post Muciani orationem ceteri audentius circumsistere, hortari, responsa vatum et siderum motus referre. nec erat intactus tali superstitione, ut qui mox rerum dominus Seleucum quendam mathematicum rectorem et praescium palam habuerit. recursabant animo vetera omina. cupressus arbor in agris eius,

runt Bipontini et Bekker., non video qua necessitate. Obstat consensus vett. librorum.

tu hos exercitus. Sic edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. — *tuos exercitus* MSS. Bud. Harl. Ies. Guelf. Corb. ed. Spir. — Mox MS. Guelf. *in bellum* pro *mihi bellum*, et dein *tradde* pro *trade.*

hos ira, odium. Ed. Spir. *hos ira et odium.* De pronominibus: *hos .... illi* vid. not. ad An. 2, 82.

contecta et tumescentia victricium partium vulnera. Hoc ordine verba sunt in MSS. Flor. (test. Pich.) Corb. Bud. edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *contecta victricium partium et tumescentia vulnera* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Pichenam. In edd. Lips. (1607.) et Grut. legitur *tumescentiae* e vitio typogr., ut videtur.

parcimonia. Hoc Lipsio suspectum. Nescit, cur Mucianus in *parcimonia* fiduciam boni eventus collocet, nec quomodo digna sit, quae ad imperium ducat. Verum est quam maxime, potissimum in tali qui tum erat imperii statu. cf. Xiphilin. 65, 9. συνέλεγε χρήματα, ὧν που καὶ τὰ μάλιστα ἔχρῃζε. Noster infr. c. 84. *eos esse belli civilis nervos.* Et Mucianus hic virtutes singulas non opponit singulis vitiis, sed in universum sibi vult non sibi maiorem in Vespasiani virtutibus fiduciam esse quam in Vitellii vitiis. Oratorie singula laudat, quibus uterque erat eximius. Rupertius haud inepte pro *saevitia* Vitellii substituit *sagina*, ut ita singula singulis respondeant. At tum *sapientia* etiam erit ponenda ante *parcimoniam.* — Mox ed. Spir. non habet *et* ante *meliorem.*

Cap. 78. *audentius.* Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. — *audientius* MS. Flor. (test. Vict.), vulgari vitio. cf. not. ad Hist. 1, 6. — *audientium* MS. Bud.

vetera omina. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) edd. Rhen. Ald. Micyll. Lipsii posteriores, Pich. Gruter. sqq. — *vetera omnia* ceteri codd. MSS. et edd. ante Rhenanum cum Lipsii prima. In Guelf. et hic exstat *oia.* cf. not. ad Hist.

conspicua altitudine, repente prociderat, ac postera die eodem vestigio resurgens procera et latior virebat. grande id prosperumque consensu haruspicum, et summa claritudo iuveni admodum Vespasiano promissa. sed primo triumphalia et consulatus et Iudaicae victoriae decus implesse fidem ominis videbantur: ut haec adeptus est, portendi sibi imperium credebat. Est Iudaeam inter Syriamque Carmelus: ita vocant montem deumque. nec simulacrum deo aut templum: sic tradidere maiores, aram tantum et reverentiam. illic sacrificanti

2, 1. et 74. *Vetera omina* etiam sunt apud Curt. 3, 3, 6. et *nova* ibidem 5, 9, 4.

cupressus. cf. Sueton. Vespas. c. 5. Xiphilin. 66, 1.

repente. Sueton. l. l. *sine ulla vi*. Xiphilin. l. l. ὑπὸ σφοδροῦ πνεύματος.

latior virebat. Sic libri omnes. Trillerus in Observv. 1, 8, frustra coniecit *laetior*.

consensu haruspicum. Ed. Spir. *assensit aruspicum*.

Iudaicae. MS. Flor. (test. Vict.) *Iudeicae*. cf. not. ad Hist. 1, 76.

ominis. MS. Guelf. *omnibus*.

videbantur. Sic MSS. Harl. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *videbatur* MSS. Flor. (teste Ryckio) Agr. Bud. Reg. Corb. ed. Spir. Et sane Noster in additis verbis haud raro ad postremum modo subiectum respicit. cf. not. ad An. 1, 10. sub verbo *abstulerat*. Nec obstat sequens *haec*, ut videbatur Ernestio. Ceterum intellige unamquamque illarum rerum, uti acciderant, visam esse fidem ominis implesse, primum triumphalia, deinde consulatum, denique Iudaicae victoriae decus. Solent enim in talibus hominum cogitationibus esse progressus. — Ed. Spir. dat *omen* pro *fidem ominis*.

Carmelus. cf. Sueton. Vespas. c. 5.

ita vocant montem deumque. nec simulacrum deo aut templum: sic tradidere maiores, aram tantum et reverentiam. Sic locum ferunt MSS. et vett. edd., nisi quod MS. Agr. dat *ara tantum et reverentia*; MS. Guelf. (a prima manu) *sed* pro *sic*, uti divinaverat Lipsius in ed. 1574. Victorius in exemplari suo Beroald. verba *ita vocant montem* parenthesi circumdedit, ut è MS. Flor. Scripturam cod. Agr. edidit Ryckius, eandemque volebat Rhenanus ex ingenio et Grotius. Etiam Lipsius in ed. 1574. talia suaserat: postea eam coniecturam delevit. Pichena vulgatam scripturam ita defendit, ut praecedentia *simulacrum* ac *templum* quarto casu accipiantur reganturque a verbo *tradidere*, i. e. maiores tradidere non esse deo simulacrum aut templum, sed aram tantum et reverentiam. Obstat particula *sic*: cum *sed* Pichenae ratio optime stabit. Gruterus ad confirmandam structuram verborum congessit exempla ex Hist. 1, 44. *non honore Galbae, sed tradito principibus more, munimentum ad praesens, in posterum ultionem*; 4, 18. *hortamenta victoriae vel pulsis pudorem*. Quae huic loco non tam dissimilia sunt quam videbatur Ernestio. Sed Bipontini de sanitate vulgatae scripturae desperantes fecere: *aut templum situm tradidere maiores; aram tantum et reverentiam*.

Vespasiano, cum spes occultas versaret animo, Basilides sacerdos inspectis identidem extis „Quidquid est" inquit „Vespasiane, quod paras, seu domum exstruere „seu prolatare agros sive ampliare servitia, datur tibi „magna sedes, ingentes termini, multum hominum." Has ambages et statim exceperat fama et tunc aperiebat: nec quidquam magis in ore vulgi. crebriores apud ipsum sermones, quanto sperantibus plura dicuntur.

LXXIX. Haud dubia destinatione discessere, Mucianus Antiochiam, Vespasianus Caesaream: illa Syriae, haec Iudaeae caput est. Initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriae coeptum festinante Tiberio Alexandro, qui Kal. Iuliis sacramento eius legiones adegit. isque primus principatus dies in posterum celebratus, quamvis Iudaicus exercitus V. Non. Iul. apud ipsum iurasset eo ardore, ut ne Titus quidem filius ex-

Obtemperavere Oberlinus sqq. Bekkerus vetera verba restituit. Recte. Nam verba: *aram tantum et reverentiam* auctor ex sua brevitate dicendi adponit, ut An. 1, 27. *causam discordiae et initium armorum.* Vid. ibi not. Pendent illa e verbo *tradidere*, verum non stricte, sed uti adpositio solet pendere e verbis praecedentibus. Uberius dixisset: *sic tradidere maiores*, *hoc est tradidere aram tantum et reverentiam.* Verbum *tradidere* eodem significatu hic ponitur, quo est *tradito more* Hist. 1, 44. *numerum ab Augusto traditum* An. 1, 14.

prolatare. MS. Agr. *plantare.*

Cap. 79. *ferendi ad Vespasianum imperii.* Ernestius volebat *deferendi.* Sed amat Noster verba simplicia pro compositis, nec peius est *ferre imperium ad aliquem* quam *deferre imperium alicui.* Mox etiam *initium coeptum* displicebat Ernestio: malebat *captum.* Sed *coepisse* Tacito est ἐπιχειρεῖν. cf. An. 6, 15. *coeptae offensiones ob rem publicam.* Hist. 2, 85. *coepta adcelerare*; c. 80. *coepta cadunt secus.* Vide not. ad An. 1, 50.

sacramento. Ernestius tradidit et hic in MS. Flor. legi *in sacramento.* Tacent Victorius et Pichena. Iac. Gronovius non satis expresse de hoc loco dixit. Ceteri libri hic vulgatum constanter retinent. Vid. not. ad c. 55.

V. Non. Iul. apud i. i. Ed. Spir. *V. noñ ĩ noṁ iulii apud ipsum iurasset.* MS. Agr. *q. N. I. in nomen apud eum iurasset.* Sueton. Vesp. c. 6. *Iudaicus deinde exercitus quinto Idus Julias apud ipsum iuravit.* Veriorem Taciti rationem demonstravit *Pagius Crit. Baron. ad A. C. 79.* Suetonii error fortasse ortus est e Taciti verbis infr. c. 81. *Ante Idus Iul.* etc. De re cf. Ioseph. B. I. 4, 10.

eo ardore. Haec desunt in MS. Bud. edd. Rhen. Ald., qui libri initium novae sententiae faciunt a

spectaretur Syria remeans et consiliorum inter Mucianum ac patrem nuntius. cuncta impetu militum acta, non parata concione, non coniunctis legionibus.

LXXX. Dum quaeritur tempus, locus, quodque in re tali difficillimum est, prima vox, dum animo spes, timor, ratio, casus obversantur, egressum cubiculo Vespasianum pauci milites solito adsistentes ordine ut legatum salutaturi imperatorem salutavere. tum ceteri adcurrere, Caesarem et Augustum, et omnia principatus vocabula cumulare. mens a metu ad fortunam transierat. In ipso nihil tumidum, adrogans aut in re-

particula *ut.* Ed. Micylli *iurasset. En ardore* etc. Mox ed. Spir. *ut nec Titus quidem* etc. Eadem *militum impetu.*

non parata concione. Sic MS. Agr. edd. Ryck. Ernest. sqq. Idem prius Pichena coniectaverat et in margine posuerat. Ceteri codd. MSS. et edd. *non parata cognitione.* Victorius postremam vocem notavit lineola subscripta, quasi in cod. Flor. non apparentem. Lipsius volebat *paratu ac concione*; Bipontini *consensione.*

Cap. 80. *tempus, locus, quodque* etc. Sic MSS. Flor. Bud. Guelf. (a prima manu) ed. Iac. Gron. — *tempus locusque, quodque* MS. Guelf. (a secunda manu) et alii codd. MSS. et edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Iac. Gron., et postea plerique. Sed ingratum non potest non esse duplex illud *que*, originemque videtur traxisse e vulgari consuetudine, qua scribitur *tempus locusque.* Sed hoc non impedit, quo minus alio loco asyndeton praeferatur, ubi elegantia dicendi illud poscit. Weikertus edidit: *tempus locusque, in re* etc. (deleto *quodque*, sive omiserunt operae).

difficillimum est. Oberlinus auctore cod. Bud. delevit *est.* Bekkerus restituit suadentibus ceteris libris omnibus. Vid. not. ad Germ. c. 25. sub vv. *nisi quod impune est.* Mox ed. Spir. pro *prima vox* habet *prima nox.*

obversantur. MS. Guelf. *observantur.*

adsistentes. Sic edd. Pich. Bernegg. sqq., ut e MS. Flor. Nam Pichena profitetur praeivisse sibi ad id Florentinum. Victorius tamen intactum reliquit *assistunt*, quod ferunt edd. ante Pich. et vulgus MSStorum. Sed nil emendatione Pichenae verius est. — MS. Agr. scribit *et legatum*, ex emendandi studio.

salutaturi. Edd. Spir. Put. V. cum MS. Guelf. (a secunda manu) *salutari.*

salutavere. Sic edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *salutaverunt* MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. sqq. ad Pich.

mens a metu ad fortunam transierat. Quaeritur, cuius mens a metu ad fortunam transierit. Alii referunt ad Vespasianum; Gutmannus ad milites. Verum spectant haec ad superiora, quae leguntur ab initio capitis. Qui quaerebant tempus locumque, intelligendi sunt amici Vespasiani, quorum erat transferre imperium ad Vespasianum. Hi dum adhuc haesitant, res inopinata evenit, illa paucorum militum salutatio. Qua audita adcurrunt et omnia principatus vocabula in illum cumulant. Nam mens ipsis a metu ad fortunam transierat.

bus novis novum fuit. ut primum tantae multitudinis obfusam oculis caliginem disiecit, militariter locutus laeta omnia et adfluentia excepit. namque id ipsum opperiens Mucianus alacrem militem in verba Vespasiani adegit. Tum Antiochensium theatrum ingressus, ubi illis consultare mos est, concurrentes et in adulationem effusos adloquitur, satis decorus etiam Graeca facundia, omniumque quae diceret atque ageret arte quadam ostentator. Nihil aeque provinciam exercitumque accendit quam quod adseverabat Mucianus statuisse Vitellium, ut Germanicas legiones in Syriam ad militiam opulentam quietamque transferret, contra Syriacis legionibus Germanica hiberna coelo ac laboribus dura mutarentur.

ut primum tantae multitudinis obfusam oculis caliginem disiecit. Sic MSS. et vett. edd. omnes, nec video, qua parte contextus hic impeditus sit. *Caligo* est is mentis stupor, quo neque oculi neque aures competunt (*Bestürzung*). *Caliginem tantae multitudinis* intellige eam, quae a multis partibus rebusque simul obiicitur, quasi tantam multitudinem caliginis vel *tam multam multiplicemque caliginem.* Sic Graeci usurpant vocabulum πλῆθος ad describendam magnam et ingentem rem. Alii tamen emendatione locum indigere plerumque consentiunt. I. Fr. Gronovius ad h. l: „Quantae igitur, inquit, et quae inde offusa caligo? Forsan *tantae mutationis.* Lib. 3, 49. *dum hac totius orbis mutatione fortuna imperii transit.*" Obtemperavit Bekkerus. Trillerus in Observv. 3, 22. vult *tantae altitudinis* e Liv. 26, 45. *cum altitudo caliginem oculis offudisset.* Oberlinus sqq. suadente Dottevillio dederunt *tantae vicissitudinis.* Woltmannus *multitudinis caliginem* interpretatur *die ungeordneten Soldatenhaufen:* disiectos a Vespasiano militariter locuto. Quem satis refutavit Gutmannus.

militariter locutus. H. e. castrensi horridaque oratione, non fori aut urbis modo. Rhenanus locum castigaverat in *militariter lautus*, quod duravit ad Lipsium. Is increpita illa mutatione verum restituit e vett. libris.

laeta omnia. Sic libri vett. et recentt. nec auditus est Rhenanus, qui censebat non malum fore, si quis legat *omina.* MS. Guelf. hic *onia.*

namque. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Ber. (cum silent. Vict.) Pich. Bernegg. sqq. — *nam* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Alc. Rhen. Ald. Micyll. et Lipsii prima. *iam* edd. Lipsii posteriores et Gruteri.

tum Antiochensium. Ed. Spir. *tunc Anthiocensium.*

ubi illis consultare mos est. cf. Frontin. Strateg. 3, 2, 5. Iustin. 22, 2. Ed. Spir. dat *illi* pro *illis.*

nihil aeque. MS. Guelf. *nil aeque.*

Germanica hiberna. Ex emendatione Rhenani. MSS. et edd. ante Rhenan. *hiberno*, ut pertineat ad *coelo*, idque defendit Iac. Gronovius iussitque ad *Germanica* intelligi *stipendia* vel *castra:* cui bene adversatus est Ernestius. Sed vide sequentia.

mutarentur. Sic edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. *mutaretur* MS.

quippe et provinciales sueto militum contubernio gaudebant, plerique necessitudinibus et propinquitatibus mixti, et militibus vetustate stipendiorum nota et familiaria castra in modum penatium diligebantur.

LXXXI. Ante Idus Iulias Syria omnis in eodem sacramento fuit. accessere cum regno Sohemus haud spernendis viribus, Antiochus vetustis opibus ingens et inservientium regum ditissimus. mox per occultos suorum nuntios excitus ab urbe Agrippa ignaro adhuc Vitellio celeri navigatione properaverat. nec minore animo regina Berenice partes iuvabat, florens aetate formaque et seni quoque Vespasiano magnificentia munerum grata. Quidquid provinciarum adluitur mari Asia atque Achaia tenus, quantumque introrsus in Pontum et Armenios patescit, iuravere. sed inermes legati regebant nondum

Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc., unde intelligis veteres ad *Germanica* intellexisse e praecedentibus *militia*. Restitue igitur *mutaretur*, tum bene se habebit scriptura *hiberno*. De re cf. Sueton. Vespas. c. 6.

quippe et pr. Ed. Spir. non habet *et*. Mox eadem *penatum* pro *penatium*.

diligebantur. MS. Bud. *dirigebantur*, quod frustra defendit Khunius apud Oberlinum, dum explicat: milites direxisse castra et tentoria ad instar penatium ac domiciliorum. Quod idem negat apud Tacitum *diligere* eo significatu, quo hic accipitur, legi, absurdum est. Nam si alii quicunque scriptores ita dicunt, cur non et Tacitus? Et hic habet *diligentiam erga pecuniam alienam* An. 4, 20.

Cap. 81. *Ante Idus Iul.* MSS. Bud. Guelf. *ante Kal. Iulii* (Guelf. *Iulias*). Sed respice ad c. 79.

haud spernendis viribus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Corb. edd. Spir. Lips. Pich. sqq. — *haud spernendis cum viribus* MSS. Guelf. Harl. edd. Put. sqq. ad Lipsium. — *haud spernendus cum viribus* MS. Ies.

Antiochus. Ed. Spir. *Anthiocus*, et c. 82. *Anthiocenses*. Mox eadem *exercitus* pro *excitus*.

regum. MS. Guelf. *regnum*.

ignaro adhuc Vitellio. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *ignaro ad hoc Vitellio* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc.

celeri navigatione. Ed. Spir. *cerina vacatione*.

Berenice. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. *Beronicae* edd. Put. M. et V. *Beronice* MS. Guelf. — *Berenicae* edd. Ber. Alc. Vid. not. ad 1, 83.

formaque. Ed. Spir. *famaque*.

quantumque. MS. Agr. *quantumc..nque*; frustra, nam idem exprimitur per vulgatum. In *quontumque* MS. Guelf. omittit copulam.

in Pontum. Edd. Rhen. (1544.) Lips. sqq. ad Ryckium destituuntur praepositione *in*, quam Ryckius restituit consentientibus vett. libris omnibus. Legitur etiam *in* apud Micyllum (1557.) et in ed. Gryph.

iuravere. Ed. Spir. *iuuare*. Mox *nondum* MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. *nun-*

additis Cappadociae legionibus. Consilium de summa rerum Beryti habitum. illuc Mucianus cum legatis tribunisque et splendidissimo quoque centurionum ac militum venit et e Iudaico exercitu lecta decora. tantum simul peditum equitumque et aemulantium inter se regum paratus speciem fortunae principalis effecerant.

LXXXII. Prima belli cura agere delectus, revocare veteranos. destinantur validae civitates exercendis armorum officinis: apud Antiochenses aurum argentumque signatur: eaque cuncta per idoneos ministros suis quaeque locis festinabantur. ipse Vespasianus adire, hortari, bonos laude, segnes exemplo incitare saepius quam coercere, vitia magis amicorum quam virtutes dissimulans. multos praefecturis et procurationibus, plerosque senatorii ordinis honore percoluit, egregios viros et mox summa adeptos: quibusdam fortuna pro virtutibus fuit. Donativum militi neque Mucianus prima concione nisi modice ostenderat, nec Vespasianus quidem plus civili bello obtulit quam alii in pace, egregie firmus adversus militarem largitionem eoque exercitu meliore. Missi ad Parthum Armeniumque legati provisumque,

dum edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

additis C. legionibus. cf. Sueton. Vesp. c. 8. Dio 65, 23.

Beryti. Sic MS. Flor. edd. Rhen. Ald. sqq. *Berithi* ed. Spir. *Beriti* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

lecta decora. tantum etc. Ed. Spir. *laeta decora tantum* etc.

Cap. 82. *agere delectus.* MS. Flor. teste Victorio *dilectus*, et sic edd. Lips. et Gruter. constanter.

revocare veteranos. Sic MSS. et edd. omnes. Lipsius malebat *evocare*, quia vulgo dicuntur *evocati.* Sed invenitur etiam *revocatus* in lapide apud Gruter. p. 524. n. 7.

suis quaeque. MS. Guelf. (a secunda manu) *suis quoque.*

festinabantur. MS. Agr. a prima manu *festinantur.*

coercere. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Lips. sqq. *cohercere* edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. sqq. ad Lips.

donativum. Sic edd. Pich. Gruter. sqq. e cod. Flor., qui habet *donativom* (test. Vict.). Edd. ante Pich. et vulgus MSStorum *donativa.* MS. Bud. *donativo.*

nec Vespasianus quidem. MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Corb. edd. Rhen. Ald. sqq. *ne Vespasianus quidem.* — *nec Vesp. quidem* MS. Guelf. et alii codd. MSS. et edd. Spir. Put. sqq. ad Rhenanum. — *neque V. q.* MS. Reg. Quae scriptura sine dubio erat restituenda. Nam aperte invicem sibi respondent *neque Mucianus . . . , nec Vespasianus* etc.

ne versis ad civile bellum legionibus terga nudarentur. Titum instare Iudaeae, Vespasianum obtinere claustra Aegypti placuit. sufficere videbantur adversus Vitellium pars copiarum et dux Mucianus et Vespasiani nomen ac nihil arduum fatis. Ad omnes exercitus legatosque scriptae epistolae praeceptumque, ut praetorianos Vitellio infensos reciperandae militiae praemio invitarent.

LXXXIII. Mucianus cum expedita manu, socium magis imperii quam ministrum agens, non lento itinere, ne cunctari videretur, neque tamen properans, gliscere famam ipso spatio sinebat, gnarus modicas vires sibi et maiora credi de absentibus. Sed legio sexta et tredecim vexillariorum millia ingenti agmine sequebantur. classem e Ponto Byzantium adigi iusserat, ambiguus consilii, num omissa Moesia Dyrrhachium pedite atque equite, simul longis navibus versum in Italiam mare clauderet, tuta pone tergum Achaia Asiaque, quas inermes exponi Vitellio, ni praesidiis firmarentur: atque ipsum Vitellium in incerto fore, quam partem Italiae protegeret, si

Iudaeae. Ed. Spir. *uideo*, quod ortum est e scriptura *Iudeae*. Sic edd. Put.

reciperandae. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. *recuperandae* MS. Guelf. edd. ante Lips. Eadem varietas librorum est c. 84. in *reciperando*.

Cap. 83. *modicas vires sibi.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. Lips. sqq. — *modicas vires esse sibi* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Micyll.

tredecim vexillariorum millia. Sic MSS. Flor. (expressis litteris, test. Vict.) Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. Rhen. sqq. — Edd. Put. V. Ber. Alc. pro *tredecim* ferunt VIII. — Mox MS. Guelf. ed. Spir. Put. M. et V. *Bizantium*.

num omissa. MS. Guelf. *nō omissa*, pervulgari vitio.

Dyrrhachium. Sic edd. Lipsii posteriores, Pich. Gruter. sqq. *Dyrrachium* MS. Guelf. edd. Put. sqq. *Dirachium* ed. Spirensis.

pedite atque equite. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) Reg. Corb. Agr. Bud. edd. Spir. Ryck. Iac. Gron. sqq. — *pedite atque equite peteret* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. ad Ryckium. — Mox ed. Spir. et MS. Guelf. (a secunda manu) *quasi inermes exponi vitellianis* (Guelf. *Vitellionis*) *praesidiis firmarentur.* Etiam edd. Put. M. et V. Alc. (cum MS. Guelf. a prima manu) dant *quasi* pro *quas*. In reliquis iidem libri consentiunt cum vulg. script.

si sibi. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Agr. Bud. Guelf. aliique, edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. — *si simul* edd. Rhe-

sibi Brundisium Tarentumque et Lucaniae Calabriaeque litora infestis classibus peterentur.

LXXXIV. Igitur navium, militum, armorum paratu strepere provinciae. Sed nihil aeque fatigabat quam pecuniarum conquisitio: eos esse belli civilis nervos dictitans Mucianus non ius aut verum in cognitionibus, sed solam magnitudinem opum spectabat. passim delationes, et locupletissimus quisque in praedam correpti. quae gravia atque intoleranda, sed necessitate armorum excusata etiam in pace mansere, ipso Vespasiano inter initia imperii ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinante, donec indulgentia fortunae et pravis magistris didicit ausus que est. Propriis quoque opibus Mucianus bellum iuvit, largus privatim quod avidius de re publica sumeret. ceteri conferendarum pe-

nan. (hic ex ingenio) Ald. sqq. ad Ryckium, qui veterem scripturam restituit.

Brundisium. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lipsii sqq. — *Brundusium* MS. Guelf. edd. ante Lips. — Mox ed. Spir. *Calabriae Lucaniaeque.*

litora. MS. Flor. teste Ryckio *in litora.* Tacent vero Victorius, Pichena et Iac. Gronovius.

CAP. 84. *eos esse b. c. n.* Ed. Spir. *eas esse* etc. Mox eadem *non vis* pro *non ius.*

intoleranda. Edd. Put. M. et V. *intolleranda.*

haud perinde. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *haud perin.* Omissa est lineola super extrema littera.

obstinante. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gron. sqq. — *obstinato* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. ad Ryckium, qui bene defendit alteram scripturam adlato exemplo e Plaut. Aulul. 2, 2, 89. *Id inhiat, ea affinitatem hanc obstinavit gratia.* — MS. Bud. dat *aut per vim obstinate.*

didicit. Ed. Spir. corrupte *dies.* Eadem mox cum MS. Guelf. *propriisque* haud inepte pro *propriis quoque.* Vid. not. ad An. 1, 28.

largus privatim quod etc. Sic MSS. et edd. Spir. Put. Ber. Alc. Rhen. (1533.) Ald. Micyll. (1557.) — *largitus privatim, quod* etc. edd. Rhen. 1544. (?) Lips. sqq. ad Iac. Gron., qui e MS. Flor. restituit veterem scripturam. Heinsius coniecit *largus privati.* Vir doctus in ed. Gryph. (teste Ernestio) et Muretus *largus privatim, quo,* quod edidit Gruterus. Placet Ernestio, Lallemando, Oberlino. Verum commode ante *quod* intelligi potest demonstrativum, ad quod relativum respiciat. Non enim sermo est de certa quadam re, quam sit largitus, quam de re publica resumpserit: sed illa loquendi ratione auctor utitur non definita, in qua solet omitti *id* ante *quod,* quia relativum non aliud exprimit, quam quod demonstrativo erat exprimendum. Tum nomen relativum ita inter utrumque membrum ponitur, ut ad utrumque videatur pertinere: quam rationem vocant attractionem grammatici. Plene igitur Noster scripsisset: *largus privatim id quod* etc. Nempe subest structura graeca. Non obstat, quod

cuniarum exemplum secuti rarissimus quisque eandem in reciperando licentiam habuerunt.

LXXXV. Adcelerata interim Vespasiani coepta Illyrici exercitus studio transgressi in partes. tertia legio exemplum ceteris Moesiae legionibus praebuit. octava erat ac septima Claudiana, imbutae favore Othonis, quamvis proelio non interfuissent. Aquileiam progressae proturbatis qui de Othone nuntiabant, laceratisque vexillis nomen Vitellii praeferentibus, rapta postremo pecunia et inter se divisa hostiliter egerant. unde metus et ex metu consilium posse imputari Vespasiano, quae apud Vitellium excusanda erant. ita tres Moesicae legiones per epistolas adliciebant Pannonicum exercitum aut abnuenti vim parabant. In eo motu Aponius

Ernestius adfert, illud ipsum, ad quod relativum respiciat, Mucianum non sumpsisse de re publica. Hae enim sunt argutiae. *Pecuniam* de suo dedit, *pecuniam* de re publica sumpsit. Duriores sunt constructiones et apud Graecos et apud Latinos. Caes. B. G. 1, 5. *Helvetii frumentum omne, praeter quod secum portaturi erant, comburunt.* Cic. Or. 2, 60. *Haec cadere possunt in quos nolis.*

rarissimus quisque. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *carissimus quisque* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. ad Rhen.

Cap. 85. *Adcelerata.* Sic ed. Spir.; *accelerata* MS. Guelf. (ibi *accelereta*) edd. Put. sqq.

transgressi in partes. Sic codd. MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. aliique, edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Micyll. et deinde Pich. Grut. sqq — Rhenanus duce cod. Bud. delevit *transgressi*, quod abesse posse nemo dubitat. At *transgressi* peculiare momentum sententiae addit dicitque expresse Illyricum exercitum in Vespasiani partes transiisse, quod non inest Rhenani scripturae. Haec tamen repetita est ab Aldo et Lipsio in prioribus edd. In postrema Lipsius habet: *Illyrici exercitus studio. Transgressa in partes* etc., uti locus legitur in MSS. Agr. et Corb. adprobantibus Freinshemio et Ryckio.

tertia legio. Ed. Spir. et MS. Bud. *tertia decima.* Sed eadem hic *tertia* intelligenda, quae dicebatur c. 74. Mox in MS. Guelf. vocabulum *ceteris* non legitur.

imbutae. Ed. Spir. *imbuta*, interpunctione (:) posita ante *Claudiana*.

Aquileiam progressae. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gron. sqq. — *Aquileiam iam progressae* MSS. Harl Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. Ber. sqq. ad Ryckium. — Mox ed. Spir. *alliciebat* pro *adliciebant*; *haud abnuenti* pro *aut abn.* — In MS. Bud. desunt verba inde a *Pannonicum* usque ad *parabant*, omisitque Rhenanus in editione. Restituit Lipsius 1574.

in eo motu. Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Guelf. Bud. aliique, edd. Spir. Put. M. Pich. Lipsii postr. Gruter. sqq. — *in eo metu* edd. Put. V. sqq. ad Pich. Est igitur vitium typograph. ex ed. Put V. in ceteras propagatum.

Saturninus Moesiae rector pessimum facinus audet misso centurione ad interficiendum Tertium Iulianum septimae legionis legatum ob simultates, quibus causam partium praetendebat. Iulianus comperto discrimine et gnaris locorum adscitis per avia Moesiae ultra montem Haemum profugit. nec deinde civili bello interfuit, per varias moras susceptum ad Vespasianum iter trahens et ex nuntiis cunctabundus aut properans.

LXXXVI. At in Pannonia XIII. legio ac VII. Galbiana dolorem iramque Bedriacensis pugnae retinentes haud cunctanter Vespasiano accessere, vi praecipua Primi Antonii. is legibus nocens et tempore Neronis falsi damnatus inter alia belli mala senatorium ordinem reciperaverat. praepositus a Galba septimae legioni scriptitasse Othoni credebatur ducem se partibus offerens: a quo neglectus in nullo Othoniani belli usu fuit. labantibus Vitellii rebus Vespasianum secutus grande momentum addidit, strenuus manu, sermone promptus, serendae in alios invidiae artifex, discordiis et seditionibus potens, raptor, largitor, pace pessimus, bello non spernendus. Iuncti inde Moesici ac Pannonici exercitus Dalmaticum militem traxere, quanquam consularibus legatis nihil turbantibus. Titus Ampius Flavianus

Saturninus. Ed. Beroald. (cum silent. Vict.) *Saturnius.* Supra 1, 79. *M. Aponius* dicitur. Vid. not. ad 3, 5.

Tertium. Sic edd. Spir. Lips. sqq. cf. infr. 4, 39. et 40. *Tectium* ferunt MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. sqq. ad Lipsium.

gnaris locorum. Ed. Put. V. vitiose *ignaris locorum.*

adscitis. Sic hoc loco MS. Guelf. edd. vett. omnes, quum alibi Puteolanus, et qui eum sequuntur, praeferant *ascitus.*

ad Vespasianum. Ed. Spir. *a Vespasiano.*

Cap. 86. *Bedriacensis.* Libri, ut 2, 23.

in nullo. Haec male desunt in ed. Spir. Mox pro *serendae*, quae est omnium librorum scriptura, in ed. Weikerti inrepsit *ferendae.*

labantibus. MS. Guelf. *labentibus.*

Titus Ampius Flavianus. Sic edd. Pich. Lipsii postr. Gruter. sqq. e MS. Flor., in quo (test. Vict.) legitur *Titus Amplius Fabianus.* Nomen *Flavianus* Lipsius e MS. Farnes. restituit, cum quo consentiunt MS. Reg. ed. Spir. Quod medium est *Ampius*, ceteri libri praeter cod. Flor. non agnoscunt. MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. Guelf. edd. Put. sqq. ad Lipsium habent *Titus Fabianus.* Edd. Lipsii priores *Titus Flavianus.* Ceterum cf. not. ad 3, 4. et 10.

Pannoniam, Poppaeus Silvanus Dalmatiam tenebant, divites senes. sed procurator aderat Cornelius Fuscus, vigens aetate, claris natalibus. prima iuventa quietis cupidine senatorium ordinem exuerat. idem pro Galba dux coloniae suae eaque opera procurationem adeptus, susceptis Vespasiani partibus acerrimam bello facem praetulit: non tam praemiis periculorum quam ipsis periculis laetus pro certis et olim partis nova, ambigua, ancipitia malebat. Igitur movere et quatere, quidquid usquam aegrum foret, adgrediuntur. scriptae in Britanniam ad quartadecumanos, in Hispaniam ad primanos epistolae, quod utraque legio pro Othone, adversa

Poppaeus Silvanus. Sic edd. Iac. Gron. sqq. *Poppeus Silvanus* edd. Pich. Bernegg. Gron. (1672.) Ryck. — *Pompeius Syllanus* (vel *Sullanus*) MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Pich. — *Pompeius Sylvanus* (vel *Silvanus*) MSS. Reg. Corb. Agr. ed. Spir., quod edidit Broterius. MS. Bud. *Pompeius Silianus.* cf. not. ad 3, 50. et 4, 47.

aderat. MS. Corb. *erat.* — Mox ed. Spir. *ingens*, vulgari vitio pro *vigens.* Eadem *clarus* pro *claris.*

quietis cupidine. Sic MSS. et vett. edd. Grotio et Huetio auctoribus Bipontini ediderunt *quaestus cupidine*, quam emendationem praeivit locus de Mella An. 16, 17. Et sane quae de Fusco in sequentibus narrantur, inquietum potius hominis ingenium arguunt. Melius etiam *quaestui* quam *quieti* vocabulum *cupidine* convenit: nempe *quietis amore* dicendum fuisse arbitror. Alii obiecerunt mentem hominis successu temporis potuisse mutari. Nec ego quidquam molior contra veterum librorum consensum.

idem pro Galba, Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Bud. Agr. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *idemque pro Galba* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

coloniae suae. Intellige coloniam Cornelii Fusci h. e. unde erat oriundus. De nomine ne quaeras: non enim omnia scire utile est. Fortasse Noster de hac re amplius dixit in libri Annalium decimi sexti parte extrema, quae periit. Neque tamen silebo in ed. Spir. non legi *suae* sed *ue.* Quare et Bipontinis id vocabulum suspectum fuit.

adeptus. MS. Corb. et ed. Spir. addunt *est.*

pro certis. MS. Guelf. *pro caeteris.*

ancipitia. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. — *et ancipitia* MSS. Broterii et Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc.

quidquid. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *quicquid* edd. vett. — *q q* MS. Guelf.

adgrediuntur. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. et dein Pich. Lipsii postr. Grut. sqq. *aggreditur* edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Pichenam. Victorius eam scripturam correxit in *adgreditur*: in cod. Flor. id verbum legi numero plurali non adnotavit.

Vitellio fuerat: sparguntur per Gallias litterae: momentoque temporis flagrabat ingens bellum, Illyricis exercitibus palam desciscentibus, ceteris fortunam secuturis.

LXXXVII. Dum haec per provincias a Vespasiano ducibusque partium geruntur, Vitellius contemptior in dies segniorque, ad omnis municipiorum villarumque amoenitates resistens, gravi urbem agmine petebat. sexaginta millia armatorum sequebantur licentia corrupta: calonum numerus amplior, procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis: tot legatorum amicorumque comitatus inhabilis ad parendum, etiam si summa modestia regeretur. Onerabant multitudinem obvii ex urbe senatores equitesque, quidam metu, multi per adulationem, ceteri ac paulatim omnes, ne aliis proficiscentibus ipsi remanerent. Adgregabantur e plebe flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti, scurrae, histriones, aurigae, quibus ille amicitiarum dehonestamentis mire gaudebat. Nec coloniae modo aut municipia congestu copiarum, sed ipsi cultores arvaque maturis iam frugibus ut hostile solum vastabantur.

LXXXVIII. Multae et atroces inter se militum caedes, post seditionem Ticini coeptam manente legionum auxiliorumque discordia, ubi adversus paganos certan-

per Gallias. MS. Guelf. *in Italia.*

Cap. 87. *dum haec.* MS. Corb. *cum haec.*

ad omnis. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. ad Ernest. et Broter., qui maluere *ad omnes* e MSS. Reg. Corb. ed. Spir. Sed cum illam formam toleremus aliis locis, non video cur hic reiiciamus. Restituit etiam Bekkerus.

inter servos. Sic libri vett. omnes. Freinshemius frustra, at cum multa fiducia tentabat *inter severos:* quem bene refutavit Ryckius. Neque tamen rationem sententiamque loci satis recte exposuit. Describit Noster Vitellii agmen: *sexaginta millia armatorum licentia corrupta: calonum numerus amplior*, quos ut intelligas non minus, sed multo magis corruptos, addit: *procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis*, quasi scriberet: quorum ingenia quantopere et ipsa fuerint corrupta inde colligas, quod lixarum ingenia etiam inter servos solent esse procacissima. Vocabulum *calonum*, quod priore loco positum est, altero loco auctor mutat voce *lixarum*, ut iidem intelligantur. Solent enim *calones* et *lixae* plerumque coniungi nec discerni. cf. Hist. 1, 49. 3, 20. (ubi similis est sententia) 3, 33. Sueton. Galba c. 20.

ipsi remanerent. Ed. Spir. *alii remanerent.*

Cap. 88. *manente . . . discordia.* MS. Guelf. *manentem . . . discordiam.*

dum foret, consensu. Sed plurima strages ad septimum ab urbe lapidem. singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos ut gladiatoriam saginam dividebat, et effusa plebes totis se castris miscuerat. incuriosos milites (vernacula utebantur urbanitate) quidam spoliavere abscisis furtim balteis, an accincti forent, rogitantes. non tulit ludibrium insolens contumeliae animus: inermem populum gladiis invasere. caesus inter alios pater militis, cum filium comitaretur: deinde agnitus, et vulgata caede temperatum ab innoxiis. In urbe tamen trepidatum praecurrentibus passim militibus. forum maxime petebant cupidine visendi locum, in quo Galba iacuisset. nec minus saevum spectaculum erant ipsi tergis ferarum et ingentibus telis horrentes, cum turbam populi per in-

foret, consensu. Ed. Spir. *fore consensum.* In MS. Guelf. quoque secunda manus e *consensu* fecit *consensũ*: forma *foret* ibi mansit.

ut gladiatoriam saginam. MS. Agr. ed. Spir. *ad gladiatoriam saginam.*

effusa plebes. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Guelf. edd. Pich. Bernegg. sqq. — *effusa plebs* MS. Harl. edd. Spir. Put. sqq. ad Pich.

totis se castris. MS. Guelf. *totisque castris.* Mox, a secunda manu *incuriosi* pro *incuriosos.*

utebantur. Sic MSS. et edd. ante Rhenanum, qui id verbum tacite delevit. Lipsius vetus illud *utebantur* volebat verti in *ut rebantur*, idque receperunt I. Fr. Gronov. (1672.) Ryck. sqq. Oberlinus reduxit *utebantur*, quod satis ferri potest adhibita parenthesi, quam nunc fecimus. Aliter structura loci non constat. Alciatus edidit: *in curiosos milites vernacula utebantur* etc.

abscisis. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Ber. (cum silent. Vict.) et deinde Iac. Gronov. Ernest. sqq. — *abscissis* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. ad Iac. Gron. cf. not. ad 3, 74.

balteis. Ed. Spir. *baltheis.* Mox *accintis* pro *accincti.* MS. Guelf. *accinti.*

comitaretur. h. e. cum in comitatu filii militis et domo cum illo profectus esset, non hospes nunc in castris cupidus visendi. Neque intelligas caesum a filio, sed ab alio quodam milite ira in omnes paganos accensa. *deinde agnitus*, int. hunc non esse e scurris illis, sed militis patrem. Reinesius frustra tentabat *conviciaretur*, ut ita pater a filio caesus videretur.

trepidatum. Ed. Beroald. *trepitatum*, quod Vict. corr. *trepidatum*, ut e cod. Flor.

saevum spectaculum. Sic edd. Put. sqq. cum MS. Agr. et aliis. Ed. Spir. *seuum*, uti solet. — *scaevum* MSS. Flor. Harl. Guelf. ed. Iac. Gron. Utrumque tolerari potest. *Saevum* est χαλεπόν, δεινόν (cf. not. ad An. 2, 5.) et bene congruit cum trepidatione. *Scaevum spectaculum* est, unde mala imminentia augurarentur cives. Sed in MS. Guelf. pro *saevum* constanter scribitur *sęvum.* — Mox in MS. Bud. deest *ipsi* et deinde *ubi.*

scitiam parum vitarent aut, ubi lubrico viae vel occursu alicuius procidissent, ad iurgium, mox ad manus et ferrum transirent. quin et tribuni praefectique cum terrore et armatorum catervis volitabant.

LXXXIX. Ipse Vitellius a ponte Mulvio insigni equo, paludatus accinctusque, senatum et populum ante se agens, quo minus ut captam urbem ingrederetur amicorum consilio deterritus, sumpta praetexta et composito agmine incessit. quattuor legionum aquilae per frontem totidemque circa e legionibus aliis vexilla, mox duodecim alarum signa et post peditum ordines eques: dein quattuor et triginta cohortes ut nomina gentium aut species armorum forent discretae. ante aquilam praefecti castrorum tribunique et primi centurionum candida veste: ceteri iuxta suam quisque centuriam armis donisque fulgentes: et militum phalerae torquesque splendebant. decora facies et non Vitellio principe dignus exercitus. sic Capitolium ingressus atque ibi matrem complexus Augustae nomine honoravit.

ubi lubrico. MS. Guelf. a prima manu *aut ludribrio*: secunda manus in marg. posuit *ubi lubrico.*

volitabant. cf. not. ad c. 41.

Cap. 89. *Ipse Vitellius ... incessit.* Diversus à Tacito Sueton. Vit. c. 11. *Urbem denique ad classicum introiit paludatus ferroque succinctus inter signa atque vexilla, sagulatis comitibus ac detectis commilitonum armis.* Taciti expositionem Broterius bene defendit e nummis.

a ponte Mulvio. MS. Flor. (test. Vict.) *a ponte Mului.* Ed. Spir. *milui.* Edd. Put. sqq. cum MS. Guelf. *Miluio.* cf. not. ad An. 13, 47. Hoc loco videtur incertum esse, an non verius sit *a ponte Mulvii.* cf. not. ad 3, 82. et 1, 41. sub vv. *lacus Curtii.*

accinctusque. Ed. Spir. et MS. Guelf. *accintusque.*

circa. Edd. Put. M. et V. *cc.* MS. Guelf. *cc*[a].

eques: dein etc. Sic edd. Put. sqq. (cum silent. Vict.). — *: equos dehīc* ed. Spir. Etiam in MS. Reg. invenitur *dehinc*, vulgari confusione. cf. not. ad An. 11, 17. MS. Guelf. *eques dein*, *quatuor* etc.

aut species. MS. Reg. *ut species.* Verbum *forent* Broterio videtur redundare, non mihi.

ante aquilam. Int. ante suam quique aquilam. Nam quattuor fuerunt. Ceterum MS. Flor. (test. Ryckio) dicitur habere *ante aquila.* Victorius vulgatum reliquit intactum. Lipsius et Ryckius verius scribi *ante aquilas* autumant.

ceteri iuxta suam quisque centuriam. Ed. Spir. *Ceteri iuxta: quisque centuriam.* Mox eadem *faller*ę pro *phalerae*. MS. Guelf. *phalar*ę.

decora ... exercitus. Hic locus in MS. Bud. non apparet.

honoravit. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Harl. Bodl. Ies. Corb. Guelf. Bud. edd. Rhenan. sqq. — *deco-*

XC. Postera die tanquam apud alterius civitatis senatum populumque magnificam orationem de semetipso prompsit industriam temperantiamque suam laudibus attollens, consciis flagitiorum ipsis qui aderant omnique Italia; per quam somno et luxu pudendus incesserat. vulgus tamen vacuum curis et sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum clamore et vocibus adstrepebat: abnuentique nomen Augusti expressere, ut adsumeret tam frustra quam recusaverat.

XCI. Apud civitatem cuncta interpretantem funesti ominis loco acceptum est, quod maximum pontificatum adeptus Vitellius de caerimoniis publicis XV. Kal. Aug. edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus. adeo omnis humani divinique iuris expers, pari libertorum amicorumque socordia, velut inter temulentos agebat. Sed comitia consulum cum candidatis civiliter celebrans omnem infimae plebis rumorem in theatro ut spectator, in circo ut fautor adfectavit. quae grata sane et popularia, si a virtutibus proficiscerentur,

ravit edd. Spir. Put. M. et V. Ber. Alc.

Cap. 90. *alterius civitatis.* H. e. alius, diversae, ut saepe. Sic mox 3, 1. *alterius belli.* Agr. c. 17. *alterius successoris.* cf. Baumgarten-Crus. in clav. Suet. sub h. v.

laudibus. Hoc vocabulum in ed. Spir. non apparet.

consciis flagitiorum ipsis qui aderant. In MS. Guelf. secunda manus fecit: *conscii flagitiorum ipsi q3 aderant.*

et sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum. MS. Corb. pro *discrimine* habet *distinctione*, ex interpretatione. MS. Agr. ed. Spir. *solita adulatione se doctum* (MS. Agr. *seductum*). — *Adulationes* sunt adulationis formulae. cf. not. ad An. 1, 7. et Roth. in Quaest. Gramm. *(Neues Archiv f. Ph. u. P.* 1830. nr. 3 u. 4.).

Cap. 91. *interpretantem.* MS. Guelf. *interpretante.*

de caerimoniis publicis . . . edixisset. Sueton. c. 11. *Magis deinde ac magis omni divino humanoque iure neglecto Alliensi die pontificatum maximum cepit.* De die cf. Liv. 5, 37 sqq. 6, 1. Ed. Spir. pro *edixisset* dat *edidisset.* Mox eadem: *diuini humanique.*

libertorum amicorumque. MS. Flor. (test. Iac. Gron.) non agnoscit *que*, praefert asyndeton. Sed Victorius vulgatam scripturam intactam reliquit.

cum candidatis civiliter celebrans. Contra Savilium, qui intelligebat munera a candidatis edita civiliter celebrantem, I. Fr. Gronovius docuit esse potius cogitandum de Vitellio cum suis candidatis circumeunte et prensante patres, penes quos tunc erant comitia. cf. Liv. 39, 32. Val. Max. 5, 2. Cic. pro Planc. c. 6 et 10. Sueton. Octav. c. 56. Plin. ep. 3, 20. Plin. Panegyr. c. 69. 71.

fautor. MS. Guelf. *fauctor.*

memoria vitae prioris indecora et vilia accipiebantur. Ventitabat in senatum, etiam cum parvis de rebus patres consulerentur. ac forte Priscus Helvidius praetor designatus contra studium eius censuerat. commotus primo Vitellius non tamen ultra quam tribunos plebis in auxilium spretae potestatis advocavit. mox mitigantibus amicis, qui altiorem iracundiam eius verebantur, nihil novi accidisse respondit, quod duo senatores in re publica dissentirent: solitum se etiam Thraseae contradicere. Inrisere plerique impudentiam aemulationis: aliis id ipsum placebat, quod neminem ex praepotentibus, sed Thraseam ad exemplar verae gloriae legisset.

XCII. Praeposuerat praetorianis P. Sabinum a praefectura cohortis, Iulium Priscum tum centurionem: Priscus Valentis, Sabinus Caecinae gratia pollebant. Inter discordes Vitellio nihil auctoritatis. munia imperii Caecina ac Valens obibant, olim anxii odiis, quae bello et castris male dissimulata pravitas amicorum et

cum parvis. Ed. Spir. *ubi parvis.* Mox eadem *Eluidius.* Deinde *amicis* ibi deest.

praetor designatus. MS. Guelf. *consul dessignatus.*

altiorem iracundiam eius. MS. Bodl. ed. Spir. *altiorem eius iracundiam*, uti edidit Broterius.

in re publica. MS. Guelf. *in rem p.*

Thraseae. De quo vid. An. 16, 21.

quod neminem. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Corb. Guelf. (a secunda manu in marg.) edd. Spir. Pich. Gruter. sqq. — *quod non* MSS. Bud. Guelf. (a prima manu) Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Pichenem.

Cap. 92. *a praefectura cohortis.* Ex emendatione Merceri, quam receperunt Pich. Bernegg. sqq. — MSS. et vett. edd. *ad praefecturam cohortis.* MS. Flor. (test. Pich.) *ad praefectura cohortis.* Victorius intactum reliquit *ad praefecturam.* — Mox scriptura *tum centurionem* debetur Lipsio: recepta est a Pichena, Grutero sqq. Praeiverunt MSS. Flor. et Farnes., qui (test. Pich. et Lips.) ferunt *dum centurionem.* MSS. Agr. Reg. Corb. ed. Spir. *dum centurio est.* MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. *dum centurio esset.* Sed iam pretium esse videtur noscere, quomodo totus locus habeatur in vett. edd. Igitur ed. Spir. *Sabinum: ad praefecturam cohortis Iulium priscum dum centurio est priscus* etc. Edd. Put. *Sabinum: ad praefecturam cohortis Iulium priscum: dum centurio esset.* Beroaldus colon ante *dum* commate mutavit. Alciatus, Rhenanus sqq. utroque interpunctionis loco commata maluere. Lipsius pro *ad praefecturam* edidit *ac praefecturae:* veriorem tamen iam 1574. iudicavit Merceri emendationem.

fecunda gignendis inimicitiis civitas auxerat, dum ambitu, comitatu et immensis salutantium agminibus contendunt comparanturque, variis in hunc aut illum Vitellii inclinationibus. nec unquam satis fida potentia, ubi nimia est. Simul ipsum Vitellium subitis offensis aut intempestivis blanditiis mutabilem contemnebant metuebantque. Nec eo segnius invaserant domos, hortos, opesque imperii, cum flebilis et egens nobilium turba, quos ipsos liberosque patriae Galba reddiderat, nulla principis misericordia iuvarentur. Gratum primoribus civitatis, etiam plebes adprobavit, quod reversis ab exsilio iura libertorum concessisset, quanquam id omni modo servilia ingenia corrumpebant abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus et quidam in domum Caesaris transgressi atque ipsis dominis potentiores.

XCIII. Sed miles plenis castris et redundante multitudine in porticibus aut delubris et urbe tota vagus non principia noscere, non servare vigilias neque labore firmari: per inlecebras urbis et inhonesta dictu corpus otio, animum libidinibus imminuebant. postremo ne

fecunda. MS. Guelf. *facunda.* Ibidem voc. *civitas* in contextu omissum secunda manus in margine addidit.

dum ambitu. Ed. Spir. *dum habitu.* Mox eadem *salutationum* pro *salutantium ; et illum* pro *aut illum.* MS. Corb. *aut in illum.*

ubi nimia est. MS. Bud. *ubi minima est*, unde Rhenanus coniiciebat: *ubi vi nimia est.*

offensis. Ed. Spir. *infensis.*

plebes. Sic edd. Pich. Bernegg. sqq. — *plebs* MS. Guelf. edd. ante Pich. (cum silent. Vict.).

reversis. MS. Guelf. a secunda manu *reversus.*

iura libertorum. Quae erant in eo, quod operas liberti domino deberent, alimenta, si egeret, denique testamento bonorum semissem. cf. Lips. ad h. l.

omni modo. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Pich. Grut. Bernegg. sqq. — *omnino* edd. Spir. Put. sqq. ad Pich., quae scriptura originem traxit e compendio *omni mō.*

per occultos aut ambitiosos sinus. Ed Spir. habet *et* pro *aut.* MS. Bud. *ambitiosissimos.* An additum sit *sinus*, Oberlinus male tacet. Iam Pichenae sinus ambitiosi videntur, cum pecuniae depositae essent apud potentiores. Maluerim referre ad ipsos libertos, qui potentiores facti et viris potentioribus adnexi satis tuti essent, quo minus domini iura sua contra ipsos experirentur. Eam sententiam innuunt etiam verba sequentia. De vocabulo *sinus* cf. infr. 3, 19. 4, 14.

transgressi. MS. Corb. *ingressi.*

Cap. 93. *imminuebant.* Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Reg. Corb. Agr. Bud. edd. Ryck. Iac.

salutis quidem cura infamibus Vaticani locis magna pars tetendit, unde crebrae in vulgus mortes. et adiacente Tiberi Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora fluminis aviditas et aestus impatientia labefecit. Insuper confusus pravitate vel ambitu ordo militiae. sedecim praetoriae, quattuor urbanae cohortes scribebantur, quis singula millia inessent. plus in eo delectu Valeris audebat, tanquam ipsum Caecinam periculo exemisset. sane adventu eius partes convaluerant et sinistrum lenti itineris rumorem prospero proelio verterat: omnisque inferioris Germaniae miles Valentem adsectabatur. unde primum creditur Caecinae fides fluitasse.

XCIV. Ceterum non ita ducibus indulsit Vitellius, ut non plus militi liceret. sibi quisque militiam sumpsere. quamvis indignus, si ita maluerat, urbanae militiae adscribebatur: rursus bonis remanere inter legionarios aut alares volentibus permissum. nec deerant qui

Gron. sqq. Idem voluit dare ed. Spir. dum scribit: *imminebant*. Contra *imminuebat* MSS. Harl. Guelf. edd. Put. sqq. ad Ryck. (cum silentio Victorii).

infamibus. *verrufen*; int. ob aerem parum purum.

adiacente Tiberi. Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Agr. Reg. Corb. Bud. (hic *adiacenti*) edd. Spir. Ryck. Brot. Bip. Oberl. sqq. — *adiacentia Tiberi* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Ryckium et post Ryckium Iac. Gron. Ernest. Ernestio enim ineptum videbatur *iacere* et *adiacere* de flumine. Bipontini et Oberlinus ad *adiacente* intelligunt *Vaticano campo*, ut Tiberi is adiacere dicatur. Quam interpretationem esse contortam non est quod uberius doceam. Immo *adiacente* commode refertur ad *Tiberi*: nam epitheton ab hominibus, qui Tiberi adiacebant, transfertur ad ipsum fluvium, cuius hic mentio fit non ut aquae fluentis, sed omnino ut rei, quae ibi erat iuxta campum Vaticanum.

Gallorumque. Ed. Spir. et MS. Bud. *gudauorumque*, unde Rhenanus coniiciebat *Batavorum*. At Batavorum cohortes remissae supr. c. 69. MS. Corb. *Gadanorum*. MS. Flor. teste Vict. *Galurumque*, hinc illae scripturae aberrationes. Sed apertum est librum Flor. sibi velle *Gallorumque*. Amat autem *u* pro *o*.

aviditas. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir. *aviditate*, quod in hac verborum serie stare nequit et fortasse ortum est admixta copula *et*, quae sequitur.

exemisset. Ed. Ber. *eximisset*, quod Victorius e cod. Flor. correxit *exemisset*.

verterat. In MS. Guelf. secunda manus e *verterat* fecit *vērtērāt*.

adsectabatur. MSS. Harl. Bodl. Ies. *assectabantur*: MSS. Guelf. et a secunda manu Harl. *assectabatur*.

Cap. 94. *ut non plus*. MS. Guelf. *non ut plus*.

rursus bonis. Ed. Spir. *bonis rursus*.

vellent, fessi morbis et intemperiem coeli incusantes. robora tamen legionibus alisque subtracta, convulsum castrorum decus viginti millibus e toto exercitu permixtis magis quam electis. Concionante Vitellio postulantur ad supplicium Asiaticus et Flavius et Rufinus duces Galliarum, quod pro Vindice bellassent. nec coercebat eiusmodi voces Vitellius: super insitam inerti animo ignaviam conscius sibi instare donativum et deesse pecuniam omnia alia militi largiebatur. Liberti principum conferre pro numero mancipiorum ut tributum iussi. ipse sola perdendi cura stabula aurigis exstruere, circum gladiatorum ferarumque spectaculis opplere, tanquam in summa abundantia pecuniae inludere.

XCV. Quin et natalem Vitellii diem Caecina ac Valens editis tota urbe vicatim gladiatoribus celebravere

incusantes. MS. Corb. *accusantes.* Mox coniungenda: *viginti millibus e toto exercitu*, non *e toto exercitu permixtis*, ut Acidalius locum accipiebat. Sed video rem eodem redire. Paulo ante ed. Spirensis *aliisque* pro *alisque*, quod vitium iste liber amat. In MS. Guelf. quoque secunda manus ex *alisque* fecit *aliisque*.

Rufinus. Ed. Spir. *Ruffinus.*

eiusmodi. MS. Corb. *huiusmodi.*

super insitam inerti animo ignaviam. Edd. vett. et vulgus MSStorum vocabulum *inerti* non habent. In MS. Flor. Pichena invenit: *super insitam morte animo ignaviam*, unde ille fecit quae ab Oberlino in contextum recepta hodie vulgantur. Lipsius e *morte* volebat fieri *forte*. Bipontini dederunt *inerte animo*. Alibi brevius Noster dicit. cf. infr. c. 101. *super insitam levitatem.* An. 1, 59. *super insitam violentiam.* Hist. 4, 19. *insita ignavia*, et sexcentis aliis locis. *Animo* tum demum addi solet, cum *animus* ex oppositione alterius rei ponitur. Sic supr. c. 23. *animo ignavus, procax ore.* Hic oppositio nulla est: et quod attinet ad vocem *inerti* vel *inerte*, hoc per se intelligitur inertem esse animum eius, cui insita ignavia. Quare rectius fortasse emendares: *super insitam ore et animo ignaviam.* Ad vocabulum *insitam* intellige *Vitellio*: ablativi *ore* et *animo* describunt ignaviam, ut ita ore et animo V. dicatur ignavus. Non tamen nego additamentum *inerti animo* ita tolerari posse, ut pertineat ad nervosius dicendi genus.

donativum. MS. Flor. test. Vict. *donativō* h. e. donativom. cf. not. de hac re supra pluribus locis.

largiebatur. MS. Guelf. *largiebantur.*

liberti principum. Intell. priorum. Nam liberti priorum principum ut imperio adnexi ad alteram domum imperatoriam transibant. cf. not. ad Hist. 1, 46.

conferre. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *conferri.* In cod. Bud. id verbum non legitur. MS. Ies. dat *et tributum* pro *ut tr.*

Cap. 95. *Caecina ac Valens.* Sic a MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. — Edd. ante Rhen. (cum silent. Vict.) et MS. Guelf. ferunt *et* pro *ac.*

ingenti paratu et ante illum diem insolito. Laetum foedissimo cuique, apud bonos invidiae fuit, quod exstructis in campo Martio aris inferias Neroni fecisset. caesae publice victimae cremataeque: facem Augustales subdidere: quod sacerdotium ut Romulus Tatio regi ita Caesar Tiberius Iuliae genti sacravit. Nondum quartus a victoria mensis, et libertus Vitellii Asiaticus Polycletos, Patrobios et vetera odiorum nomina aequabat. nemo in illa aula probitate aut industria certavit: unum ad potentiam iter prodigis epulis et sumptu ganeaque satiare inexplebiles Vitellii libidines, ipse abunde ratus, si

inferias Neroni fecisset. Suidas sub v. *Βιτέλλιος*: *ἐπῄνει τε καὶ τὰ Νέρωνος, καὶ τὸν νεκρὸν τοῦ Νέρωνος ἐς κοῖλόν τινα καὶ ἀφανῆ τάφον κατακείμενον ἀπεσέμνυε.* Xiphilin. 65, 7. *ὅτι μέντοι τὸν Νέρωνα μιμεῖσθαι ἤθελε καὶ ἐνήγισέ τε αὐτῷ, καὶ ὅτι τοσαῦτα ἐς τὰ δεῖπνα ἀνήλισκεν, οἱ μὲν ἄλλοι κατὰ τοῦτ᾽ ἔχαιρον, οἱ δὲ δὴ νοῦν ἔχοντες ἤχθοντο.* Suet. Vit. c. 11. *medio Martio campo adhibita publicorum sacerdotum frequentia inferias Neroni dedit.* Iam Taciti loco verbum *fecisset* debetur Lipsii ingenio. MSS. Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. Micyll. *iecisset.* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *iecissent*, cum silentio Victorii.

facem Augustales subdidere. Sic edd. Ernest. Brot. sqq. — *faces Augustales subdidere* edd. Rhen. Ald. sqq. ad Ernest. — *faces Augustales subditae* (ut haec pendeant e *crematae*) MSS. Guelf. Bodl. Harl. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. — *faces Augustales subdere* ed. Spir. — Scripturam *facem* praeferunt MSS. Flor. (test. Pich.) Corb. Reg. Agr.; Victorius intactum reliquit *faces*, quod exstat in MSS. Harl. Bodl. Bud. Guelf. — *Subdidere* Rhenanus ex ingenio dedit: MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Agr. (a prima manu) Corb. cum ed. Spir. *subdere*, quod videtur ortum esse e male accepto compendio. Pro *Augustales* MSS. Corb. Agr. (a prima manu) ferunt *Augustalem*; secunda manus in Agr. fecit *Augustales* et *subdidere*. Et hodiernam scripturam loci unice esse veram nemo dubitat. De *face subdita* cf. An. 15, 30.; de Augustalibus An. 1, 54.

ut Romulus Tatio regi. Vid. not. ad An. 1.

Polycletos. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. *Polyclitos* MS. Guelf. edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — *Polyclytos* edd. Put. M. et V. — *policlitos* ed. Spir. cf. not. ad Hist. 1, 37. An. 14, 39. Scriptura *Polyclitus* invenitur in lapide apud Gruter. p. 985.

probitate aut industria. MS. Bud. pro *aut* habet *et.*

sumptu ganeaque. Locus in vett. libris depravatus. MSS. Reg. Corb. Farnes. ed. Spir. *sumptu galanae aquae.* MSS. Harl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. *sumptum Caianae aquae.* Edd. Alc. Rhen. Ald. sqq. *sumptu Caianae aquae.* MS. Guelf. a secunda manu *baianae aquae.* MS. Agr. *sumptu luxuriaque.* Lipsius emendabat *sumptu saginaque.* Pichena maluit in locum recipere Palmerii coniecturam *ganeaque*, eamque retinuere Bernegg. Gron. sqq. cf. An. 3, 52. 6, 4. Francisc. Malherbius apud Gevart. elect. 3, 3. vult: *ganeae aleaeque.* In MS. Flor. Pi-

Q 2

praesentibus frueretur, nec in longius consultans novies millies sestertium paucissimis mensibus intervertisse creditur. Magna et misera civitas eodem anno Othonem Vitelliumque passa inter Vinios, Fabios, Icelos, Asiaticos varia et pudenda sorte agebat, donec successere Mucianus et Marcellus et magis alii homines quam alii mores.

XCVI. Prima Vitellio tertiae legionis defectio nuntiatur missis ab Aponio Saturnino epistolis, antequam is quoque Vespasiani partibus adgregaretur. sed neque Aponius cuncta ut trepidans re subita per[...]pserat et amici adulantes mollius interpretabantur: unius legionis eam seditionem, ceteris exercitibus constare fidem. In hunc modum etiam Vitellius apud milites disseruit praetorianos nuper exauctoratos insectatus, a quibus falsos rumores dispergi nec ullum civilis belli metum adseverabat, suppresso Vespasiani nomine et vagis per urbem

chena vidit: *sumptu gaianeaque*, Ryckius testatur posteriores oculos ibi vidisse: *sumptu galneaque*. Victorius in scriptura Beroald. delevit *m* postremum in *sumptum* et *C.* in *Caianae* idem mutavit in *G.* Cetera intacta reliquit: consentit igitur cum Pichena.

novies millies. MS. Flor. teste Vict. *noviens milliens.*

sestertium. Ed. Put. M. *sextertium.* Ed. Put. V. *sesteretium.* Haec etiam *paucissimus* pro *paucissimis.*

Vitelliumque. MS. Flor. teste Vict. non habet *que.*

Vinios. Sic MS. Flor. (teste Vict.) edd. Lips. sqq. *Iunios* MS. Guelf. edd. ante Lipsium. Cf. not. ad Hist. 1, 1.

Icelos. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. *Icellos* MS. Guelf. edd. ante Lips. cf. not. ad Hist. 1, 12.

successere. Ed. Spir. *succensere.*

Mucianus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Lips. sqq. *Mutianus* edd. ante Lips. cf. not. ad Hist. 1, 10.

Cap. 96. *epistolis.* MS. Flor. test. Vict. *epistulis* hic et c. 98. cf. not. ad An. 1, 30. et 78.

is. MS. Guelf. *his.*

adgregaretur. Sic MS. Flor. (t. Vict.) ed. Spir. — *aggregaretur* edd. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. cum MS. Guelf. In hoc libro mox legitur *nec* pro *neque.*

mollius interpretabantur. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. Testatur Ryckius eandem scripturam confirmari a cod. Flor. Sed neque Pichena nec Iac. Gronovius quidquam de hac re pronuntiavit, et Victorius intactum reliquit *nullius*, quod legitur in MSS. Bud. Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Corb. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *melius* MS. Agr. — De Flor. igitur Ryckius credidit ob silentium Pichenae et Iac. Gronovii. Iam satis dubito, an Rhenanus recte mutaverit veterem scripturam. Nam *nullius* (esse) *interpretabantur* simile est dictioni: *nihili esse.*

insectatus. Ed. Spir. *insectatos.* Mox eadem *supremo* pro *suppresso.*

militibus, qui sermones populi coercerent. id praecipuum alimentum famae erat.

XCVII. Auxilia tamen e Germania Britanniaque et Hispaniis excivit segniter et necessitatem dissimulans. perinde legati provinciaeque cunctabantur, Hordeonius Flaccus suspectis iam Batavis anxius proprio bello, Vettius Bolanus nunquam satis quieta Britannia, et uterque ambigui. neque ex Hispaniis properabatur nullo tum ibi consulari. trium legionum legati pares iure et prosperis Vitellii rebus certaturi ad obsequium adversam eius fortunam ex aequo detrectabant. In Africa legio cohortesque delectae a Clodio Macro, mox a Galba dimissae rursus iussu Vitellii militiam cepere. simul cetera iuventus dabat impigre nomina. quippe integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius, famosum invisumque Vespasianus egerat: proinde socii de imperio utriusque coniectabant. sed experimentum contra fuit.

populi. Hoc vocabulum non legitur in edd. Rhen. Ald. Micyll.

Cap. 97. *Britanniaque.* Ed. Spir. *ab Britanniaque*, quod additamentum unde sit facile intelligitur. Eadem pro *Hispaniis* dat *hispanis* hic et paulo inferius.

Vettius Bolanus. Ed. Spir. *Vertius Bollanus.* Edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. cum MS. Guelf. *Vectius Bolanus.* Sed vid. not. ad An. 15, 3. Hist. 2, 65.

nunquam. MS. Guelf. *noq̃* h. e. *nonquam.*

et uterque. Ed. Spir. *et utrique.* Mox eadem *prosperabatur*: *nullo cum ibi consolati trium* etc. pro *properabatur* etc.

militiam cepere Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Guelf. Bud. edd. Iac. Gron. Ernest. sqq. — *coepere* MSS. Reg. Corb. edd. Spir. Put. sqq. ad Iac. Gronovium. — *capere* MSS. Harl. Ies., unde confirmatur recepta ab Iac. Gronovio scriptura. Ceterum veteribus libris in hac re parum est fidei: mire enim confundunt *coepere* et *cepere*. Verum *militiam capere* hic dictum est ut *arma capere* An. 3, 38. et 42.; *capere imperii primordia* An. 6, 50.

famosum invisumque. Contra Suetonius Vesp. c. 4. *Africam integerrime nec sine magna dignatione administravit.* Ernestius utrumque ita conciliat, ut integritatem ponendam in severitate putet, ob quam invisus fuerit provincialibus. Sed *famosum* illud Taciti apertius obstat Suetonii laudibus, quam ut Ernestii conciliatio in utriusque scriptoris concordiam evalescere possit. De diversa igitur fama cogitandum erit. Silius 3, 599. *reget impiger Afros*, sed hic poeta.

proinde socii. Sic MSS. et vett. edd. Rhenanus ex ingenio dedit *perinde*, quod deinde in posteriores edd. venit omnes. Sed vid. not. ad An. 3, 17.

coniectabant. MS. Guelf. *coniectabat.*

XCVIII. Ac primo Valerius Festus legatus studia provincialium cum fide iuvit. mox nutabat palam epistolis edictisque Vitellium, occultis nuntiis Vespasianum fovens et haec illave defensurus, prout invaluissent. Deprensi cum litteris edictisque Vespasiani per Raetiam et Gallias militum et centurionum quidam ad Vitellium missi necantur: plures fefellere fide amicorum aut suomet astu occultati. ita Vitellii paratus noscebantur, Vespasiani consiliorum pleraque ignota, primum socordia Vitellii, deinde Pannonicae Alpes praesidiis insessae nuntios retinebant. mare quoque etesiarum flatu in Orientem navigantibus secundum, inde adversum erat.

XCIX. Tandem inruptione hostium, atrocibus undique nuntiis exterritus Caecinam ac Valentem expediri

Cap. 98. *suomet astu.* Sic MSS. Flor. (test. Ryckio) Agr. et suadente Ferretto edd. Lips. sqq. — Victorius vero intactam reliquit scripturam *suomet statu*, quae est in MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Corb. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. sqq. ad Lipsium.

occultati. MS. Guelf. *occulati.* Ed. Spir. *occultanti.* Eadem *paratus Vitellii* pro *Vitellii paratus*; et cum MS. Guelf. *dein* pro *deinde*; *insesse* pro *insessae.*

mare quoque Etesiarum flatu etc. E verissima emendatione Rhenani, quam in locum primus I. Fr. Gronovius recepit. MS. Flor. test. Vict. *mare quoque &esi flabra aqlonis arum flatu in Orientem* etc. Plane consentit Pichena. Iam quis non videt verba *flabra aqlonis* e glossemate inrepsisse? Sed viliato uno illo codice celeri libri veteres omnes hariolantur. Proxime accedunt MSS. Vat. Farnes. Reg. Corb. ed. Spir., quibus insunt haec: *et blesi flabra aquilonis harum flatu in Orientem* etc. MS. Bud. *et esi flabra aquilonis aerum flatur in Orientem* etc. MS. Agr. (ex emendandi studio, uti solet) *mare quoque Ethesiae flabro (Aquilonis hic flatus) in orientem* etc. MSS. Harl. Bodl. Guelf. edd. Put. M. et V. *Mare quoque ethesiae flabant. harum flatu in orientem* etc. MS. Ies. *horum* pro *harum.* Edd. Ber. Alc. Rhen. Ald. *Mare quoque ethesiae flabant. harum flatus in orientem navigantibus secundus, inde adversus erat.* Micyllus pro *mare* dedit *mari*: cetera Beroaldi servavit. Lipsius rursum edidit Puteolani scripturam, quae duravit ad ed. Gronov. 1672.

Cap. 99. *inruptione.* Ed. Spir. *inruptionem*, quam utriusque casus confusionem in ed. Spir. frequentem inde exortam puta, quod compendium *inruption̄* acceptum est pro *inruptionem*, quod secus est.

expediri. Sic MSS. et edd. ante Bipontinos, qui de Acidalii coniectura edidere *expedire*, quia Hist. 1, 10. legitur: *quotiens expedierat*, et Hist. 1, 88. *secum expedire iubet.* At An. 15, 10. *expediri tamen itineri singula millia iussit.* Nihil igitur contra vett. librorum fidem hic mutandum fuisse censeo reponoque veterem scripturam. Pro *et Valentem* reduxi *ac Valentem* e MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. et ed. Spir.

ad bellum iubet. praemissus Caecina: Valentem e gravi corporis morbo tunc primum adsurgentem infirmitas tardabat. Longe alia proficiscentis ex urbe Germanici exercitus species: non vigor corporibus, non ardor animis: lentum et rarum agmen, fluxa arma, segnes equi: impatiens solis, pulveris, tempestatum, quantumque hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior. Accedebat huc Caecinae ambitio vetus, torpor recens, nimia fortunae indulgentia soluti in luxum: seu perfidiam meditato infringere exercitus virtutem inter artes erat. Credidere plerique Flavii Sabini consiliis concussam Caecinae mentem, ministro sermonum Rubrio Gallo: rata apud Vespasianum fore pacta transitionis: simul odiorum invidiaeque erga Fabium Valentem admonebatur, ut impar apud Vitellium gratiam viresque apud novum principem pararet.

C. Caecina complexu Vitellii multo cum honore digressus partem equitum ad occupandam Cremonam prae-

tunc primum. Sic MS. Corb. ed. Spir. — *tum primum* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

species. Ed. Beroald. *speties.* Vict. e MS. Flor. *species.*

fluxa arma. Sic MSS. et vett. editiones. Secunda ed. Rhen. habet *et fluxa arma* eaque copula inrepsit etiam in edd. Lips. Pich. Grut. sqq. Deleverunt Ryck. Iac. Gron. sqq.

pulveris. Ed. Spir. *pulverum* et mox cum MS. Guelf. a secunda manu *tempestatumque*, et deinde sola *labores* pro *laborem*, *metus* pro *vetus.* MS. Guelf. *quantum hubes* pro *quantumque hebes.*

seu perfidiam meditato. E coniectura Iac. Gron., quam secuti sunt Ernest. et Brot. — MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Bud. Reg. Corb. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. *meditatio.* — Bip. et Oberl. maluere scripturam cod. Agr. *meditantis*, quod molestum est ob alterum genitivum *exercitus.* — Bekkerus praetulit *meditanti*, quod ex ingenio Rhenani profectum reperitur in edd. Rhen. Ald. sqq. ad Ernest. Verum *meditato* felicissima est coniectura, quia plane sic ἀορίστως ponuntur participia praet. depon. cf. Ramshorn. Gr. §. 171. p. 455. Not. 1. Ed. Spir. totum locum exhibet ita: *seu perfidiam meditatio infringitur virtutem inter artes erat.*

consiliis. MS. Guelf. *consulis.*

Rubrio. Edd. Beroald. Alc. *Rubrio.* Victorius e cod. Flor. suppeditat *Rubrio*, in quo ceteri libri consentiunt.

apud Vitellium. Sic MSS. Flor. Guelf. Bud. edd. Put. Ber. sqq. et deinde Pich. Lipsii postr. Bernegg. sqq. — *ad Vitellium* edd. Rhen. 1544. Lipsii priores et Grut. Ceterum verba *apud Vitellium gratiam viresque* in ed. Spir. non leguntur. A MS. Reg. dicuntur abesse *gratiam viresque*: sed fortasse cum ed. Spir. iste liber consentit.

misit. mox vexilla quartae, decumae et sextaedecumae legionum, dein quinta et duoetvicesima secutae: postremo agmine unaetvicesima Rapax et prima Italica incessere cum vexillariis trium Britannicarum legionum et electis auxiliis. Profecto Caecina scripsit Fabius Valens exercitui, quem ipse ductaverat, ut in itinere opperiretur: sic sibi cum Caecina convenisse: qui praesens eoque validior immutatum id consilium finxit, ut ingruenti bello tota mole occurreretur. ita adcelerare legiones Cremonam, pars Hostiliam petere iussae: ipse Raven-

Cap. 100. *mox vexilla quartae, decumae et sextaedecumae legionum.* Acquiesco nunc in emendatione Bipontinorum, quam in locum recepere Oberlin. aliique. MS. Flor. test. Vict. haec habet ita: *mox vexilla in quattuor decum XIII. legionum,* Pichena pro *quattuor decum* ibi vidit *quatuordecim.* Ed. Spir. *mox vexilla in quatuordecim et tredecim legionum.* Lipsius e libris scriptis refert: *mox vexilla XIIII et XIII legionum.* MS. Bud. *mox vexilla in XIIII et XVIII leg.* Numerus posterior XVIII invenitur etiam in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Et Guelf. quidem totum locum exhibet ita: *mox vexillarii XIIII. et XVIII. legionum: deinde.* MS. Agric. *mox vexilla tredecīae et quartae decimae legionis. Deinde quinta et duodecīa et vicesima secutae.* Puteol. Ber. Alc. Rhen. sqq. ediderunt: *Mox vexillarii quartaedecimae et sextaedecimae legionum: dein* etc., quae duravere usque ad Bipontinos et nuper repetita sunt a Bekkero. Sed *quartadecuma* tum fuit in Britanniam missa. cf. supr. c. 66. Iac. Gronovius volebat *vexilla tertiae, quartaedecumae et sextaedecumae legionum.* Numerum *tertiae* putabat latere in praepos. *in* cod. Flor. Sed manet scrupulus de *quartadecuma.* Ex eadem praepositione Bip. eruunt *quartae,* et *quatuor* in cod. Flor. interpolatione additum censent. Sed quis tandem veram scripturam extricabit? Peculiari disquisitione opus est.

et duoetvicesima. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Vatic. Bud. Bodl. et suadente Lipsio edd. Pich. Gruter. Bernegg. sqq. — *et duodevicesima* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Pich. — *et duodecima et vicesima* ed. Spir. cum cod. Agr. — *XII. et XX.* MS. Corb. Gutmannus ad h. l. et ad 3, 22. disputavit pro restituenda scriptura *duodevicesima.* Sed quum ea res non dubia esse nequeat, certius sequimur auctoritatem MS. Flor. Ceterum hic quoque cod. Flor. scribit *vicensima.*

cum vexillariis trium Britannicarum legionum. Ex emendatione Rhenani, quam ipse in locum recepit. Ed. Spir. *cum vexillariis Istrium Britannicarum legionum.* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. *cum vexillariis hystris Britannicarum legionum.* MS. Bud. *cum vexillario hystrium* (test. Rhenano) sive *cum vexilliano hystrium* (test. Oberl.). MS. Flor. test. Vict. *cum vexillari Istrium* h. e. cum vexillariis *trium,* ut bene vidit Victorius.

sic sibi. MS. Guelf. *sicut sibi.*

opperiretur. Ed. Spir. *operiretur.* Eadem pro *immutatum* dat *amictatum*; *accelerate* pro *adcelerare.*

nam devertit praetexto classem adloquendi. mox Patavii secretum componendae proditionis quaesitum. namque Lucilius Bassus post praefecturam alae Ravennati simul ac Misenensi classibus a Vitellio praepositus, quod non statim praefecturam praetorii adeptus foret, iniquam iracundiam flagitiosa perfidia ulciscebatur. nec sciri potest, traxeritne Caecinam an (quod evenit inter malos, ut et similes sint) eadem illos pravitas impulerit.

CI. Scriptores temporum, qui potiente rerum Flavia domo monimenta belli huiusce composuerunt, curam pacis et amorem rei publicae corruptas in adulationem causas tradidere. nobis super insitam levitatem et prodito Galba vilem mox fidem aemulatione etiam invidia-

devertit. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) Bud. Corb. edd. Ryck. Iac. Gron. sqq. — *divertit* Guelf. et vulgo MSS. (test. Brot.) edd. Spir. Put. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Ryck. cf. not. ad c. 64.

praetexto. Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict. cum al.) Corb. Bud. (hic *pretesto*) edd. Rhen. Ald. Lips. sqq. — *praetextu* MSS. Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Agr. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. Micyll. cf. not. ad Hist. 1, 76. Ed. Spir. *prętertu.*

adloquendi. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *alloquendi* MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *ad loquendum* ed. Spir. — Mox eadem *Patavi* pro *Patavii.*

Lucilius Bassus. Sic tacite emendavit Rhenanus e locis 3, 12. 36. 40. Confirmavit Lipsius ex inscriptione, quae exstat apud Gruter. p. 573. Nam ibi leguntur haec: *Imp. Caesar Vespasianus Aug. Pont. Max.* etc. *Veteranis qui militaverant in classe Ravenate sub Sex. Lucilio Basso* etc. — MSS. et vett. edd. pro *Bassus* habent *Blesus* vel *Blaesus* vel *Blexus.* In marg. cod. Bodl. tamen emendatum est *Bassus.* MS. Guelf. *Lucillius Blesus.*

nec sciri potest, traxeritne. Sic codd. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. et haud dubie alii, edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. — *nec sciri poterat traxeratne* MSS. Reg. Corb. ed. Spir. Mox edd. Oberl. Weikert. Naudet. vitiose *ut et similes sunt.*

CAP. 101. *potiente.* MS. Guelf. *potentię*, in marg. *vel potiente.*

belli huiusce. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronovius) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber (cum silent. Vict.) Alciat. Iac. Gronov. sqq. — *huiusce belli* edd. Rhen. Ald. sqq. ad Iac. Gronovium.

corruptas. Sic MSS. Flor. (test. Ernest. et Brot., non invenio qua auctoritate) Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — Victorius intactum reliquit *corrupti*, quod legitur in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *corruptos* MS. Bud., unde Rhenanus hausit emendationem, satis dubito an recte.

vilem mox. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Agr. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et dein Ryck. Iac. Gron. sqq. — *mox vilem* edd. Rhen. Ald. sqq. ad Ryckium. Ryckius de Flor. falsus est.

aemulatione etiam invidiaque. Etiam in MS. Bud. et edd. Rhen. Ald. sqq. non legitur. Pichena re-

que, ne ab aliis apud Vitellium anteiretur, pervertisse ipsum videtur. Caecina legiones adsecutus centurionum militumque animos obstinatos pro Vitellio variis artibus subruebat. Basso eadem molienti minor difficultas erat lubrica ad mutandam fidem classe ob memoriam recentis pro Othone militiae.

stituit e MS. Flor., cum quo consentiunt MS. Guelf. edd. ante Rhen. — Ed. Spir. *invidiaque.*

anteiretur .... videtur. Sic edd. Ernest. sqq., ut e MS. Guelf. a secunda manu et Corb. Sed in Guelf. pure exstat *videntur*: ex *anteirentur* secunda manus fecit *anteiretur.* — *anteiretur .... videretur* ed. Spirensis. — *anteirentur ... videntur* MSS. Harl. Bodl. Guelf. a prima manu, edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Ernest. — *anteirent ... videntur* MS. Bud. — *antairent ... videretur* MS. Reg. — *anteiret* MS. Ies. De uno tantum Caecina hic sermonem esse Ernestio patet e verbis *prodito Galba*, quae soli Caecinae conveniant (cf. Hist. 1, 53.), tum e sequentibus *aemulatione invidiaque*, *ne* etc. Quae tamen res nondum omni dubitationi exempta mihi videtur. Nam si de uno Caecina hic sermo est, quid tandem potuit causae esse, ut scriptor porro de Caecina locuturus adderet ipsum nomen *Caecina*? Debebat pergere: *Legiones adsecutus* etc. non addito nomine *Caecina.*

pervertisse. MS. Reg. ed. Spir. *praeuenisse*, vulgari confusione. cf. Drakenb. ad Liv. 24, 5.

ipsum. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Oberl. *ipsum Vitellium.* Oberlinus sqq. suadente Lipsio *Vitellium* sustulerunt: abest id vocabulum a MS. Reg. et ed. Spir. In cod. Agr. eidem vocabulo puncta subiuncta sunt.

adsecutus, MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir.; *assecutus* edd. Put. sqq.; *assequutus* MS. Guelf. et ita constanter.

obstinatos. Ed. Spir. *destinatos.*

militiae. Post hoc vocabulum in MS. Guelf. leguntur haec: „Τέλος. Si reperero finem septidecimi libri et principium octavi decimi, quae utraque confusa sunt cunctis in libris et varia, locum annotabo: si lector offenderis et tu signes oro. Valeas q legeris: et recte annotaveris."

C. CORNELII TACITI
HISTORIARUM
LIBER TERTIUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Flavianis de ratione belli deliberantibus moram alii, 2. festinationem Antonius Primus suadet 3. et obtinet. 4. Proxima Corn. Fusci auctoritas. 5. Principes Sarmatarum Iazygum in commilitium adsciti. Sido et Italicus Suevorum reges tracti in partes. 6. 7. Antonio Italiam invadenti comes est Arrius Varus. Multas urbes occupant. 8. Verona fit belli sedes. Moras frustra aut sero nectunt Vespasianus et Mucianus. 9. Interim duces mutuis epistolis bellum gerunt. 10. T. Ampius Flavianus militi suspectus ab Antonio servatur. 11. Hic alteram quoque seditionem odio Aponii Saturnini ortam comprimit. 12. Lucilius Bassus et 13. 14. Caecina a Vitellio deficientes a militibus suis coniiciuntur in vincula. 15. Discordes Vitellianos ad Bedriacum adgredi statuit Antonius. 16. Aviditate navandae operae Arrius Varus rem in discrimen adducit: 17. eam Antonius constantia et virtute restituit, 18. victoria potitur. 19. Flaviani ea freti Cremonam expugnare deposcunt. 20. Inconsultum eorum ardorem frustra retinet Antonius. 21. Sed adventantis hostis terror obstructas mentes consiliis ducis aperit. 22—25. Proelium atrox, anceps. Antonius egregii ducis munia implet, victoriam aufert. 26—33. Cremona obsessa, capta, cremata, 34. postea restituta. 35. Victae legiones dispersae.

36. Vitellius luxu torpet. 37. In urbem revectus Caecinam condemnat: ei Rosium Regulum in unum diem consulem sufficit. 38. 39. Iunius Blaesus fraude L. Vitellii veneno tollitur. 40. 41. Fabius Valens libidine et cunctatione Vitellianorum res subruit et 42. Flavianis Italiam occupantibus 43. ad Stoechadas delatus capitur. 44. Hispaniae, Galliae, Britanniae, cuncta ad Vespasiani opes conversa. 45. Turbat tamen Britanniam Venutius. ibi varia sorte pugnatum. 46. Turbata quoque Germania. Mota et Dacorum gens, a Muciano ex Oriente reduce repressa. 47. 48. Anicetus Polemonis libertus Pontum infestans capitur. Vespasianus Alexandriam pergit, ut urbem fame urgeat. 49. Antonius post Cremonam superbior 50. partem copiarum Veronae relinquit, partem in Vitellianos expedit. 51. Nefarium facinus militis ob occisum a se fratrem praemium petentis. 52. Festinationem Antonii apud Vespasianum criminatur Mucianus. 53. Is iactantius quam ad principem litteras componit Mucianum insectatus. inde graves ducum simultates.

54. Vitellius stulta dissimulatione cladis ad Cremonam remedia malorum differt. Notabilis constantia Iulii Agrestis. 55. Vitellius ut e somno excitus Apenninum obsideri iubet, honores largitur, in castra venit. 56. Prodigia. praecipuum ipse Vitellius ostentum, ignarus militiae, improvidus consilii, Romam revertit perculsus defectione Misenensis classis. 57. Puteolani Vespasiano, Capua Vitellio favet. Cl. Iulianus in partes Vespasiani transit, qui Tarracinam occupat. 58. Vitellius fratrem Lucium bello per Campaniam opponit. Ipse Romae ex plebe et servitiis exercitum corradit, qui brevi dilabitur. 59. Flaviani Apenninum transeunt: ad eos Cerialis Vitellii custodias elapsus venit et inter duces adsumitur. 60. Pugnae avidos milites aegre cohibet Antonius. 61. Iam crebra fiunt ad Vespasianum transfugia. Priscus et Alphenus castra deserunt ad Vitellium regressi 62. 63. Caeso Valente desperabundus miles sub signis vexillisque ad Vespasianum transit. Pax et salus offeruntur Vitellio, si se dedat.

64. Flavius Sabinus urbis praefectus frustra incitatur ad arma: 65. pacis amans de pace agit cum Vitellio 66. cedere parato, ni sui reniterentur. 67. 68. Hi pullo amictu palatio degressum et pro concione cedere se imperio testantem eo redire cogunt. 69. Interim Sabinus rem publicam susceperat eique aderant Romani omnis ordinis, frementibus Germanicis cohortibus. Modicum proelium Vespasianis prosperum. Sabinus Capitolium occupat, quod 70. Corn. Martiale frustra ad Vitellium misso 71. Vitelliani oppugnant, incendunt. 72. De prioribus Capitolii fatis digressio. 73. Vitelliani cuncta sanguine, ferro, flammis miscent. Flavium Sabinum et Atticum consulem capiunt. 74. Domitianus sacricolae habitu delitescit. Sabinus invito Vitellio trucidatur. 75. Sabini laudes. Atticus servatur.

76. 77. Tarracina a L. Vitellio obsessa et capta. Iulianus iugulatur. Triariae immodestia. 78. Flaviani incertum Antonii an Muciani culpa cunctantes, obsessi Capitolii fama exciti 79. ad urbem properant. Ibi equestre proelium Ceriali adversum. 80. 81. Vitellius legatos et Vestales virgines pro pace aut induciis mittit, nec obtinet. 82. Flaviani tripartito agmine urbi propinquant. Varia ibi fortuna pugnatur. 83. Foeda lascivientis urbis facies spectatore populo et plausu diversas partes foventе. 84. Castra praetoria expugnantur. 85. Vitellius e pudenda latebra protractus et contumeliis adfectus ad Gemonias propellitur. 86. Vita Vitellii moresque. Domitianus Caesar consalutatur. Gesta uno eodemque anno.

I. Meliore fato fideque partium Flavianarum duces consilia belli tractabant. Petovionem in hiberna ter-

COMMENTARIUS.

Cap. 1. *Meliore fato.* Ed. Spir. *meliore facto.*

partium Flavianarum. Sic MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Iac. Gronov. sqq. — *Flavianarum partium* edd. Rhen. Ald. sqq. ad Iac. Gronovium.

Petovionem. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Rhenan. Ald. sqq. — *Poetimonem* ed. Spir. — *Poetonionem* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. — Broterius e MSS. et inscriptionibus edidit *Poetovionem.* cf. Gruter. p. 583. nr. 8., p. 766. nr. 2., p. 529. nr. 5. et p. 266. nr. 5.

tiaedecimae legionis convenerant. illic agitavere, placeretne obstrui Pannoniae Alpes, donec a tergo vires universae consurgerent, an ire cominus et certare pro Italia constantius foret. Quibus opperiri auxilia et trahere bellum videbatur, Germanicarum legionum vim famamque extollebant, et advenisse mox cum Vitellio Britannici exercitus robora: ipsis nec numerum parem pulsarum nuper legionum, et quanquam atrociter loquerentur, minorem esse apud victos animum. sed insessis interim Alpibus venturum cum copiis Orientis Mucianum. superesse Vespasiano mare, classes, studia provinciarum, per quas velut alterius belli molem cieret. ita salubri mora novas vires adfore et praesentibus nihil periturum.

II. Ad ea Antonius Primus (is acerrimus belli concitator) festinationem ipsis utilem, Vitellio exitiosam disseruit. plus socordiae quam fiduciae accessisse victoribus. neque enim in procinctu et castris habitos, per omnia Italiae municipia desides, tantum hospitibus metuendos, quanto ferocius ante se egerint, tanto cupidius insolitas voluptates hausisse. circo quoque ac theatris et amoenitate urbis emollitos aut valetudinibus fessos.

obstrui Pannoniae Alpes. Quae prius iam praesidiis insessae ad retinendos nuntios. cf. supr. 2, 98.

opperiri. Ed. Spir. *operiri.* — Mox eadem *Mitianum* pro *Mucianum*.

adfore. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *affore* edd. Put. sqq. cum cod. Guelf.

Cap. 2. *concitator.* Sic MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — Ryckius testatur in MS. Flor. legi *concittator.* — *concionator* (sive *contionator*) MSS. Agr. Reg. Corb. Guelf. (in margine) ed. Spir. Quae scriptura Ryckio non spernenda videbatur. Sed cf. An. 4, 28. Hist. 4. 46. et 68., ubi legitur *concitor belli.*

festinationem. Ed. Spir. *festinatione.* Neglecta est lineola super *e* extremo. — Mox eadem *fidutiae.* — Dein *neque in procintu* omissa particula *enim*, quae per compendium .*n*. scripta facillime potuit absorberi a sequenti *in*.

tantum hospitibus metuendos, quanto ferocius. MS. Guelf. *tanto hospitibus metuendo quanto fortius.*

se egerint. Lallemandus delet *se.* Verum inest verbo notio ostentandi et *se egerint* dictum est pro *se agendo ostenderint.*

ac theatris. Ed. Spir. *et teathris.* — Mox *valentibus* pro *valetudinibus*; *hispaniāque* pro *Hispaniasque.*

sed addito spatio rediturum et his robur meditatione belli. nec procul Germaniam, unde vires: Britanniam freto dirimi: iuxta Gallias Hispaniasque: utrimque viros, equos, tributa: ipsamque Italiam et opes urbis: ac si inferre arma ultro velint, duas classes vacuumque Illyricum mare. Quid tum claustra montium profutura? quid tractum in aestatem aliam bellum? unde interim pecuniam et commeatus? quin potius eo ipso uterentur, quod Pannonicae legiones deceptae magis quam victae resurgere in ultionem properent, Moesici exercitus integras vires attulerint. Si numerus militum potius quam legionum putetur, plus hinc roboris, nihil libidinum: et profuisse disciplinae ipsum pudorem. Equites vero ne tum quidem victos, sed quanquam rebus adversis disiectam Vitellii aciem. „Duae tunc Pannonicae ac „Moesicae alae perrupere hostem: nunc sedecim alarum „coniuncta signa pulsu sonituque et nube ipsa operient ac „superfundent oblitos proeliorum equites equosque. Nisi „quis retinet, idem suasor auctorque consilii ero. Vos, „quibus fortuna in integro est, legiones continete: mihi „expeditae cohortes sufficient. Iam reseratam Italiam,

rediturum. MS. Guelf. *redditurum.*

vacuumque. A MS. Corb. abest *que.*

Illyricum mare. Sic codd. MSS. Bud. Guelf. (a sec. manu) aliique, edd. omnes (cum sil. Vict.). — *Illyrici mare* MSS. Flor. (teste Ryckio) Harl. Ies. Guelf. (a prima manu). Utrumque recte dicitur. Nam Noster Hist. 2, 53. *Illyrica ora;* c. 85. *Illyrici exercitus.* An. 1, 52. *Illyrici motus.* Ponitur vero etiam substantive *Illyricum* An. 1, 5. et 46. 2, 44. 15, 26. nec incredibile est *Illyricum* ex emendandi studio originem traxisse. — Mox ed. Spir. non habet *interim;* fertque *commeatus* pro *commeatus.* Deinde eadem omittit vocem *vires.*

quin potius. MS. Guelf. *qui potius.*

perrupere. MS. Reg. ed. Spir. *prorupere.* MS. Ies. *perrumpere.*

quibus fortuna in integro est. Ernestius: „qui spem sibi inter adversa reliquerunt." Rectius Bipontini: „cum contra Antonio fortuna esset adflicta (cf. An. 14, 40. Hist. 2, 86.) exque periculis maior audacia." Sic iam pridem Bahrdtius: *Ihr, deren Glück noch nie erschüttert ward.*

legiones continete. Ed. Spir. *rationes continere.*

reseratam Italiam. Ex emendatione Pichenae, quam in locum recepit I. Fr. Gronovius. Nam Pichena in cod. Flor. vidit *reserata militiam.* Victorius intactam reliquit scripturam: *reserata militia,* quae exstat in edd. Put. Ber. sqq. et in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. At *reseratam militiam*

„impulsas Vitellii res audietis. iuvabit sequi et vestigiis „vincentis insistere."

III. Haec atque talia flagrans oculis, truci voce, quo latius audiretur, (etenim se centuriones et quidam militum consilio miscuerant) ita effudit, ut cautos quoque ac providos permoveret, vulgus et ceteri unum virum ducemque spreta aliorum segnitia laudibus ferrent. Hanc sui famam ea statim concione commoverat, qua recitatis Vespasiani epistolis non ut plerique incerta disseruit huc illuc tracturus interpretatione, prout conduxisset: aperte descendisse in causam videbatur, eoque gravior militibus erat culpae vel gloriae socius.

habent MSS. Reg. Corb. ed. Spir. — *fractam militiam* MS. Agr. — Lipsius ante Pichenam divinaverat *reserata Italia.* Iac. Gronovius volebat: *reseratam sibi viam*; Lallemandus: *reseratam militi viam.* Verum acquiescimus merito in Pichenae coniectura. cf. supr. 2, 17. *aperuerat iam Italiam*; infr. c. 38. *cubiculum imperatoris reserat.*

vestigiis vincentis. Ed. Spir. *vincentis vestigiis.*

Cap. 3. *Haec atque talia.* Sic MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. ex usu Taciti, apud quem saepius certe invenies *haec atque talia* quam *haec et talia*, quod exstat in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et Broterii. — *haec ac talia* MS. Corb. — Quodsi librorum auctoritatem respicis, haud dubie *et* reponendum erit.

ita effudit. MS. Corb. *ita fudit.* — Mox *cautos ac providos* esse synonyma docuit Roth. p. 15.

permoveret. Ed. Spir. *promoveret.* De verbo *permovere* cf. not. ad An. 1, 21. — Mox ed. Spir. *contione*, uti solet.

huc illuc tracturus interpretatione. E coniectura Acidalii sic ediderunt recentiores suadentibus Ernestio et Broterio. cf. Cic. Acad. 4, 36. *haec disputationibus huc et illuc trahuntur.* „Et ut idem in Brut. 41. dixit *rem obscuram interpretando explanare*, sic alias *interpretando huc illuc trahere.*" Ernest. ad h. l. — Libri veteres: *huc illuc tracturus interpretationem*, in qua scriptura *tracturus* haud dubie traxit accusativum *interpretationem.*

conduxisset. cf. An. 4, 59. ibique not.

descendisse in causam. Ed. Spir. *in causam descendisse.*

eoque gravior etc. Sic MSS. Flor. (test. Pich. cum Iac. Gronov.) Reg. Corb. Agr. ed. Spir., unde repono suadentibus Pichena, Grutero aliisque. *Gravis* dicitur de pondere et auctoritate. cf. infr. c. 43. *gravior auctor.* Contra 4, 80. *unde paulatim levior viliorque haberi* etc. de eodem Antonio. Vulgo edunt *gratior*, quod legitur in MSS. Bud. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. — Bipontini ex opinione Ernestii augent: *auctorque gravior.* Sed *gravior* satis habet, quo referatur, ad vocabulum *socius.* Sententia: propterea maiorem fuisse Antonio auctoritatem, qua milites traheret in culpam vel gloriam, prout sors caderet. Gutmannus ad h. l. disputavit pro vulgata scriptura, quia

IV. Proxima Cornelii Fusci procuratoris auctoritas. is quoque inclementer in Vitellium invehi solitus nihil spei sibi inter adversa reliquerat. Titus Ampius Flavianus natura ac senecta cunctator suspiciones militum inritabat, tanquam adfinitatis cum Vitellio meminisset: idemque quod coeptante legionum motu profugus dein sponte remeaverat, perfidiae locum quaesisse credebatur. nam Flavianum omissa Pannonia ingressum Italiam et discrimini exemptum rerum novarum cupido legati nomen resumere et misceri civilibus armis impulerat, suadente Cornelio Fusco, non quia industria Flaviani egebat, sed ut consulare nomen surgentibus cum maxime partibus honesta specie praetenderetur.

vocabulo *socius* melius putat convenire *gratior* quam *gravior*. Sed *gravior socius* hic dicitur, cui plus inest auctoritatis ad inliciendum in societatem. Et proximum vocabulum *auctoritas*, quidquid ille obloquitur, egregie facit ad confirmandam scripturam *gravior*.

Cap. 4. *Titus Ampius Flavianus*. E correctione Lipsii, quam ipse et dein omnes editores in locum recepere. Edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. ad Lipsium ferunt *Titus Appius Flavianus*. Ad emendationem Lipsio praeivervnt MS. Vat. et ed. Spir., qui libri habent *Tampius* vel *tam pius Flavianus*. MSS. Farnes. Guelf. *Tum Pius Flavianus*. cf. not. ad 2, 86.

cunctator. Sic edd. Lips. (hic *contator*, uti solet) Pichen. sqq. e Lipsii ingenio. — *cunctatior* (*contatior*, *conctatior*) codd. MSS. Guelf. Reg. Corb. Harl. Bodl. et haud dubie alii, edd. Spir. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. ad Lipsium. MS. Ies. *contatio*. Cf. supr. 2, 25. *cunctator natura*. At enim vero instituitur hic comparatio Flaviani cum Antonio et Cornelio, et forma *cunctatior* bonae notae videtur. cf. Oudendorp. ad Sueton. Iul. c. 60. Plin. ep. 2, 16. 9, 13. ibique Schaefer.

suspiciones. Sic MS. Guelf. edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Lips. sqq. — *suspitiones* edd. Spir. Put. Rhen. Ald. Micyll.

idemque quod etc. Sic MS. Harl. (a sec. manu) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. sqq. — *idque quod* MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Reg. Bud. ed. Spir., quae scriptura placebat Iac. Gronovio. — MS. Guelf. *isdenque quod*. — MSS. Harl. (a prima manu) Ies. *iisdemque*; MS. Corb. *isque*.

coeptante. Ed. Spir. cum MS. Guelf. *ceptante*. Eadem ed. Spir. *deinde* pro *dein*; *amissa* pro *omissa*.

credebatur. MS. Guelf. *videbatur*.

resumere. MS. Guelf. *reassumere*.

cum maxime. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Harl. (a prima manu) Corb. Reg. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *tum maxime* MSS. Bud. Guelf. Bodl. Ies. Harl. (a sec. manu) edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. ad Ryckium. cf. not. ad An. 3, 59. 4, 27. Hist. 1, 29.

honesta specie praetenderetur. Ed. Spir. *honestas p̄tēderetur specie*.

V. Ceterum ut transmittere in Italiam impune et usui foret, scriptum Aponio Saturnino, cum exercitu Moesico celeraret. Ac ne inermes provinciae barbaris nationibus exponerentur, principes Sarmatarum Iazygum, penes quos civitatis regimen, in commilitium adsciti. plebem quoque et vim equitum, qua sola valent, offerebant: remissum id munus, ne inter discor-

Cap. 5. *ut transmittere in Italiam impune et usui foret* etc. Ita Pichena locum restituit iuxta cod. Florentinum. Ante Pichenam vulgabantur haec: *ut transmitteret in Italiam impune et eo usui foret*, quae inveniuntur in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — MS. Farnesian.: *ut transmitteretur in Italiam impunē eo visui foret scriptum Aponio Satium revirescere crederetur.* Nec aliter Vat., nisi quod *usui*, et super *Satium* adnotat *Sotium*. — Ed. Spir.: *ut transmitteret in Italiam impunem eo usui foret scriptum Apomosacium reuiresceř crederētur.* In *transmitteret . . . impunem eo usui* consentiunt MSS. Reg. Corb. — MS. Agr.: *ut transmitteretur in Italiam impune et cui usui foret scriptum Aponio: ac eum revisere crederetur.* — MS. Bud.: *ceterum in Italiam impune et eo usui foret scriptum Aponio socium revirescere credebatur.* — Transpositione hic locus misere corruptus est in vett. libris. A nomine *Aponio* omissa pagina una transeunt ad ultima verba cap. 7. *revirescere crederetur* etc. usque ad locum *ut inimici* cap. 9. Inde eo redeunt, unde erant digressi. Et MS. Flor. quidem inde a verbo *scriptum* pergit: *Aponio Satium revirescere* etc., ut Farnes. Vat. — In fine transpositi loci cod. Flor. habet: *nino cum exercitum Moesico celeraret*, unde satis patet *Satium* et *nino* efficere *Saturnino*. In *celeraret* consentit MS. Corb.; *celebraret* MS. Bud. — MS. Guelf.: *Scriptum a ponio sottum reuiuissere* etc., et in fine transpositi loci: *ut innocuum exercitum moesico celebrarent.* MS. Agr.: *una cum exercitu Moesico celerare.* Ed. Spir. *exercitu moesico celebrare.* Edd. Put. sqq. *ut innocuum exercitum Moesicum celebrare* (Put. V. *messicum*; Put. M. *mesicum* pro *Moesicum*). De sanando loco bene meruerunt Savilius, Mercerus et potissimum Pichena.

provinciae. Ed. Spir. *provintiae.* — Mox *principis* pro *principes.*

Iazygum. Sic edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *Lazugum* MS. Guelf. edd. Put. — *Iazucum* ed. Spir. cf. not. ad An. 12, 29.

adsciti. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. — *asciti* edd. Lips. (1574.) sqq.

plebem quoque et vim equitum. Boxhornius malebat: *peditem quoque* etc. Sed *plebem* ferri posse censet Ernestius, quia plebs opponatur principibus. Addit: „Pedites sumebantur e plebe, nobiles equis merebant; unde *pedites* pro *plebe* apud Horat. A. P. 113."

qua sola. MS. Guelf. *que sola.*

remissum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Reg. (test. Brot.) Corb. Harl. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — — *omissum* MSS. Guelf. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. Sed vid. An. 11, 3. *remittere beneficium* et not. ad An. 1, 9. — Mox MS. Guelf. *molierentur.* — Faërnus legebat: *ne quid discordiae*

dias externa molirentur aut maiore ex diverso mercede ius fasque exuerent. Trahuntur in partes Sido atque Italicus reges Suevorum, quis vetus obsequium erga Romanos, et gens fidei commissae patientior. posita in latus auxilia infesta Raetia, cui Porcius Septiminus procurator erat incorruptae erga Vitellium fidei. Igitur Sextilius Felix cum ala Auriana et octo cohortibus ac Noricorum iuventute ad occupandam ripam Aeni fluminis, quod Raetos Noricosque interfluit, missus.

externa molirentur. Sed multum praestat vulgata scriptura, quae plane est ex re.

aut maiore. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Bud. Corb. Harl. (a sec. manu) edd. Spir. Pich. Gruter. sqq. — *ac maiore* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. sqq. ad Pichenam.

exuerent. Ed. Spir. *everterent.* MS. Guelf. e mendo *exeurent.*

in partes. MS. Guelf. *in partis.* Ed. Spir. *in partem.* De scriptura vocabuli *Sido* cf. not. ad An. 12, 29. et 30. — Mox ed. Spir. *suesorum* pro *Suevorum.*

quis vetus. Sic MSS. Flor. (test. Ryck.) Agr. Reg. Corb. edd. Spir. Ryck. Brot. sqq. — *quibus vetus* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Ryckium. In Iac. Gronovii editione legitur *qui vetus* e mendo.

et gens fidei commissae patientior. Sic MSS. Bud. Agr. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. — Ryckius interpretatur: „et subiecta erat natio, quae, si quis illi crederet, fidem pati posset et servare, nec insita levitate eam temere falleret, ut Sarmatae." At MSS. Flor. (test. Pich. cum Vict.) Vaticc. (Lipsii) Farnes. Reg. Corb. ed. Spir. *et gens fidei commissior patientior*, unde patet scripturam vulgatam coniectura tantum niti. Quare et viri docti variam dedere operam loco in melius mutando. Muretus: *gens fidei commissis patientior.* Grotius: *gens fidei commissa potentiorum.* Lipsius: *fide cognitior.* Iac. Gronovius: *fidei commissique patientior.* Schefferus in *Miscell. Observ. vol. 8. p. 298.*: *fidei quam iussorum patientior.* Bipontini: *fidei commixtione* h. e. ob fidem socialem.

posita in latus auxilia infesta Raetia. Sic MSS. et edd. ante Rhenanum, qui ex ingenio dedit: *opposita in latus auxilia infesta Rhaetiae.* Veterem scripturam restituit Ernestius ob consensum librorum. Bipontini edidere *imposita* inutili emendatione. Quid enim impedit, quo minus auxilia in latus poni dicantur? Nihil est, quod requirat verbum compositum. Ablativus *infesta Raetia* causam indicat, cur auxilia in latus posita sint.

Porcius Septiminus. Sic MSS. et vett. edd., nisi quod cod. Bud. fert *Septumius*, unde Rhenanus fecit *Septimius.* Veterem scripturam Ryckius reduxit. — *Porcius* edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq.; *Portius* MS. Guelf. edd. Puteol. Pich. sqq. cf. An. 4, 68.

ala Auriana. Sic MSS. et edd. ante Rhenanum, qui edidit *ala Tauriana.* Veterem scripturam Lipsius reduxit.

Aeni fluminis. Ex emendatione Rhenani, quam iubebat locorum ratio. MSS. et edd. ante Rhen. *Rheni fluminis.*

nec his aut illis proelium tentantibus, fortuna partium alibi transacta.

VI. Antonio vexillarios e cohortibus et partem equitum ad invadendam Italiam rapienti comes fuit Arrius Varus, strenuus bello, quam gloriam et dux Corbulo et prosperae in Armenia res addiderant. idem secretis apud Neronem sermonibus ferebatur Corbulonis

nec his aut illis. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et dein Pich. Grut. sqq. — *nec illis aut his* ed. Lipsii 1607. — *nunc his aut illis* MS. Reg. ed. Spir. — *nunc illis aut his* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq.

Cap. 6. *vexillarios.* Ed. Spir. *vexillario.* — Mox MS. Guelf. *Iuuadēdū* pro *invadendam.*

Arrius Varus. Sic edd. Beroald. sqq. — *Arrius Varrus* MS. Guelf. edd. Spir. Put.

quam gloriam et dux etc. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. — MSS. Lipsii et Reg. Corb. ed. Spir. addunt *magis* ante *quam* et praeterea MSS. Lipsii et ed. Spir. ferunt *gloria* pro *gloriam:* fortasse et MSS. Reg. et Corb. Nam Broterius non satis accurate haec indicavit. MS. Agr. totum locum refingit ita: *strenuus bello magis quam honestus. gloriam dux Corbulo* etc. Sed *honestus* recenti manu supra additum est. In edd. Lips. Pich. Gruter. sqq. legitur *strenuus bello, quam gloriam ei dux C.* etc. Non video qua necessitate illi *et* mutaverint in *ei. Addiderat* saltem non requirit dativum, ad quem referatur: nam absolute saepius sic ponitur, ut dativus intelligatur. cf. An. 4, 51. *earumque lamenta addunt animos.* An. 6, 27. *non permissa provincia dignationem addiderat.* Ernestius scripturam Puteolani restituit, in qua merito acquiescimus. *Strenuus bello* est epitheton gloriosum: quare satis apte sequitur *quam gloriam;* et *gloria* sic dicitur pro gloriosa fama: est vero hic idem loquendi genus, de quo diximus ad 1, 29. *quod domus nostrae* etc. Non igitur perquam necessaria videtur esse emendatio Bipontinorum *cui gloriam et dux* etc. legentium et Gutmannus frustra miratur eam coniecturam a recentioribus editoribus neglectam. Illud *magis* quorundam librorum nihili est, nisi si putes excidisse vocabulum post *quam.* Ita volebat emendator cod. Agr.

sermonibus. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *rumoribus* MS. Bud. edd. Oberlin. sqq. Oberlinus provocat ad locum An. 15, 46. *iam Spartacum et vetera mala rumoribus ferente populo;* 15, 48. *claro apud vulgum rumore erat;* 2, 55. *occultus rumor.* Sed ex hisce locis apparet *rumores* esse quos Germanice dicimus *Gerüchte*, h. e. sermones, nuntios fama per populum manantes. Iam vero non video quomodo Varus ille apte dici possit secretis apud Neronem rumoribus Corbulonis virtutes criminatus. Num malam famam de Corbulone dispersit idque egit, ut ea perveniret ad Neronis aures? Immo suadent omnia, ut cogitemus ipsum Varum cum Nerone secreto collocutum. Hinc infamis gratia, quae non cadit in occultum alicuius rumoris auctorem. Quodsi vera esset scriptura *rumoribus*, non credo id vocabulum soli Budensi codici contigisse.

virtutes criminatus. unde infami gratia primum pilum adepto laeta ad praesens male parta mox in perniciem vertere. Sed Primus ac Varus occupata Aquileia in proxima quaeque et Opitergii et Altini laetis animis accipiuntur. relictum Altini praesidium adversus classem Ravennatem nondum defectione eius audita. inde Patavium et Ateste partibus adiunxere. illic cognitum tris Vitellianas cohortes et alam, cui Sebonianae nomen, ad Forum Allieni ponte iuncto consedisse. placuit occasio invadendi incuriosos: nam id quoque nuntiabatur. luce

male parta. Ed. Spir. *male parata.* Ed. Put. V. *maleperta.* — Mox ed. Spir. *verteret* pro *vertere.*

ac Varus. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *ac Varius.*

occupata Aquileia in proxima quaeque. MSS. Flor. (t. Vict. cum Pichena) Reg. Bud. Corb. ed. Spir. *occupata Aquileia proxima quaeque*, nisi quod Bud. pro *quaeque* habet *quoque*, ed. Spir. *Aquilegia* et dein *queque*, Quae cum idonea structura cohaereant nulla, alii libri ex emendandi studio ferunt: *occupantes Aquileiae proxima quaeque:* nam ita MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Ryckium, qui e MS. Agr. dedit: *occupata Aquileia in proxima quaeque*, eaque Lipsius in ed. Romana (nescio qua) invenit. Inter recentiores Bipont. Oberlin. sqq. rursum ad Puteolani scripturam redierunt: Bekkerus Ryckium secutus est. Possis levissima cum transpositione retinere verba potiorum librorum et uti ratione loquendi Tacito frequentissima: *quaeque proxima* cf. An. 1, 12. *victoriarum suarum, quaeque* etc.; 2, 33. *in familia et argento, quaeque* etc.; 2, 41. *de Angrivariis, quaeque* etc.; 2, 66. *epulis, et quae alia* etc. Similia sunt 2, 60. 3, 43. 45. 11, 3. 16, 2. et alibi.

et Opitergii. Sic MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. *ac opitergi* ed. Spir. — Mox pro *Altini* MS. Flor. (test. Vict.) ante *praesidium* habet *Alpini.*

classem Ravennatem. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *classis Ravennatis* MS. Flor. teste Victorio. — *classes rauennates* ed. Spir. At mox est *eius.* De *defectione* cf. supr. 2, 100. et 101.

inde Patavium. MS. Guelf. *in Pataυium.*

Ateste. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. *Aceste.* Vulgatum est a Beroaldo. cf. Plin. 3, 19. Pervulgarem esse in vett. libris litterarum *t* et *c* permutationem alibi et sexcentis exemplis vidimus.

illic. Ed. Spir. *illuc.* Eadem negligit *et* ante *alam.*

Sebonianae. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Harl. (a pr. manu) Agr. Bud. Reg. Corb. et aliquot libri Lipsii. Idem voluit ed. Spir., dum scribit *sebomañ.* — *Scribonianae* MSS. Harl. (a sec. manu) Guelf. (a sec. m.) edd. Put. sqq. ad Bipont. et Oberl., qui restituerunt potiorum librorum scripturam.

Allieni. Sic MS. Agr. edd. Ryck. Ernest. Brot. sqq. — *Alieni* MS. Bud. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *Altini* MS. Guelf.

incuriosos. Ed. Spir. *curiosos* neglecta syllaba *in* ob praecedens *i.* Nam *in* per comp. *ĩ* scribitur.

nuntiabatur. Ed. Spir. *nuntiabitur.*

prima inermos plerosque oppressere. praedictum, ut paucis interfectis ceteros pavore ad mutandam fidem cogerent. et fuere qui se statim dederent. plures abrupto ponte instanti hosti viam abstulerunt.

VII. Vulgata victoria post principia belli secundum Flavianos datae legiones septuma Galbiana, tertiadecuma Gemina cum Vedio Aquila legato Patavium alacres veniunt. ibi pauci dies ad requiem sumpti: et Minucius Iustus praefectus castrorum legionis septumae, quia adductius quam civili bello imperitabat, subtractus

inermos. Sic MS. Flor. (test. Pich.) edd. Pichen. Bernegg. sqq.; Victorius intactum reliquit *inermes*, quod ferunt MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. edd. Spir. Put. Beroald. sqq. ad Pichenam. cf. not. ad An. 1, 6.

praedictum. cf. not. ad An. 2, 79.

mutandam. Ed. Spir. *nutandam.* Eadem mox *et fuerunt.*

dederent. Sic edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *crederent* ed. Spir. — *degerent* MS. Guelf. — *dedere* MS. Corb.

instanti. MS. Guelf. *statim* (sic: *statī*. Debuisset scribi *īstāti*).

Cap. 7. *Vulgata victoria post principia belli secundum Flavianos datae legiones* etc. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir., egregia sententia, qua tenebrae hinc feliciter depelluntur. De formula *secundum Flavianos datae* cf. An. 4, 43. *ita secundum Messenios datum.* Sueton. Claud. c. 15. *secundum praesentes facillime dabat.* Igitur *legiones post principia belli secundum Flavianos datae* sunt legiones, quae post principia belli ab Antonio Primo in partes Flavianas erant datae. cf. supr. 2, 86. Hae legiones vulgata victoria ad Forum Allieni reportata alacres veniunt. Ita nihil huius loci verbis sanius esse potest. Sed misere huc usque tractatus est in libris editis. Nam omnes inde a Puteolano habent: *Vulgata victoria post principia belli secundum Flavianos duae legiones* etc. Interpretantur: „cum belli haec initia Flavianis secunda in famam victoriae auctiorem vulgata essent" Quae quomodo inesse possint non intelligo. Neque tamen defuere qui de loco emendando cogitarent, quia variant codd. MSS. Nam Bud. Ies. non habent *post* ante *principia*: in Guelf. secunda manus eam praepositionem adiecit. In *datae* iidem libri cum Flor. conspirant. Quare Rhenanus faventibus Vertranio et Lipsio volebat: *victoria principio belli secundum Fl. data, legiones etc.* Iac. Gronovius coniiciebat *per principia belli*, quod adridebat Ernestio, qui tamen suspicabatur verba *principia belli secundum Flavianos* e margine in contextum male recepta esse. Iam vero eiusmodi consiliis supersedebimus.

Vedio Aquila. Sic tacite edd. Rhen. Ald. sqq. cf. supr. 2, 44. — *Vidio Aquila* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — *video Aquilia* ed. Spir. — *Iudeo aquila* MS. Guelf.

Minucius. Sic edd. Lips. (1574.) sqq. cf. An. 6, 7. — *Minutius* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Lipsium. — *Municius* MS. Flor. teste Victorio. — *Munitus* ed. Spir.

adductius. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Vat. (Lips.) Corb.

militum irae ad Vespasianum missus est. Desiderata diu res interpretatione gloriaque in maius accipitur, postquam Galbae imagines discordia temporum subversas in omnibus municipiis recoli iussit Antonius decorum pro causa ratus, si placere Galbae principatus et partes revirescere crederentur.

VIII. Quaesitum inde, quae sedes bello legeretur. Verona potior visa patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua praevalebant: simul coloniam copiis validam auferre Vitellio in rem famamque videbatur. Possessa ipso transitu Vicetia: quod per se parum (etenim modicae municipio vires) magni momenti locum obtinuit reputantibus illic Caecinam genitum et patriam hostium duci ereptam. in Veronensibus pretium fuit: exemplo opibusque partes iuvere. Et interiectus

edd. Pich. Gruter. Bernegg. sqq. cf. An. 14, 4. 12, 7. — *adductus* MS. Reg. — *audacius* (sive *audatius*) MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. sqq. ad Pichenam.

gloriaque in maius. Sic vulgo. MS. Flor. (t. Vict. c. Iac. Gron.) ed. Spir. *gloriaeque maius*, omisso *in*. Hoc absorptum est a littera *m*. Lege: *interpretatione gloriaque in maius accipitur*, suadente Iac. Gronovio.

si placere. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et dein Pich. Bernegg. sqq. — *si placeret* MSS. Bud. Guelf. (unde Ernestius falso adfert *placere*) edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. Nimirum MSS. et edd. ante Pichenam locum absolvunt in voce *principatus*. Pergunt: *Et partes praesumpsere* etc. cf. infr. c. 9. et not. ad cap. 5.

revirescere. Sic edd. Spir. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *reviviscere* MSS. Guelf. Ies. cf. not. ad An. 4, 12.

crederentur. Sic MS. Flor. (test. Pich.) edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *crederet* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Pichenam. — *credebatur* MS. Bud. Quae librorum varietas originem traxit e totius loci transpositione.

Cap. 8. *praevalebant.* MS. Guelf. *praevalebat*, neglecta lineola.

Vicetia. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) edd. Pich. Gruter. Bernegg. Lipsius hanc scripturam firmavit e lapidis inscriptione, e Plinio et Strabone. *Vicentia* habent MSS. Bud. Guelf. aliique, edd. Rhenan. Ald. sqq. ad Pichenam. *Vincentia* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc.

per se. Ed. Spir. *pro se.* Deinde *optinuit*, et mox *opibus exemploque.*

iuvere. Ed. Spir. *vivere.*

interiectus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Agr. et suadente Lipsio edd. Pichen. Bernegg. sqq. — Pichena in Flor. vidit *intertectus*, quod exstat in MSS. Vat. (Lips.) Farnes. Reg. Corb. ed. Spir. — *interceptus* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Puteol. sqq. ad Pichenam.

exercitus per Raetiam Iuliasque Alpes, ac ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat. Quae ignara Vespasiano aut vetita: quippe Aquileiae sisti bellum exspectarique Mucianum iubebat adiiciebatque imperio consilium, quando Aegyptus, claustra annonae, vectigalia opulentissimarum provinciarum obtinerentur, posse Vitellii exercitum egestate stipendii frumentique ad deditionem subigi. eadem Mucianus crebris epistolis monebat, incruentam et sine luctu victoriam et alia huiuscemodi praetexendo, sed gloriae avidus atque omne belli decus sibi retinens. ceterum ex distantibus terrarum spatiis consilia post res adferebantur.

IX. Igitur repentino incursu Antonius stationes hostium inrumpit, tentatisque levi proelio animis

per Raetiam. Sic (sive *per Rhetiam* s. *Rhaetiam*) MSS. Bud. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. Grut. — MS. Flor. idem exhibet per compendium *p̃tiam* test. Vict. cum Pich. Id vero compendium aliis fraudi fuit, ut scriberent *pretiam*, quod exstat in MS. Reg. et ed. Spir., vel negligerent *per* ponerentque *Retiam*, ut MSS. Vat. et Farnes. (teste Lipsio) Corb. Agr. Haec tamen ratio accepta fuit Pichenae, Bernegg., Brot., Bipont., ut coniungerent *obsepserat Raetiam Iuliasque Alpes.* At enim vero Raetiam Iuliasque Alpes exercitus interiectus non obsepserat, quod longum fuisset: immo viam inter Raetiam Iuliasque Alpes, qua Germanici potuissent inrumpere. Intelligitur exercitus ad occupandam ripam Aeni fluminis missus (cf. supr. c. 5.), docetque Noster hisce verbis tutam bonamque sedem bello et propterea fuisse Veronam, quia interiectus erat exercitus per R. et I. A. atque obsepserat eam viam, ne pervium illa G. exercitibus foret. Igitur Iac. Gronovius bene revocavit scripturam ante Pichenam vulgatam.

ac ne pervium. Pichena suadente Lipsio deleverat *ac*, invitis vett. libris: restituit Ryckius. Nostrates tamen locum interpretabtur, tanquam *ac* abesset, quum debuissent scribere: *Und zwischen R. und den J. Alpen durch lag ein Heer und hatte, damit nicht dort die Germanischen Heere einen Durchgang hätten, denselben versperrt* Ceterum cod. Agr. et ed. Spir. pro *obsepserat* ferunt *obsederat*; cod. Ies. *obsesserat.* Ed. Spir. *parvium* pro *pervium.*

quae ignara etc. Accipe *quae* de omnibus rebus, quas post occupatam Aquileiam Antonius gesserat.

aut vetita. Ed. Spir. *haud vetita.* Eadem rursus *Aquilegiae.* Mox *adiciebatque*, et *subici* pro *subigi.*

obtinerentur. MS. Guelf. *obtineret.* Edd. Put. V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. *Vitelli* pro *Vitellii.*

ceterum. Ed. Spir. *certum.*

post res. MS. Reg. *post tres.* Hinc emendationis causa Bud. *post tres menses.*

Cap. 9. *inrumpit.* MS. Guelf. *irrupit.* Ed. Spir. *inrupit.* — Mox *tentatisque* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Rhenan.; *temptatisque* edd. Spir. Beroald. (cum silent. Vict.) Alciat.

ex aequo discessum. Mox Caecina inter Hostiliam vicum Veronensium et paludes Tartari fluminis castra permuniit, tutus loco, cum terga flumine, latera obiectu paludis tegerentur. quod si adfuisset fides, aut opprimi universis Vitellianorum viribus duae legiones nondum coniuncto Moesico exercitu potuere aut retro actae deserta Italia turpem fugam conscivissent. sed Caecina per varias moras prima hostibus prodidit tempora belli, dum, quos armis pellere promptum erat, epistolis increpat, donec per nuntios pacta perfidiae firmaret. Interim Aponius Saturninus cum legione septima Claudiana advenit. legioni tribunus Vipstanus Messalla praeerat, claris maioribus, egregius ipse et qui solus ad id bellum artes bonas attulisset. Has ad copias nequaquam Vitellianis pares (quippe tres adhuc legiones erant) misit epistolas Caecina temeritatem victa arma tractantium incusans. simul virtus Germanici exercitus laudibus attollebatur, Vitellii modica et vulgari mentione, nulla in Vespasianum contumelia: nihil prorsus, quod aut corrumperet hostem aut terreret. Flavianarum partium duces omissa prioris fortunae defensione

ex aequo. MS. Guelf. ed. Spir. *ex equo*, vulgari negligentia.

Hostiliam. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. *Hostiam*, media syllaba, ut saepe, neglecta. — Mox pro *Tartari* MS. Flor. (test. Vict.) *cartari*.

castra permuniit. MSS. Reg. Ies. *permunivit.* Ies. non habet *castra*.

obiectu. Ed. Spir. *obiecta.*

potuere. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *potuissent* ex emendandi studio, quia mox sequitur *conscivissent.* Sed huius verbi diversa est ratio. cf. not. ad An. 1, 44. sub vv. *ubi . . . obiectavissent.*

Vipstanus. Sic e lapidibus edd. Ryck. Ernest. sqq. suadente Ruperto. cf. not. ad An. 14, 1. — *Vipsanus* MSS. Guelf. (a secunda manu) Harl. Bodl. Ies. Reg. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. — *Vipsanius* edd. Spir. Lips. Pich. Gruter. sqq. ad Ryckium. — Broterius maluit *Vipstanius* ex inscriptt. apud *Muratori Nov. Thes.* T. I. p. 319. et apud Gruter. p. 1066. et 1070. cf. not. ad Hist. 4, 42.

ad id bellum. MS. Guelf. omittit *id.* Idem cod. mox *artis* pro *artes*.

pares. Ed. Spir. *partes.* Mox *laudibus* a MS. Corb. abest.

in Vespasianum. Ed. Spir. *ad Vespasianum.*

omissa prioris fortunae defensione. Haec spectant ad exprobrationem victorum armorum.

pro Vespasiano magnifice, pro causa fidenter, de exercitu securi, in Vitellium ut inimici, praesumpsere, facta tribunis centurionibusque retinendi, quae Vitellius indulsisset, spe. atque ipsum Caecinam non obscure ad transitionem hortabantur. recitatae pro concione epistolae addidere fiduciam, quod submisse Caecina, velut offendere Vespasianum timens, ipsorum duces contemptim tanquam insultantes Vitellio scripsissent.

X. Adventu deinde duarum legionum, e quibus tertiam Dillius Aponianus, octavam Numisius Lupus ducebant, ostentare vires et militari vallo Veronam circumdare placuit. forte Galbianae legioni in adversa

pro Vespasiano. Ed. Spir. *ꝓ Vespasiano.*

de exercitu securi. Sic MSS. et edd. Puteol. sqq. ad Lipsium, qui emendavit *de exitu securi.* Sed Ryckius bene animadvertit securitatem de exitu iam esse in verbis *pro causa fidenter.* Verba *de exercitu securi* respiciunt ad laudes, quis Germanici exercitus virtus a Caecina attollebatur in contumeliam Flavianorum. Recte igitur Oberlinus cum Bipont. veterem scripturam restituit. Ceterum MS. Agr. non habet vocem *securi* et ed. Spir. caret verbis *securi, in Vitellium ut inimici.* — Iam veteres ab hoc loco transeunt ad verba cap. 5. Et cod. Flor. (test. Vict.) pergit: *In Vitellium ut inimici innocū exercitum moesico celeraret.* MS. Guelf. *Vitellium* (neglecta praepositione *in*) *ut inimici: ut īnocuū exercitū moesico celebrarēt.* Ed. Spir. *de exercitu moesico celebrare. Ac ne inermes* etc. Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. sqq. ad Pichenam faciunt cum MS. Guelf., nisi quod Puteol. habet *messicum*, ceterae *Moesicum* pro *moesico*, et *celebrare* pro *celebrarent.*

praesumpsere. H. e. prius sumpsere quam decerneretur, an sumenda essent. Cogita de contumeliis, conviciis, opprobriis, quae in inimicum cumulari solent. Casum obiecti, quia facile intelligitur, more suo Noster omittit verbumque ponit absolute. De verbo *praesumere* cf. An. 1, 48. 14, 64. Freinshemius frustra coniecit *rescripsere.* Ryckius *praesumere* male interpretatus est *opinari.*

facta tribunis centurionibusque etc. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Agr. Harl. edd. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *facta tribunis et centurionibus* edd. Rhenan. sqq. ad Ryckium. — *facta a tribunis centurionibusque* MS. Guelf. ed. Spir. — *f. a tr. et c.* MS. Bud. edd. Put. Beroald. Alc.

ad transitionem. MS. Guelf. *ad transactionem.*

contemptim. MS. Guelf. *contemptiū.* Ed. Spir. *contempti.*

scripsissent. MS. Guelf. *scripsisset.*

Cap. 10. *Aponianus.* MSS. et vett. edd. *Apontanus*, quod Rhenanus correxit in *Aponianus* e cap. seq., ubi libri in hac scriptura conspirant.

Galbianae. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Corb. edd. Spir. Rhen. (ut videtur e Bud.) Ald. sqq. — *Galbiae* edd. Put. M. et V. Ber. Alciat.

fronte valli opus cesserat, et visi procul sociorum equites vanam formidinem ut hostes fecere. rapiuntur arma et ut proditionis ira militum in T. Ampium Flavianum incubuit, nullo criminis argumento, sed iam pridem invisus turbine quodam ad exitium poscebatur: propinquum Vitellii, proditorem Othonis, interceptorem donativi clamitabant. nec defensioni locus, quanquam supplices manus tenderet, humi plerumque stratus, lacera veste, pectus atque ora singultu quatiens. id ipsum apud infensos incitamentum erat, tanquam nimius pavor conscientiam argueret. obturbabatur militum vocibus Aponius, cum loqui coeptaret: fremitu et clamore ceteros aspernantur: uni Antonio apertae militum aures. namque et facundia aderat mulcendique vulgum artes et auctoritas. Ubi crudescere seditio, et a conviciis ac probris ad tela et manus transibant, iniici catenas Flaviano iubet. sensit ludibrium miles disiectisque, qui

valli. MS. Guelf. *vallis.*

vanam formidinem. MS. Guelf. *formidinem vanam.*

proditionis ira militum. Haec I. Fr. Gronovius bene defendit exemplo Cic. de N. D. 2, 63. *canum adulatio dominorum.* Adde Cic. Tusc. 4, 40. *fratris repulsa consulatus.* Id. de leg. agr. c. Rull. I, 1. *populi Romani subsidia belli.* Priores aliquid hic mutandum censuerant. Lipsio videbatur vox abesse atque legendum: *proditionis auctorem*, vel *compertum*, vel denique: *et ut proditione, ira militum.* Faërnus: *rapiuntur arma metu proditionis: ira militum* etc. Pichena: *et ut proditorem, ira militum* etc. Alii alia.

T. Ampium Flavianum. cf. not. ad 2, 86, 3, 4. Hic libri vett. iterum *T. Appius* (vel *Apius*) *Flavianus.*

invisus. Ed. Spir. *invasus.*

tenderet. MS. Guelf. *tenderit.*

obturbabatur m. v. Aponius. Sic MSS. et vett. edd. praeter MS. Bud., quo auctore Rhenanus deleverat *Aponius.* Restituit Lipsius: intelligitur enim Aponius Saturninus. cf. c. 9. Pichena posuit *Aponianus*, qui paulo infra iterum nominatur inter tumultus sedatores. Ryckius e MSS. Flor. et Agr. reddidit *Aponius.*

aspernantur. Ernestius mutabat *aspernabantur* ob praecedens *obturbabatur.* Plane sic idem An. 2, 23. volebat *praecipitabantur* pro *praecipitantur* eodemque iure. Vid. ib. not.

namque. Sic MSS. et vett. edd. — Lipsius omiserat *que:* restituit Iac. Gronovius.

crudescere. Ed. Gronov. (1672.) *candescere*, vitio operarum.

ac probris. Sic codd. MSS. Guelf. aliique, edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *et probris* MS. Bud. edd. Rhenan. sqq. — *ac vocibus* MSS. Harl. Ies. a secunda manu.

iniici. Ed. Spir. *inici.*

sensit. MS. Bud. *sentit.* Mox Guelf. *obstentans* pro *obtestans.* Ed. Spir. *aut militum manibus se moriturum: aut suis: obtestans.*

tribunal tuebantur, extrema vis parabatur. Opposuit sinum Antonius, stricto ferro aut militum se manibus aut suis moriturum obtestans, ut quemque notum et aliquo militari decore insignem aspexerat, ad ferendam opem nomine ciens. mox conversus ad signa et bellorum deos, hostium potius exercitibus illum furorem, illam discordiam iniicerent, orabat, donec fatisceret seditio et extremo iam die sua quisque in tentoria dilaberentur. Profectus eadem nocte Flavianus obviis Vespasiani litteris discrimini exemptus est.

XI. Legiones veluti tabe infectae Aponium Saturninum Moesici exercitus legatum eo atrocius adgrediuntur, quod non ut prius labore et opere fessae, sed medio diei exarserant vulgatis epistolis, quas Saturninus ad Vitellium scripsisse credebatur. ut olim virtutis modestiaeque, tunc procacitatis et petulantiae certamen erat, ne minus violenter Aponium quam Flavianum ad supplicium deposcerent. quippe Moesicae legiones

et aliquo. MS. Bodl. (Abrah. Gronovio teste) *vel aliquo.*

militari decore. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud, edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium, qui ex cod. Vatic. et ed. Spir. edidit *honore,* quum etiam in Farnes. invenisset *onere.* Pro *honore* cum ed. Spir. conspirant MSS. Reg. Corb. Pichena reduxit *decore.*

bellorum deos. Plane non video, quo nomine vocabulum *bellorum* suspectum fuerit Ernestio. Nam bellorum dii pertinent ad signa: quare nihil aptius dici potest quum *conversus ad signa et bellorum deos*, hoc est ἓν διὰ δυοῖν.

iniicerent. Ed. Spir. *inicorent.* MS. Corb. *mitterent,*

donec fatisceret. Sic MS. Corb. (test. Brot.) et tacite edd. Rhenan. sqq. — *donec fatiscere* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silentio Vict.) Alc. — *donec satisfacere* ed. Spir.

dilaberentur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Corb. edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *dilaberetur* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. ad Pichenam.

Cap. 11. *veluti.* Ed. Spir. *velut.* Eadem mox *videbatur* pro *credebatur.*

certamen erat. MS. Guelf. *crimen erat.*

deposcerent. MS. Bodl. *reposcerent.*

Moesicae legiones. Sic codd. MSS. Guelf. Vatic. (Lips.) aliique, edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — Rhenanus e cod. Bud., qui habet *Moesicae* neglecto vocabulo *legiones*, dederat *Moesici.* Veterem scripturam Pichena restituit e MS. Flor.

adiutam a se Pannonicorum ultionem referentes et Pannonici, velut absolverentur aliorum seditione, iterare culpam gaudebant. in hortos, in quibus devertebatur Saturninus, pergunt. nec tam Primus et Aponianus et Messalla quanquam omni modo nisi eripuere Saturninum, quam obscuritas latebrarum, quibus occulebatur vacantium forte balinearum fornacibus abditus. mox omissis lictoribus Patavium concessit. Digressu consularium uni Antonio vis ac potestas in utrumque exercitum fuit, cedentibus collegis et obversis militum studiis. nec deerant qui crederent utramque seditionem fraude Antonii coeptam, ut solus bello frueretur.

XII. Ne in Vitellii quidem partibus quietae mentes exitiosiore discordia non suspicionibus vulgi sed

adiutam. Ed. Spir. *ad vitam*, vulgari syllabarum confusione.

Pannonicorum. Sic MS. Guelf. (test. Vict. cum Pich.) edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *Pannoniorum* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Pichenam. At mox *Pannonici*.

ultionem. MS. Guelf. *seditionem*. Mox ed. Spir. *alorum* pro *aliorum*.

devertebatur. Sic edd. Spir. Ernest. Brot. sqq. — *divertebatur* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Ernestium. Vix credo mutatione opus fuisse.

et Aponianus. Rhenanus omiserat *et*. Pichena restituit e MS. Flor., cum quo consentiunt MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc.

omni modo nisi. Sic edd. Spir. Lips. Pichen. sqq. — *nixi* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium.

quam obscuritas. Ed. Spir. *q̃ q̃ obscuritas* (h. e. *quanquam*), vitiose.

balinearum. MS. Reg. ed. Spir. *balneorum*. Vulgo *balnearum*. Sed cf. not. ad 2, 16.

fornacibus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Agr. Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *fornicibus* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

lictoribus. Ed. Spir. *littoribus*.

vis ac potestas. Sic edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *ius ac p.* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Corb., vulgari confusione. Mox *fuit* non apparet in ed. Spir.

obversis militum studiis. Sic codd. MSS. Guelf. Bud. aliique, edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *obversis militibus studiis* MSS. Flor. (test. Pich.) Corb., unde Pichena coniectabat *militaribus*, Iac. Gronovius *militis*.

utramque. Hoc non est in ed. Spir.

ut solus. MS. Guelf. *ut solitus*.

Cap. 12. *Ne ... quidem*. MS. Bud. *nec ... quidem*. Ceteri libri vulgatum tuentur.

exitiosiore. Ed. Spir. *exitiore*.

suspicionibus. Sic edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. — *suspitionibus* edd. Spir. Put. M. et V. — *suspictionibus* MS. Guelf.

perfidia ducum turbabantur. Lucilius Bassus classis Ravennatis praefectus ambiguos militum animos, quod magna pars Dalmatae Pannoniique erant, quae provinciae Vespasiano tenebantur, partibus eius adgregaverat. nox proditioni electa, ut ceteris ignaris soli in principia defectores coirent. Bassus pudore seu metu, quisnam exitus foret, intra domum opperiebatur. trierarchi magno tumultu Vitellii imagines invadunt, et paucis resistentium obtruncatis ceterum vulgus rerum novarum studio in Vespasianum inclinabant. tum progressus Lucilius auctorem se palam praebet. classis Cornelium Fuscum praefectum sibi destinat, qui

Lucilius. Sic edd. Lipsii posteriores, Pich. sqq. — *Lucillius* MS. Guelf. edd. vett. (cum sil. Vict.) et Lipsii prima. cf. not. ad An. 4, 15.

Vespasiano tenebantur. Sic MS. Guelf. (hic *Vespesiano*) edd. Put. M. et V. (sc. *Vespesiano*) Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *a Vespasiano t.* MS. Corb. ed. Spir., et ita volebat Muretus adversante Acidalio.

in principia. MS. Guelf. *in provintiam.*

obtruncatis. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. — At MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. ferunt *obumbratis*, quod ita verum est, ut vix abstineam quin reponam. cf. supr. 2, 32. *etsi aliquando obumbrentur.*

auctorem. Ed. Spir. *actorem.*

classis Cornelium Fuscum. Sic ed. Spir. et e Lipsii correctione edd. Pichen. Gruter. sqq. cf. supr. 2, 86. — Edd. Put. Rhen. sqq. pro *Fuscum* habent *Tuscum;* edd. Beroald. (cum silentio Victorii) Alc. *Thuscum;* MS. Guelf. *Tuschum.* In Puteolani et ceterorum scripturam consentiunt etiam MSS. Bud. Harl. Bodl. les. — Bipontini ante *classis* addunt *at*, ne abruptius transeatur atque ut evitetur hiatus, qui videtur esse inter utrumque locum. Vereor tamen ut illud *at* satis medeatur. Savilius iam quaesiverat: „Cur munus suum Bassus non retinuit? cur strictius in carcere habitus, si Mennius Vespasiani causam amplectebatur? si hostem profitebatur, cur iubente Hormo Vespasiani amico dimissus est?" Respondit I. Fr. Gronovius: „Non retinuit, quia raro hactenus proditoribus creditur, ut relinquatur eis facultas poenitentiae et nocendi eisdem viribus, quibus profuere. Sed et ad securitatem eius pertinuit discedere a classe, in qua essent, quibus invitis partes mutaverat." Non satisfecit. Nam si Bassus ea de causa, quam Gronovius adfert, praefecturam amisit, cur alii defectores sua munera retinuere? num decet classem pro suspecto habere eum, quo auctore ipsa ad Vespasianum defecit? Si Basso metuendum fuit ab iis, quibus invitis partes mutaverat, non minus ab iisdem videtur metuendum fuisse Cornelio Fusco, qui pridem Vespasiani partibus susceptis acerrimam bello facem praetulerat. Satis igitur acute Savilium vidisse puto, nec dubito esse lacunam inter *praebet* et *classis.* Accidit haud dubie aliquid, quod milites a Basso abalienavit, ut Cornelium praefectum sibi destinarent Bassum-

propere adcucurrit. Bassus honorata custodia liburnicis navibus Hadriam pervectus a praefecto alae Mennio Rufino praesidium illic agitante vincitur. sed exsoluta statim vincula interventu Hormi Caesaris liberti. is quoque inter duces habebatur.

XIII. At Caecina defectione classis vulgata primores centurionum et paucos militum, ceteris per militiae munera dispersis, secreta castrorum adfectans in principia vocat. ibi Vespasiani virtutem viresque par-

que cum custodia mitterent Hadriam. Uti nunc locus legitur, omnino praeter legentium opinionem atque exspectationem haec de Basso adsunt, postquam de ipso progresso et auctorem palam se praebente auditum est.

propere. Sic MSS. Guelf. Bud. edd. Spir. Beroald. (cum silentio Victorii) Rhen. sqq. — *prope* edd. Put. M. et V. Alc. Id vitium ortum est e compendio *ppe*, quod exstat in ed. Spir.

adcucurrit. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *accurrit* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. ad Pichenam.

Hadriam. Sic MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum sil. Vict.) sqq. cf. An. 15, 34. 2, 53. et Hist. 3, 42. — *Atriam* teste Broterio MSS. Reg. Corb. ed. Spir. Sed in ed. Spir. legitur *atria.* Recepit Broterius *Atriam*, dum provocat ad Plin. 3, 16. *Nobili portu oppidi Thuscorum Atriae, a quo Atriaticum mare ante appellabatur, quod nunc Adriaticum.* Sed de Thuscorum *Atria* hic non est cogitandum apparetque e Plinii explicatione *Atriam* ab *Adria* nonnisi antiquitate scripturae differre.

pervectus. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et dein Pich. Gruter. sqq. — *provectus* MSS. Bud. Reg. edd. Spir. Rhen. sqq. ad Pichenam.

Mennio. Sic MS. Harl. (a prima manu) edd. Put. sqq. — *Memmio* MSS. Guelf. Ies. Harl. (a sec. manu). — *Vivennio* MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Bud. (a prima manu). — *iuveniorum* MSS. Vatic. Agr. Corb. ed. Spir. — Heinsius volebat *Iuventio;* Iac. Gronovius *M. Ennio Rufino.* — Mox *illic* abest a Corb.

Hormi. Ed. Spir. *hornu.*

Caesaris. Int. Vespasiani.

CAP. 13. *secreta castrorum.* Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. ad Bipontinos et Oberlinum, qui e coniectura Pichenae ediderunt *secretiora castrorum*, quia MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. Corb. ferunt *secretorum castrorum*, MS. Reg. *secretorum* neglecto altero vocabulo. Sed non video quid efficiat comparativus in hac re. Quodsi velis aliquid fingere illis libris simile, cum Ryckio e MS. Agr. legas *secretum castrorum*, quod etiam Pichena cum Lipsio suadebant. Ceterum *secreta castrorum* intellige secretas curas ad castra pertinentes et compara *arcana imperii* An. 2, 36.; *dominationis arcana* An. 2, 59.

tium extollit: transfugisse classem, in arto commeatum, adversas Gallias Hispaniasque, nihil in urbe fidum: atque omnia de Vitellio in deterius. mox incipientibus qui conscii aderant ceteros re nova attonitos in verba Vespasiani adigit. simul Vitellii imagines dereptae et missi qui Antonio nuntiarent. Sed ubi totis castris in fama proditio, recurrens in principia miles praescriptum Vespasiani nomen, proiectas Vitellii effigies aspexit, vastum primo silentium, mox cuncta simul erumpunt: huc cecidisse Germanici exercitus gloriam, ut sine

in arto commeatum. Sic (sive *in arcto*) MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Ernest. Brot. sqq. — At MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Reg. (test. Brot.) *in arce commeatum.* Eandemque scripturam Ernest. et Brot. ex ed. Spir. attulerunt: sed ibi est quod in MSS. Agr. Corb. *in arcē comeatum*, unde Lipsius sumpsit emendationem suam *arcem commeatuum*, quae ab ipso in locum recepta (1574.) valuit usque ad Ernestium. MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. *inopia commeatuum.* Vulgatam scripturam veram esse vix credo ob dissensum meliorum librorum. Pro Lipsii emendatione satis facit usus loquendi. cf. Liv. 3, 57. *tribunal castellum omnium scelerum.* Sallust. Hist. 3. (or. Lic. trib.) *arcem habent ex spoliis vestris.* Similiter *munimenta servitii* Tac. Hist. 4, 64. *sedes servitutis* Agric. c. 16. Quin Lipsii emendationem reponam, id unum me impedit quod recepta a Puteolano scriptura aptam sententiam et ipsa fundit.

in deterius. Ed. Spir. *in deteruis.*

imagines dereptae. Sic edd. Ernest. Broter. sqq. — *direptae* MSS. et vett. edd. cf. An. 1, 20. 2, 45. 13, 5. 57. et ibi not. Hic loci *direptae* non omnino absurdum est.

in fama proditio. cf. An. 11, 19. *in sinistra fama.* Vid. ibi not. Hist. 2, 73. Agr. c. 46. Vulgatam scripturam tuentur MSS. Flor. (teste Ryckio) Bud. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *infamia prodidit* MS. Reg. ed. Spir. — *infamia prodita* MS. Agr. a pr. manu; *infamis proditio* idem a sec. manu. — *rei fama didita* cod. Lampugn. (sive coniectura Freheri), Ernestius ante *recurrens* desiderabat *et.* At elegans potius asyndeton videtur hic esse, ut mox *praescriptum V. nomen, proiectus* etc.

cuncta simul erumpunt. Acidalius corrigebat *cuncti.* Bipont. *cuncta* quarto casu accipiunt, ut Cic. Att. 16, 3. *ne in me stomachum erumpant.* Terent. Eun. 3, 5, 2. *Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium?* Vulgo *cuncta* casu nominativo accipitur: *Alles bricht auf einmal los.* Sed rectius putabis *cunctā* (ab omni parte, undique) positum ut graecum *πάντῃ.* cf. not. ad An. 12, 31.

huc cecidisse. Heinsius malebat *recidisse.* Sed vid. not. ad An. 3, 59.

Germanici exercitus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *Germani exercitus* MSS. Guelf. Harl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. cf. not. ad Hist. 1, 8.

proelio, sine vulnere, vinctas manus et capta traderent arma? quas enim ex diverso legiones? nempe victas. et abesse unicum Othoniani exercitus robur, primanos quartadecumanosque: quos tamen iisdem illis campis fuderint straverintque, ut armatorum millia velut grex venalium exsuli Antonio donum darentur, octo nimirum legiones unius classis accessionem fore. id Basso, id Caecinae visum: postquam domos, hortos, opes principi abstulerint, etiam militibus principem auferre.

vinctas. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Rhen. (e Bud. puto) Ald. sqq. — *iunctas* MS. Reg. edd. Spir. Put. Beroald. Alc. cf. not. ad Hist. 2, 12. sub voc. *vinctus.*

Othoniani. MS. Bud. *Germanici:* quod vitium unde ortum sit, monstrat ed. Spir., quae fert *Othomanici.* Eadem mox *quarta decima: nosque.*

quos tamen iisdem illis campis etc. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Agr. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et deinde Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *quos tamen illis isdem c.* ed. Spir. — *quos tum iisdem campis illis* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. cum Lipsii prima. Mox idem Lipsius reposuit *tamen.* Ryckius meliorem verborum ordinem revocavit. Inter *ut* et *armatorum* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. ad Ryckium addunt *tot*, quod abest a MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryck.) Reg. Bud. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. Oberlin. sqq. — Ernest. Broter. Lünemann. retinent *tot*, quod tamen commode abest. cf. Plin. 28, 10. *Millia praeterea remediorum ex eo animali demonstrantur* etc. Ceterum varia interpunctione editores locum vexant. Sequimur eam rationem, quae est in edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. et nuper Bekkeri. Ironice loquuntur, et particula *ut* est nostrum *so dass, dass also.* cf. Ramshorn. Gr. § 192. p. 600. 2. Puteolanus, Beroald. Alc. punctum ponunt post *straverintque;* imitatus est Gutmannus. Sed *ut* satis superque monstrat haec cum praecedentibus cohaerere. Et ne deleta quidem particula *ut* oratio Tacito digna prodit. Tum enim *nimirum*, quod sequitur, debebat poni in antecedenti membro totusque locus alio modo construi.' Bipont. et Oberl. sqq. verba *quas enim . . . straverintque* uncis incluserunt, ut sequentia *ut armatorum* etc. responderent priori *ut.* Miror. Namque Tacitus non is mihi videtur, cui tam scabra oratio placuerit. Imitantur tamen Strombeckius et Ricklefsius. Herbst in *Animadvv.* p. 30. proponit haec: *Quas enim ex diverso legiones (nempe victas . . . straverintque), ut armatorum . . . darentur?* Non puto.

exsuli Antonio. Respice ad Hist. 2, 86. et An. 14, 40. Sic *exsul Seneca* An. 13, 14.

etiam militibus principem auferre. Sic MSS. et edd. vett. omnes. Variant tamen in eo quod post *auferre* plerumque puncto posito addunt vocem a contextu alienam. MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Corb. Bud. ed. Spir. *auferre. litē integros* etc. (in Flor. test. Pich. punctum est post *litem*). Codd. MSS. Guelf. aliique, edd. Put. M. et V. Beroald. *auferre. Licet integros* etc. Edd. Alc. Rhen. sqq. punctum ante *licet* mutant commate et punctum po-

integros incruentosque Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos reposcentibus aut prospera aut adversa?

XIV. Haec singuli, haec universi, ut quemque dolor impulerat, vociferantes, initio a quinta legione orto, repositis Vitellii imaginibus vincla Caecinae iniiciunt: Fabium Fabullum quintae legionis legatum et

nunt post *viles*. Ferrettus ad hunc locum: „Malim: *etiam milites auferre*, primum, quia princeps reipsa non auferebatur militibus, sed milites principi: deinde ut conveniant quae sequuntur, *licet integros incruentosque*." Adstipulantur huic rationi Lipsius, Grotius et Ernestius. — I. Fr. Gronovius volebat: *etiam milites auferre, deditos integros incruentosque, Flavianis* etc. Iac. Gron.: *etiam militibus principem auferre. Sic et integros* etc. Oberlinus Bipontinos secutus edidit: *etiam principi auferri militem: integros incruentosque, Flavianis quoque partibus viles, militibus quid dicturos* etc. — Broterius coniectabat locum e cod. Agr. restituendum esse ita: *etiam militibus principem auferre, principi militem. integros incruentosque Flavianis quoque partibus viles*. Tutissimum mihi visum est redire cum Bekkero ad veteres libros relegata voce inutili et ambigua, quam credo perperam in contextum inrepsisse e margine, ubi primum a manu emendatoris scriptum fuerit *litem*, ut ostenderetur legendum esse *militem* pro *militibus* et *principi* pro *principem*. Sed haec emendatio, quam etiam Vertranius suadebat, non adeo est necessaria.

reposcentibus aut prospera aut adversa. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *rem poscentibus* ed. Spir. et sic cod. MS. quidam Parisiensis, quo usus est *Burnouf* (*Oeuvres complètes de Tacite, traduction nouvelle avec le texte en regard, des variantes et des notes* etc. Paris 1828.). Sed ea scriptura videtur orta e syllaba *re* forte in fine versus posita cum eo unco, qui litteram *e* in MSS. plerumque comitatur. Vulgatam I. Fr. Gronovius explicat: „ubi nunc ad Bedriacum victoria vel τὰ παθόντες et quas ad incitas redacti ad tam deforme subsidium descenderint." Acquiescunt in ea interpretatione recentiores, licet multum absit a vero. Nullus plane hic sermo est de victoria ad Bedriacum reportata, nec de adversis, quis ad tam deforme subsidium salutis descenderint. Immo *reposcentibus* modo infinito ponitur, ut sit: *wenn man von ihnen Rechenschaft forderte, sie befragte* etc. Nempe cogitant sibi in universum homines postero tempore quaesituros, aut quae prospera aut quae adversa in illo bello cum Flavianis experti sint? Perhorrescunt pudorem inde oriundum, quod nil de prosperis, nil de adversis memorandum sibi foret reliquum, quia integri incruentique transierint et sine omni rerum gestarum gloria bellum composuerint.

Cap. 14. *Fabullum.* Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Agr. edd. Ryck. Iac. Gron. sqq. — *Fabulum* MSS. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. cf. Catull. 13. Ceterum nihil in libris vett. frequentius est quam litterae simplices pro duplicatis positae, et si omnia eiusmodi vitia vellem adnotare, adnotandi finis esset nullus. Ita mox in Guelf. *Casius* pro *Cassius*.

Cassium Longum praefectum castrorum duces deligunt: forte oblatos trium liburnicarum milites ignaros et insontes trucidant: relictis castris, abrupto ponte Hostiliam rursus, inde Cremonam pergunt, ut legionibus primae Italicae et unietvicesimae Rapaci iungerentur, quas Caecina ad obtinendam Cremonam cum parte equitum praemiserat.

XV. Ubi haec comperta Antonio, discordes animis, discretos viribus hostium exercitus adgredi statuit, antequam ducibus auctoritas, militi obsequium et iunctis legionibus fiducia rediret. namque Fabium Valentem profectum ab urbe adceleraturumque cognita Caecinae proditione coniectabat. et fidus Vitellio Fabius nec militiae ignarus. Simul ingens Germanorum vis per Raetiam timebatur: et Britannia Galliaque et Hispania auxilia Vitellius acciverat, immensam belli luem, ni Antonius id ipsum metuens festinato proelio victoriam praecepisset. Universo cum exercitu secundis a Verona castris Bedriacum venit. postero die legionibus

unietvicesimae. Sic MSS. Flor. (test. Vict. *uni et vicensimae*) Bud. Agr. Reg. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq., nisi quod edd. Bernegg. et Gronov. (1672.) ferunt *una et vicesimae.* — MS. Guelf. *uni de XX^e.* — Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *undevicesimae.*

obtinendam. Ed. Spir. *obtinendum.*

Cap. 15. *animis, discretos.* Teste Rhenano haec duo vocabula in cod. Bud. non leguntur; coniungit ille liber *discordes viribus.* Idem mox *duri* pro *ducibus.*

profectum ab urbe. MS. Guelf. a sec. manu *profecturum* et verba *ab urbe* in margine adposita.

adceleraturumque. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *acceleraturumque* MS. Guelf. edd. Spir. Puteol. sqq.

et Britannia. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. — *et ex Britannia* MSS. Guelf. Bodl. Ies. Corb. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. et nuper Broterii. — *e Britannia* ed. Spir. — *ex Britannia* MS. Agr. Sed cf. An. 2, 54. *Mileto accitus.*

belli luem. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Agr. Harl. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. — *belli luaem* MSS. Guelf. Reg. Ies. ed. Spir. — In Bud. vocabulum post *belli* non apparet, quare Rhenanus coniectabat *belli vim.* Faërnus aliique volunt *belli molem.* Sed *lues* de quacunque pernicie dicitur, ut An. 2, 47. de terrae motu. Sic *immensa belli lues* est immensa multitudo, quae multam luem excitare poterat.

Bedriacum. Libri variant, ut Hist. 2, 23. et alibi.

ad muniendum retentis auxiliares cohortes in Cremonensem agrum missae, ut specie parandarum copiarum civili praeda miles imbueretur. ipse cum quattuor millibus equitum ad octavum a Bedriaco progressus, quo licentius popularentur. exploratores, ut mos est, longius curabant.

XVI. Quinta ferme hora diei erat, cum citus eques adventare hostes, praegredi paucos, motum fremitumque late audiri nuntiavit. dum Antonius quidnam agendum consultat, aviditate navandae operae Arrius Varus cum promptissimis equitum prorupit impulitque Vitellianos modica caede: nam plurium adcursu versa fortuna et acerrimus quisque sequentium fugae ultimus erat. nec sponte Antonii properatum,

ut specie. Ed. Spir. *ut ad spem.*

a Bedriaco. MS. Reg. *e Bedriaco.*

Cap. 16. *adventare hostes.* Vocabulum *hostes* in ed. Spir. non legitur.

praegredi. MS. Bud. *progredi*, vulgari confusione. Sed cf. Suet. Tib. c. 7. *pedibus toto itinere praegrediens.*

Varus. MS. Guelf. et ed. Spir. *Varrus*, ut supra c. 6.

plurium adcursu. Ed. Spir. *proelium ad cursum.*

fugae ultimus. Ernest., Lamalle, Bahrdt. volunt *fugae primus.* Perperam. Nihil enim in toto loco est quod acerrimum quemque tunc subito trepidissimum factum arguat. Quare Strombeckius repudiata illorum interpretum opinione censuit simpliciter hic describi ordinem fugientium ex re ipsa natum. Explicationem addidit hisce verbis conceptam: *Da die ganze verfolgende Schaar umwandte, so waren die am weitesten Vorgerückten unter den Fliehenden die Letzten, so wie die am wenigsten Vorgerückten unter den Fliehenden die Ersten waren.* Ita et Ferlet., Ricklefsius, Gutmannus, Burnouf. Miror Tacito tam inutilem operam imputari positam in describenda re, quae per se intelligitur. At ornatus causa haec addita censent *(malerische Darstellung).* Minime vero. Nihil enim in tam inepto additamento est, quod cuiquam placere possit. Walchius in emendd. Liv. p. 68. explicat: „Arrius impulit primum Vitellianos modica caede: sed cum plures accurrerent, versa fortuna (et caedes) in Vespasianos: nam qui acerrimi fuerant sequentium, tum in fuga maxime resistentes, insigniorem fecere iacturam." Strombeckius bene animadvertit haec verbis non inesse. Quid multa? Perverse locum omnes accipiunt. Nam verba: *et acerrimus ... erat* non pertinent ad Flavianos, sed ad Vitellianos a fuga in persequendum hostem versos: inter hos, qui acerrime hostem persequerentur, erant ultimi fugae. Versa enim fortuna fugitivi facti sunt persecutores, et ita quidem, ut qui in fugam fuerant ultimi, acerrime iam hosti insiarent. Vere et graphice. Solent quippe strenui fugae esse ultimi, iidemque versa fortuna acerrimi sequentium.

et fore, quae acciderant, rebatur. Hortatus suos, ut magno animo capesserent pugnam, diductis in latera turmis vacuum medio relinquit iter, quo Varum equitesque eius reciperet: iussae armari legiones: datum per agros signum, ut, qua cuique proximum, omissa praeda proelio occurrerent. Pavidus interim Varus turbae suorum miscetur intulitque formidinem. pulsi cum sauciis integri suometipsi metu et angustiis viarum conflictabantur.

XVII. Nullum in illa trepidatione Antonius constantis ducis aut fortissimi militis officium omisit. occursare paventibus, retinere cedentes: ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio, manu, voce insignis hosti, conspicuus suis: eo postremo ardoris provectus est, ut vexillarium fugientem hasta transverberaret. mox raptum vexillum in hostem vertit. quo pudore

et fore. Ed. Spir. negligit *et.* — Mox MS. Guelf. *pugnam capeseerent.*

diductis. Ed. Spir. cum MS. Corb. *deductis.*

vacuum medio. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Agr. Guelf. codd. Broterii, edd. Spir. Put. M. Beroald. (cum sil. Vict.) Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *vacuum in medio* MS. Bud. edd. Rhenan. sqq. ad Ryckium. — *vacuo medio* edd. Put. V. Alc.

relinquit. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Pich. Bernegg. sqq. — *reliquit* MS. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. Lips. Grut.

qua cuique. MS. Guelf. *quę quoique* h. e. *quae cuique.*

occurrerent. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *occurreret* MSS. Flor. (teste Ryckio) Agr. Bud. Reg. Corb. ed. Spir. Sed in tali re parum auctoritatis habent libri, quia lapsus fuit facillimus ob compendium scripturae. Acidalius volebat *accurrerent.* Male. Nam *occurrere* (*sich einfinden*, *sich einstellen*) aptissimum est. cf. Liv. 10, 43. Sueton. Cal. c. 39. Claud. c. 8. Vid. Baumgarten-Crusius in clav. Suet. et Ryck ad h. l.

suometipsi metu. MS. Corb. *suo et ipsi metu.* MSS. Guelf. Harl. Ies. *suomet ipsi impetu.* In margine duorum posteriorum librorum adnotatur: „alius habet *metu.*"

viarum. MS. Guelf. *villarum.*

Cap. 17. *Antonius constantis ducis.* Ed. Spir. *constantis ducis Antonius.*

occursare ... retinere. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Micyll. — *occurrere ... retinere* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. — *occursat ... retinet* MSS. Corb. Reg. Agr. edd. Spir. Lips. Pich. Grut. sqq. ad Iac. Gron., qui scripturam Flor. restituit.

unde. Ed. Spir. *inde.*

transverberaret. Sic MSS. Reg. Corb. Harl. Bodl. Ies. Bud. Agr. edd. Spir. Put. Ber. (cum silent.

haud plures quam centum equites restitere. Iuvit locus artiore illic via et fracto interfluentis rivi ponte, qui incerto alveo et praecipitibus ripis fugam impediebat. ea necessitas seu fortuna lapsas iam partes restituit. Firmati inter se, densis ordinibus excipiunt Vitellianos temere effusos, atque illi consternantur. Antonius instare perculsis, sternere obvios. simul ceteri, ut cuique ingenium, spoliare, capere, arma equosque abripere. et exciti prospero clamore, qui modo per agros fuga palabantur, victoriae se miscebant.

XVIII. Ad quartum a Cremona lapidem fulsere legionum signa, Rapacis atque Italicae, laeto inter initia equitum suorum proelio illuc usque provecta. sed ubi

Vict.) sqq. cum Lipsii prima. In edd. Lipsii posterioribus, Pich. Grut. sqq. legitur *transverberavit*, an e vett. libris non proditum est. Ernestius priorem scripturam restituit, neque est, cur spernatur. Nam An. 11, 31. legimus: *Satis constat eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret* etc.

restitere. Ed. Spir. *resistere*.

artiore. Sic ed. Spir. — *arctiore* MS. Guelf. edd. Put. sqq. cum silent. Victorii.

effusos. MS. Bud. *fusos*.

atque illi consternantur. Forma *consternantur* exstat in MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryck.) Bud. Reg. Harl. Ies. Guelf. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *consternuntur* MSS. Bodl. Agr. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — Pro *illi* MSS. et edd. ante Rhen. omnes ferunt *illic*, ultima littera e proximo verbo attracta. Rhenanus ex ingenio illud vitium sustulit. Commento eorum, qui secundum Gellium 10, 29. censent *atque* hic significare *statim* (cf. I. Fr. Gron. ad h. l. et Ramshorn. Gr. p. 523.), ego non subscribo. Nam habet ea particula et hic suam vim, ut cum praecedentibus coniungat, quae a diversa parte facta sunt: nihil amplius.

perculsis. Ita tacite Rhenan. sqq. — MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. ferunt *periculis*. Eadem utriusque vocabuli confusio alibi etiam est. cf. not. ad Hist. 2, 26.

simul ceteri: Ed. Spir. *simul et ceteri*.

capere. MS. Agr. *rapere*.

arma equosque. Sic MS. Flor. (test. Pich.) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et dein Pich. Lipsii postr. Gruter. sqq. — *arma: quosque* ed. Spir. — *arma, equos* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. Lipsii priores. — *equos armaque* MS. Guelf.

abripere. Sic MS. Guelf. (a secunda manu) edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *arripere* ed. Spir. et ita fuit in cod. Guelf. a prima manu. cf. not. ad Hist. 2, 36.

et exciti. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. edd. Spir. Pich. Gruter. Bernegg. sqq. — Copula *et* omittitur in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. sqq. ad Pich.

palabantur. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. *pallabantur*.

se miscebant. Ed. Spir. *sue miscebant*.

Cap. 18. *a Cremona*. MS. Guelf. *e Cremona*.

fulsere. Ed. Spir. *fulxere*. In cod. Guelf. *fulsere* est a secunda manu.

provecta. sed. MS. Flor. (test.

fortuna contra fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos, non obviam ire ultroque adgredi hostem tantum per spatium cursu et pugnando fessum. forte victi haud perinde rebus prosperis ducem desideraverant atque in adversis deesse intelligebant. Nutantem aciem victor equitatus incursat: et Vipstanus Messalla tribunus cum Moesicis auxiliaribus adsequitur, quos militiae legionariis quanquam raptim ductos aequabant. ita mix-

Vict.) *provectas set.* Ed. Spir. *provectas. Et.* Idem vitii genus saepissime redit in vett. libris.

adgredi. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *aggredi* MS. Guelf. et edd. vett.

forte victi. Sic vett. edd. et MSS. codices omnes praeter cod. Agr., qui habet *pugnando fessum forte victuri* ex emendandi studio. Adplaudunt tamen Acidalius, Ryckius, Dureau de Lamalle, Broterius. Alii (Lallemand., Ricklefs., Gutmann.) praeferunt coniecturam Freinsh., qui emendat: *Forte acti.* Interpretantur: *vom Ohngefähr dahin geführt* contra Freinshemii mentem. Is enim verbum *agendi* accipiebat de ducis imperio pro *regere.* Verum non opus est emendatione. *Victi* satis recte dicuntur illi legionarii, quia victoriae spe ita exciderant, ut abiecto pugnandi animo rem suam perditam crederent: et quidem *forte* victi h. e. non ipsi clade adfecti, sed fortuna suorum tracti. Quare intelligebant sibi ducem tantum deesse, ut fortunam meliorem repararent: iam vero deficiente duce nihil reliquum esse sentiebant, quam ut victos se paterentur.

intelligebant. MS. Flor. teste Victorio *intellegebant.* cf. not. ad An. 1, 11. 2, 42. 3, 15.

et Vipstanus. Ed. Spir. *ut Vipsanus.* Ceteri libri vett. *et Vipsanus.* cf. not. ad c. 9.

adsequitur. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *assequitur* MS. Guelf. edd. Put. Ber. sqq.

quos militiae legionariis quanquam raptim ductos aequabant. Locus multum vexatus. Spira ediderat: *quos gloria militiae legionarii quanquam raptim ductos aequabant.* Conspirant MSS. Reg. Corb. Agr. — *quos militiae gloria legionariis quanquam raptim ductos aequabat* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Lips. Grut., nisi quod edd. Lips. 1607. et Grut. non satis recte ferunt *gloriâ.* At MSS. Flor. (test. Pich. Ryck. Iac. Gron.) Bud. (test. Rhen.) *quos militiae legionariis quanquam raptim ductos aequabant.* Probabat Rhenanus accipiebatque *militiae* pro *in militia.* Pichena immutato eo vocabulo edidit: *quos militibus legionariis q. r. d. aequabat.* Ita et edd. Bernegg. et Bip. — Gronovius (1672.), Broterius et Dureau de Lamalle secuti sunt Puteolanum, in cuius scriptura Ryckius id mutavit, ut scriberet *aequabant.* Sed Iac. Gronovius, Ernest., Oberl. sqq. maluere scripturam Florentinam, quanquam nemo satis recte eam explicuit. Vocabulum *militiae* ponitur in nominativo plur., ut significet varias militiae species. cf. Tibull. 1, 3, 82. Sueton. Claud. c. 25. Id. in vita Iuven. et Plin. Vid. not. infr. ad 4, 31. Iam *militiae Moesicos auxiliares aequabant legionariis* h. e. Moesici auxiliares militiis aequabant legionarios (*Die Dienste, welche sie im Felde leisteten, stellten dieselben den Legionsoldaten gleich*). Eadem fere sententia inest scripturae Puteolani. *Gloria militiae* ibi est *der gute Ruf ihres Dienstes.* Sunt tamen qui et hodie in loco haereant confugiant-

tus pedes equesque rupere legionum agmen. et propinqua Cremonensium moenia quanto plus spei ad effugium, minorem ad resistendum animum dabant.

XIX. Nec Antonius ultra institit memor laboris ac vulnerum, quibus tam anceps proelii fortuna quamvis prospero fine equites equosque adflictaverat. Inumbrante vespera universum Flaviani exercitus robur advenit. utque cumulos super et recentia caede vestigia incessere, quasi debellatum foret, pergere Cremonam et victos in deditionem accipere aut expugnare deposcunt. Haec in medio, pulchra dictu. illa sibi quisque: posse coloniam plano sitam impetu capi. idem audaciae per tenebras inrumpentibus et maiorem rapiendi licentiam. quod si lucem opperiantur, iam pacem, iam preces et pro labore ac vulneribus clementiam et gloriam inania

que ad Pichenae emendationem (cf. Gutmann. ad h. l.) vel suadeant alia minus etiam speciosa (cf. Ricklefs. ad h. l.).

pedes equesque. Sic edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. et nuper Bekkeri. — MSS. Guelf. Bud. *eques pedesque*, uti ediderunt Oberlin. sqq., quia haec legendi ratio sit mollior. Sed quis tollet duritiem infr. c. 19. in *equites equosque.*

rupere. Ed. Spir. *erupere.* MS. Agr. *irrupere.*

minorem. Edd. ante Rhenanum et deinde Ernest. sqq. addunt *tanto* ante *minorem.* Respuunt illud MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. aliique codd. MSS., nisi quod *tanto* additum est in marg. cod. Harl. Deleo, quia id additamentum non necessario adest et ex emendandi studio videtur profectum. cf. An. 1, 74. *quantoque incautius efferverat, poenitentia patiens tulit* etc. 2, 5. *quanto acriora in eum studia militum et aversa patrui voluntas, celerandae victoriae intentior* etc.; Hist. 2, 11. *legioni quo plus virium ac roboris, e fiducia tarditas inerat.*

Cap. 19. *institit.* MS. Bud. *insistit.*

proelii fortuna. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Farnes. Bud. Reg. Corb. edd. Spir. Lips. (1607.) Pich. Grut. sqq. — *belli fortuna* MSS. Guelf. Harl. Bodl. (in marg. *prelii*) les. edd. Put. sqq. cum Lipsii prioribus. Eadem varietas frequens est in vett. libris. cf. not. ad c. 32. et 2, 44. 4, 67.

cumulos super. cf. Liv. 10, 29.

illa sibi. A MS. Corb. et ed. Spir. abest *illa*, et ed. Spir. verba: *Haec in medio . . . . capi* sine distinctione habet.

plano sitam. Sic MSS. et edd. Spir. Put. M. Beroald. (cum silent. Vict.) Rhen. sqq. — *in plano sitam* edd. Put. V. Alc. cf. Hist. 5, 23. *castraque in plano sita.* Sed infr. c. 48. *Africam eodem latere sitam* et c. 38. *turrim vicino sitam.*

et maiorem. Rhenanus malebat *sed maiorem* et mox: *et opes Cr.* Sed cf. not. ad An. 1, 13.

quod si lucem opperiantur. Ed. Spir. *quibus si lucem operiantur.* Mox eadem *iam preces, iam pacem.*

clementiam et gloriam. Ἓν διὰ δυοῖν. cf. Roth. p. 37.

laturos: sed opes Cremonensium in sinu praefectorum legatorumque fore. expugnatae urbis praedam ad militem, deditae ad duces pertinere. Spernuntur centuriones tribunique, ac ne vox cuiusquam audiatur, quatiunt arma rupturi imperium, ni ducantur.

XX. Tum Antonius inserens se manipulis, ubi aspectu et auctoritate silentium fecerat, non se decus neque pretium eripere tam bene meritis adfirmabat: sed divisa inter exercitum ducesque munia: militibus cupidinem pugnandi convenire, duces providendo, consultando, cunctatione saepius quam temeritate prodesse. Ut pro virili portione armis ac manu victoriam iuverit, ratione et consilio, propriis ducis artibus, profuturum. neque enim ambigua esse quae occurrant: noctem et ignotae situm urbis, intus hostes et cuncta insidiis opportuna. non, si pateant portae, nisi explorato, nisi die intrandum. An oppugnationem inchoaturos adempto omni prospectu, quis aequus locus, quanta altitudo moenium? tormentisne et telis an operibus et vineis ad-

expugnatae ... pertinere. Similis locus exstat Liv. 37, 32. Ne tamen cum Ernestio putes haec inde sumpta. Non enim ita egens Tacitus est verbis, ut a Livio mutuet.

quatiunt. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *quatiuntur.*

Cap. 20. *manipulis.* MS. Guelf. *maniplis.*

pretium eripere. Ed. Spir. *eripere precium.*

cupidinem pugnandi. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. (fortasse e Bud.) Ald. sqq. — *pugnandi cupidinem* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — Mox vocabulum *artibus* non legitur in ed. Spir. Eadem paulo ante *pvidendo* h. e. *praevidendo.* — Victorius verba *propriis ducis artibus* parenthesi circumdedit. Rothius (p. 9.) non omisit adnotare synonyma: *armis ac manu*; *ratione et consiliis.* cf. c. 60. *consiliis et ratione.*

neque enim ambigua esse quae occurrant: noctem et ignotae etc. Ed. Spir. non habet *enim.* Pro *noctem* — quod ferunt MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — alii libri, ut MSS. Flor. (test. Ryck.) Agr. Corb. ed. Spir. habent *nocte.* Explicat Ryckius: „neminem latere, quam periculosa nocturno tempore expugnatio urbis propter etc." Sed vulgatae scripturae minime poenitet. Ed. Gronov. (1672.) non habet verba: *et ignotae urbis situm, intus hostes.*

nisi explorato, nisi die. Sic MSS. et edd. praeter cod. Agr., qui fert: *non die nisi explorato*, uti Ryckius edidit. Ed. Spir. *nisi explorato non die.* Discrimen, quod inter vulgatam et Ryckii scripturam intercedit, neminem fugit.

an oppugnationem inchoaturos. MS. Guelf. *an expugnationem incohaturos.*

tormentisne. Ed. Spir. *tormenti ne.* — Mox post *vineis* MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. Bud. ed.

gredienda urbs foret? Mox conversus ad singulos, num secures dolabrasque et cetera expugnandis urbibus secum attulissent, rogitabat. et cum abnuerent, „gladiisne" inquit „et pilis perfringere ac subruere muros ullae ma„nus possunt? si aggerem struere, si pluteis cratibusve „protegi necesse fuerit, ut vulgus improvidum inriti sta„bimus, altitudinem turrium et aliena munimenta mi„rantes? quin potius mora noctis unius advectis tor„mentis machinisque vim victoriamque nobiscum feri„mus?" Simul lixas calonesque cum recentissimis equitum Bedriacum mittit copias ceteraque usui adlaturos.

XXI. Id vero aegre tolerante milite prope seditionem ventum, cum progressi equites sub ipsa moenia vagos e Cremonensibus corripiunt, quorum indicio noscitur, sex Vitellianas legiones omnemque exercitum, qui Hostiliae egerat, eo ipso die triginta millia passuum emensum comperta suorum clade in proelium accingi ac

Spir. addunt haec verba: *machinamenti genus ad expugnandos* (ed. Spir. MSS. Reg. Corb. *expugnandum*) *muros in modum turrium factum*, quae in Flor. ut glossema uncis circumscribuntur et Victorio negliguntur. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. ante *adgredienda* addunt etiam *his*, Bud. *ubi*, et ed. Spir. fert *aggredida* pro *adgredienda*.

num secures. MS. Guelf. *nō secures* h. e. *non s.*, sive velit *nom.* Particularum *non* et *num* frequens est in vett. libris confusio. cf. not. ad Hist. 1, 83.

dolabrasque. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Pich. Gruter. sqq. — *dolabras* (sine *que*) MS. Bud. edd. Rhen. Ald. Lips.

expugnandis. MS. Agr. *oppugnandis.* — Post *urbibus* MSS. Harl. a secunda manu et Guelf. frustra addunt *necessaria.*

inriti. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *irriti* MS. Guelf. et edd. vett.

tormentis machinisque. MS. Bud. omittit *machinis* adnectitque particulam *que* praecedenti vocabulo. MSS. Guelf. Ies. habent *machinis* sine *que*, quod in Harl. secunda manus addidit.

vim. Ed. Spir. *inde.*

ferimus. cf. not. ad An. 2, 77. sub vv. *an festinamus.*

Bedriacum. Libri variant, ut supra.

ceteraque usui. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *ceteraque quae usui forent* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. (hic cod. sine *que*) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

Cap. 21. *ventum, cum progressi.* Ed. Spir. *ventum. Tum progressi.*

e Cremonensibus. Sic MS. Reg. edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *ex Cremonensibus* MS. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Rhen. Ald. sqq.

Hostiliae. Ed. Spir. *hostiliter.* Eadem mox *cede* (h. e. *caede*) pro *clade.* Pergit deinde: *in proelium adcingi: aciem ad fore.*

iam adfore. Is terror obstructas mentes consiliis ducis aperuit. sistere tertiamdecumam legionem in ipso viae Postumiae aggere iubet, cui iuncta a laevo septuma Galbiana patenti campo stetit, dein septuma Claudiana agresti fossa (ita locus erat) praemunita, dextro octava per apertum limitem, mox tertia densis arbustis inter-

is terror. MS. Guelf. *ideo terror*. In marg. *is* a rec. manu.

tertiamdecumam. Sic (sive *t. decimam*) MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — *ternam decimam* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. — Rhenanus delevit *decimam*, quia infra post verba *limitem*, *mox* iterum tertiadecuma est in MSS. et vett. edd. et quidem diverso loco adsignata. Pichena, quem sequuntur Broterius, Ernest. sqq., hic reposuit *tertiam decimam*, infra delevit *decima*. Iac. Gronovius duas *tertias decimas* in illa acie adfuisse statuit. Adversum quem Ernestius animadvertit cognomine tum alteram ab altera scriptorem fuisse distincturum. Et *tertiam* inter alias ibi adfuisse satis patet ex hoc ipso capite et c. 24. Rhenanum tamen sequuntur Ryck., Lallemand., Stromb., Gutmann., Ricklefsius. Et Gutmannus quidem putat lucem huic loco adferri e cap. 24. Namque Antonius ibi adloquitur suos, et primum Pannonicas legiones h. e. tertiamdecumam et septumam Galbianam. cf. supr. 2, 86. Tum ad Moesicos convertitur h. e. legiones octavam et septumam Claudianam. cf. supr. 2, 85. Dein *tertianos* admonet et denique *praetorianos*. Iam vir ille doctus arbitratur Antonium a dextra acie orsum ad mediam transiisse: ad laevam aciem illum non pervenisse tempore ad dicendum deficiente sive incidente officio graviore. Inde colligit *tertiamdecumam* (quia Antonius Pannonicas legiones primum adlocutus est) ponendam esse in extrema acie dextra, tertiam in media. Sed gravissima sunt, quae huic opinioni obstent. Nam c. 24. Antonius diserte dicitur adlocutus *Pannonicas legiones* h. e. tertiamdecumam et septumam Galbianam. Sumendum igitur utramque iuxta stetisse. Iam vero quia septuma Galbiana stetit a laevo, Gutmanni coniectura stare nequit. Secundum receptam Pichenae scripturam tertiadecuma stetit in media acie, cui iuncta a laevo septuma Galbiana. Hae sunt duae Pannonicae. Moesici (h. e. septuma Claudiana) stabant iuxta septumam Galbianam. Altera Moesica h. e. octava locum tenebat a dextra. Puta igitur ducem, ut adsolet, orsum a media acie transiisse ad alterum latus, indeque revectum dextram quoque aciem perlustrasse.

cui iuncta. Ed. Spir. *tum iuncta*. Eadem mox *aggresti*.

praemunita. MS. Guelf. *pmunita* h. e. *permunita*. Ed. Spir. *praemunitus* (sc. locus).

per apertum limitem. Intellige viam campestrem a via Postumia per agros versam. *Apertum* limitem dicit, ut opponatur densis arbustis, quibus tertia intersepta stabat. Germanice: *einen offenen Feldweg entlang*. Ceterum ed. Spir. pro *limitem* vulgari confusione habet *militem*.

densis arbustis intersepta. Intellige tertiam non aperto agro, sed in loco densis arbustis consito collocatam, ut ita post arbusta starent milites vel per arbusta collocarentur. Igitur ut septuma Claudiana agri fossa praemunita, ita tertia densis arbustis intersepta, quibus defenderentur ab hostium telis. cf. c. 23. *dispersa primo et arbustis sine hostium noxa inlisa*.

septa. hic aquilarum signorumque ordo: milites mixti per tenebras, ut fors tulerat. praetorianum vexillum proximum tertianis, cohortes auxiliorum in cornibus, latera ac terga equite circumdata: Sido atque Italicus Suevi cum delectis popularium primori in acie versabantur.

XXII. At Vitellianus exercitus, cui acquiescere Cremonae et reciperatis cibo somnoque viribus confectum algore atque inedia hostem postera die profligare ac proruere ratio fuit, indigus rectoris, inops consilii tertia ferme noctis hora paratis iam dispositisque Flavianis impingitur. Ordinem agminis disiecti per iram ac tenebras adseverare non ausim, quanquam alii tradiderint quartam Macedonicam dextro suorum cornu, quin-

ut fors tulerat. MS. Agr. *ut quemque fors tulerat*, punctis vocabulo *quemque* suppositis.

praetorianum. Intellige praetorianos a Vitellio exauctoratos (cf. Sueton. Vitell. c. 10.) et a Vespasiano reciperandae militiae praemio invitatos (cf. supr. 2, 67. et 82.).

auxiliorum. In MS. Guelf. sec. manus in marg. emendat *auxiliariorum.* Mox ed. Spir. *suebi* pro *Suevi.*

Cap. 22. *acquiescere.* MS. Flor. (test. Vict.) *adquiescere.* Constantiae causa scribimus *acq.* cf. An. 14, 64.

reciperatis. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *recuperatis* MS. Guelf. edd. vett. Mox ed. Spir. *somno ciboque.*

ratio fuit. „Qui postera die profligare hostem et proruere deberet, si rationem, consilium sequi, prudenter agere vellet". Ernest. ad h. l. cf. Hist. 4, 56. *vicit ratio parcendi.*

inops consilii. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Corb. libri MSS. Lipsii et edd. Spir. Pich. Lips. (1607.) Gruter. sqq. — *vacuus consilii* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Pich. — *inops consilio* MS. Bud.

paratis iam dispositisque. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. ante Rhen. (cum silent. Vict.) — *paratis iamque dispositis* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. Lips. Grut. — Pichena veterem scripturam restituit.

dextro suorum cornu. Sic veteres libri omnes. Dubitant vero interpretes locum salvum esse. Et Faërnus coniiciebat *dextrum* pro *dextro* legendum, ut hoc etiam membrum pendeat e verbo *complesse.* Consentiunt Ernestius et Oberlinus. Illi *suorum* quoque contra consuetudinem hic videtur poni. Falluntur. Nam minime verisimile est unam legionem (quartam Macedonicam) dextrum cornu complesse, cum in altero cornu essent tres legiones. Intellige potius traditionem de dextro cornu mancam fuisse apud scriptores, a quibus haec Noster habet. Refert autem Tacitus quantum invenerat, nempe quartam Mac. in dextro cornu fuisse. De reliquis copiis dextro cornu locatis nihil repperit. Plenius dicit de media acie et de laevo cornu. *Suorum* additur, ut haec de Vitelliana acie strictius opponantur priori Flavianarum partium descriptioni. Nam *dextrum*

tam et quintamdecumam cum vexillis nonae secundaeque et vicesimae Britannicarum legionum mediam aciem, sextadecumanos duoetvicesimanosque et primanos laevum cornu complesse. Rapaces atque Italici omnibus se manipulis miscuerant. eques auxiliaque sibi ipsi locum legere. Proelium tota nocte varium, anceps, atrox, his rursum illis exitiabile. nihil animus aut manus, ne oculi quidem provisu iuvabant. eadem utraque acie arma: crebris interrogationibus notum pugnae signum: permixta vexilla, ut quisque globus capta ex hostibus huc vel illuc raptabat. Urgebatur maxime septuma legio nuper a Galba conscripta. occisi sex primorum ordinum centuriones, abrepta quaedam signa: ipsam aquilam Atilius Verus primipili centurio multa cum hostium strage et ad extremum moriens servaverat.

et *laevum* apud Vitellianos aliud fuit quam apud Flavianos. Quare iam quarta Mac. debebat dici dextro *suorum* cornu locata. Accuratum scriptorem cognosce.

quintamdecumam. Sic MS. Flor. teste Victorio. Vulgo *quintam decimam.* Idem cod. Flor. mox *vicensimae*, uti solet.

sextadecumanos. Ed. Spir. *sexta decimà.*

duoetvicesimanosque. Sic MSS. Flor. (sc. *vicens.* test. Vict.) Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. — *duodevicesimanosque* codd. MSS. Guelf. aliique, edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *duo vicesimanosque* MSS. Reg. Agr. ed. Spir. cf. not. ad 2, 100.

laevum cornu. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. sqq. Sed MS. Flor. (teste Victorio) et ed. Spir. ferunt *laevum cornum*, de qua forma cf. Ramshorn. Gram. p. 51. 5).

complesse. Ed. Spir. *complexae.*

manipulis. MS. Guelf. *maniplis.*

eques auxiliaque. Sic MSS. et vett. edd. Ex ed. Rhenan. altera in libros dein editos venerat *equites.* Ryckius veterem scripturam restituit.

rursum illis. Sic MS. Corb. edd. Spir. et Broterii. — *rursus illis* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. — *rursusque illis* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M et V. Ber. (cum silentio Vict.) Alc.

eadem utraque. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Reg. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gron. sqq. — Victorius intactam reliquit scripturam *eademque utraque*, quae exstat in edd. Put. sqq. — MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. *eademque acie* neglecto vocabulo *utra*, quod in Guelf. secunda manus addidit.

vel illuc. Ed. Spir. *atque illuc.* Mox MS. Flor. (test. Vict.) *urguebatur*, uti solet.

Atilius Verus. Ed. Spir. *Attilius veius.*

XXIII. Sustinuit labantem aciem Antonius accitis praetorianis. qui ubi excepere pugnam, pellunt hostem, dein pelluntur. namque Vitelliani tormenta in aggerem viae contulerant, ut tela vacuo atque aperto exciterentur, dispersa primo et arbustis sine hostium noxa inlisa. Magnitudine eximia quintaedecumae legionis ballista ingentibus saxis hostilem aciem proruebat, lateque cladem intulisset, ni duo milites praeclarum facinus ausi adreptis e strage scutis ignorati vincla, ac libramenta tormentorum abscidissent. statim confossi sunt eoque intercidere nomina: de facto haud ambigitur. Neutro inclinaverat fortuna, donec adulta nocte luna surgens ostenderet acies falleretque. sed Flavianis aequior a tergo: hinc maiores equorum virorumque umbrae et falso

Cap. 23. *labantem aciem.* Sic MSS. Reg. Corb. Bud. Agr. Guelf. (a secunda manu) edd. Spir. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Mycill. (1557.) et deinde Ryck. Ernest. Brot. sqq. — *labentem* MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. et dein edd. post Rhenani secundam usque ad Ryck. et post Ryck. ed. Iac. Gronov. Sed cf. An. 2, 26. Hist. 1, 26. 5, 18. Germ. c. 8.

ubi excepere. Ed. Spir. *ut excepere.* MS. Flor. (test. Vict.) *ubi excipere.*

dispersa. Ed. Spir. *disperso,* et ita MS. Flor. teste Victorio.

inlisa. Sic MS. Flor. (test. Vict.); *illisa* edd. Spir.. Put. sqq.; *illesa* MS. Guelf.

quintaedecumae. Ex emendatione Lipsii, quam in locum receperunt Pich. Bernegg. sqq. — MSS. et vett. edd. *quartae decimae.* At haec erat tunc in Britannia. cf. supr. 2, 66. et 86. *quintadecuma* in illo proelio mediam tenuit aciem. cf. c. 22.

ballista. Sic MS. Flor. (test. Vict.). Vulgo *balista.* cf. not. ad An. 12, 56.

intulisset. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *intulissent* (sc. milites) edd. Bipont. Oberlin. sqq., non video qua mutandi necessitate.

ni duo. Ed. Spir. *in duo.*

adreptis. MS. Bud. *ereptis.*

scutis. MS. Guelf. *secutis.*

ignorati. Ed. Spir. *ignoranti.*

vincla. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lipsii posteriores sqq. — *vincula* MS. Guelf. edd. vett. — Vocabulum *tormentorum* accipe de una *ballista*, neque cum Lipsio offendas in hoc loco, ut scribas *tormento tum* aut ante *ballistae* et *proruebant.*

confossi. Ed. Spir. *confessi.*

inclinaverat. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum al.) Bud. Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *inclinata* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. In marg. Bodl. additum est *inclinaverat.*

adulta nocte. cf. not. ad An. 2, 23. sub vv. *aestate iam adulta.*

aequior. Ed. Spir. *equor*, quod vitium originem traxit e compendio *eq̃or.*

ut in corpora ictu tela hostium citra cadebant: Vitelliani adverso lumine collucentes velut ex occulto iaculantibus incauti offerebantur.

XXIV. Igitur Antonius, ubi noscere suos noscique poterat, alios pudore et probris, multos laude et hortatu, omnes spe promissisque accendens, cur rursus sumpsissent arma, Pannonicas legiones interrogabat: illos esse campos, in quibus abolere labem prioris ignominiae, ubi reciperare gloriam possent. Tum ad Moesicos conversus principes auctoresque belli ciebat: frustra minis et verbis provocatos Vitellianos, si manus eorum oculosque non tolerent. Haec, ut quosque accesserat: plura ad tertianos veterum recentiumque admonens, ut sub M. Antonio Parthos, sub Corbulone Armenios, nuper Sarmatas pepulissent. mox infensus

ut in corpora. Sic MS. Corb. ed. Spir. idemque Lipsius vidit in libris restituitque. Nam MSS. Guelf. Harl. les. Bud. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. sqq. ad Lipsium habent *ut in corpore.* In Harl. altera manus emendavit *corpora.*

ictu. Acidalius coniiciebat *iactu*, quod placet Ernestio, qui addit, *iactum* dici de telis, quoad mittantur, ut hic: *ictum*, cum attingant corpus. Liv. 30. 10. Contra Broterius adfert Lucan. 3, 469. *At saxum quotiens ingenti ponderis ictu excutitur* etc. Et haud dubie id potissimum hic agitur, quod tela falso ictu ceciderint, satisque intelligitur falso iactu a Vitellianis exiisse, quae falso ictu caderent.

incauti. Hoc vocabulum abest ab ed. Spir., male adsentiente Grutero.

offerebantur. Ed. Beroald. vitiose *efferebantur.*

Cap. 24. *cur rursus sumpsissent.* MSS. et vett. edd. *cur rari sumpsissent.* MS. Agr. *cur nam sumpsissent*, eademque Broterius in Corb. vidit. Lipsius emendabat: *cur resumpsissent.* Ferrettus: *cur rursus sumpsissent*, quod praeeunte Bekkero edimus. An vera sit vulneri medela, vix discerni poterit. Bipontinis et Oberlino magis placuit edere: *cur rursum sumpsissent*, cui scripturae mala inest κακοφωνία.

reciperare. Sic MS. Flor. (test. Vict.). *recuperare* MS. Guelf. et vett. editiones.

principes auctoresque. Ed. Spir. *princeps actoresque.* Eadem mox *inisset verbis* pro *minis et verbis.*

non tolerent. Sic vett. libri omnes, nisi quod ed. Spir. habet *non tollerent.* Ernestius solito errore suo mutavit in *tolerarent*, quasi Antonius loqueretur rem e cogitatione tantum pendentem. At increpat potius id, quod iam effectum habet. cf. not. ad An. 1, 19. sub v. *meditentur.* Similis prorsus locus est An. 1. 17. *satis peccatum, quod tolerent.* Veterem formam etiam Bekkerus reduxit.

M. Antonio. MS. Guelf. negligit praenomen *M.*

nuper. Ed. Spir. *super.*

mox infensus praetorianis. Sic libri vett. omnes. I. Fr. Gronovius malebat *infensius* h. e. verbis asperioribus. „Non enim" ait „his magis quam aliis infestus erat, sed

praetorianis: „Vos" inquit „nisi vincitis, pagani, quis „alius imperator, quae castra alia excipient? Illic signa „armaque vestra sunt et mors victis: nam ignominiam „consumpsistis." Undique clamor: et orientem solem (ita in Syria mos est) tertiani salutavere.

XXV. Vagus inde an consilio ducis subditus rumor advenisse Mucianum, exercitus invicem salutasse. gradum inferunt quasi recentibus auxiliis aucti, rariore iam Vitellianorum acie, ut quos nullo rectore suus quemque impetus vel pavor contraheret diduceretve. Postquam impulsos sensit Antonius, denso agmine obturbabat. laxati ordines abrumpuntur: nec restitui quivere impedientibus vehiculis tormentisque. per limitem viae sparguntur festinatione consectandi victores. Eo notabilior caedes fuit, quia filius patrem interfecit. rem nominaque auctore Vipstano Messalla tradam. Iulius

hos compellabat inclementius." Subscribunt Ernestius et Lallemandus. Oberlinus et Bipont. Gronovii emendationem in locum recepere retinuitque Bekkerus. Sed *infendi alicui* est vehementius ei occurrere vel ferri in aliquem, eoque significatu Antonius hic dicitur *infensus praetorianis*, ut intelligas non de odio, sed de modo accessus et adlocutionis.

quis alius. MS. Guelf. *qui salius.*

tertiani. Ed. Spir. *tertiam.* MS. Guelf. *terciū.* Hinc vitium ed. Spir.

Cap. 25. *an consilio.* Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Corb. Harl. (a secunda manu) edd. Spir. Pich. Gruter. sqq. — *consilio* sine *an* MSS. Guelf. Bud. Harl. (a prima manu) edd. Put. sqq. ad Pich. — *a consilio* MS. Reg.

Mucianum, exercitus. MS. Corb. ed. Spir. *mutianum exercitum.*

diduceretve. Ex egregia emendatione Lipsii, quam ipse in locum recepit. MSS. et vett. edd. *duceretve.* Bipontini maluerunt *deduceretve.*

impulsos. MSS. et vett. edd. *pulsos.* Sed quia nondum erant pulsi illi, ex Acidalii coniectura Ernestius et Broterius recepere *perculsos.* Lenius et rectius Bipont. et Oberlinus *impulsos.*

obturbabat. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) Reg. Corb. Bud. Agr. edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. — *obturbat* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Iac. Gron.

per limitem viae. cf. c. 21. Mox MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *festinatione consectandi.* Vulgo *consectandi festinatione*, uti est in MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *Victores* intellige Flavianos, nec cum Babrdtio eam partem Vitellianorum, qui c. 22. septumanos clade adfecerant.

Vipstano Messalla. Sic edd. Ryck. Iac. Gron. sqq. — *vipsana Messalo* ed. Spir. — *Vipsano Messalla* MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. — *Vipsanio Messalla* edd. Lips. sqq. ad Ryck.

Mansuetus ex Hispania, Rapaci legioni additus, impubem filium domi liquerat. is mox adultus inter septumanos a Galba conscriptus oblatum forte patrem et vulnere stratum, dum semianimem scrutatur, agnitus agnoscensque et exsanguem amplexus voce flebili precabatur placatos patris manes neve se ut parricidam aversarentur: publicum id facinus, et unum militem quotam civilium armorum partem? simul attollere corpus, aperire humum, supremo erga parentem officio fungi. Advertere proximi, deinde plures: hinc per omnem aciem miraculum et questus et saevissimi belli exsecratio. nec eo segnius propinquos, adfinis, fratres trucidatos spo-

impubem filium. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. Bud. edd. Iac. Gron. sqq. — *impuberem* MSS. Reg. Agr. edd. Spir. Put. sqq. ad Iac. Gron. cf. Hist. 4, 14. Sueton. Claud. c. 43. Drakenborch. ad Liv. 2, 13. — Mox ed. Spir. *fore* pro *forte.*

exsanguem. Sic edd. Ryck. et Bekk. — Vulgo *exanguem.* cf. not. ad German. c. 31.

precabatur placatos patris manes. MS. Flor. (test. Pich.) *precabatur platos p. m.*, supra additis litteris *ca*, ut fieret *placatos.* Pichena non prodidit, utrum litterae *ca* sint a recentiore an a prima manu. Victorius intactum reliquit *placatos*, quod est in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. usque ad Lipsium, qui scripsit *piatos* auctoribus libris, ut ipse profitetur, exstatque id vocabulum in altero cod. Flor., quem Pichena inspexit, Corb. Agr., ita tamen ut legant *ne piatos.* Ed. Spir. *piatos* non addito *ne.* Sed Ernestius reposito verbo *placatos* recte animadvertit contra latinitatem esse, ut dicamus *precari manes piatos.* Nam manes non precando piantur, sed sacrificiis, piaculis. Oberlinus tamen cum Bip. revocavit *piatos*, amplectiturque Ryckii explicationem, qui scribit *piatos* hic esse impiatos, contaminatos, ut docet Nonius 4, 363. e male intellecto loco Virgil. Aen. 6, 569. *distulit in seram commissa piacula mortem.* Nihili autem esse illud commentum satis Bipontini fatentur eo quod malint *impiatos* et *deprecabatur.* Quare nihil cunctatus redeo ad veterem scripturam. *Precabatur placatos* sc. esse, h. e. precabatur, ut placati essent. cf. not. ad An. 1, 35. sub verbis: *mederetur ... orabant.* Ita *ve* quoque in *neve* bene se habet, quod stare nequit, si locum e Ryckii interpretatione accipis. Egit etiam de hoc loco Herbst in *Animadverss.* p. 30. sq., qui consentit reponendum esse *placatos* aut legendum *piandos* vel *impiatos.*

aversarentur. Sic MS. Flor. (test. Pich.) edd. Pich. Bernegg. sqq. — *adversarentur* ceteri codices MSS. et edd. vett. cf. not. ad An. 1, 28. et Hist. 1, 1.

adfinis. Sic (sive *affinis*) MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud., unde restituo. — *affines* editi libri omnes.

trucidatos. MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) *trucidati*, unde Iac. Gron. coniecit *trucidant.* Ceteri libri in vulgato consentiunt.

liant: factum esse scelus loquuntur faciuntque. Ut Cremonam venere, novum immensumque opus occurrit.

XXVI. Othoniano bello Germanicus miles moenibus Cremonensium castra sua, castris vallum circumiecerat, eaque munimenta rursus auxerat. quorum aspectu haesere victores, incertis ducibus quid iuberent. incipere oppugnationem fesso per diem noctemque exercitu arduum et nullo iuxta subsidio anceps. sin Bedriacum redirent, intolerandus tam longi itineris labor et victoria ad inritum revolvebatur. munire castra, id quoque propinquis hostibus formidolosum, ne dispersos et opus molientes subita eruptione turbarent. quae super cuncta terrebat ipsorum miles periculi quam morae patientior. quippe ingrata quae tuta, ex temeritate spes: omnisque caedes et vulnera et sanguis aviditate praedae pensabantur.

immensumque. Ed. Spir. *et immensum*.

Cap. 26. *incipere*. Ed. Spir. *incepere*.

fesso . . . exercitu. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. edd. Put. Ber. sqq. — At MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryck.) Reg. ed. Spir. *fessos . . . exercitum*. MS. Agr. *fessos . . . exercitus*. Quare Bipont.: *incipere oppugnationem fessos* (*per diem noctemque exercitum*) *arduum*. Frustra. Ut scriptura Flor. constet, intellige potius *exercitum diem noctemque*, ut An. 1, 17. *exercitas aestates*, et c. 35. *exercitae militiae*. Ita *fessi* dicuntur *per diem noctemque exercitum*, nisi forte praestat *exercitam*, quanquam Hist. 1, 11. leguntur *Africa ac legiones in ea contenta*. Vid. ib. not. MS. Bud. *fessos . . . exercitu*, ubi *exercitu* ponitur pro exercitio, exercitatione, labore, quo significatu id vocabulum est apud Plautum aliosque. MSS. Corb. *fessum . . . exercitum*, Ies. *fesso . . . exercitum*.

iuxta. Ed. Spir. *iusta*, ut saepe libri veteres pro *iuxta*.

Bedriacum. Libri variant, ut supra.

intolerandus. Ed Spir. *intolerabundus*.

munire castra. Int. si iuberent, quod repetendum est e superiore loco: *incertis ducibus*, *quid iuberent*. Quare interrogandi signum, quod Ernestius post *castra* addiderat, bene delevit Bekkerus, ut alienum ab hoc loco atque inutile.

id quoque propinquis. MS. Guelf. *id propinquis quoque*.

eruptione. MS. Guelf. *irruptione*. Bud. *ruptione*. Ed. Spir. *subite eruption*.

quae super cuncta. MS. Agr. *super quae cuncta*. Sed. cf. An. 6, 35. *quos super*. Idem cod. Agr. pro *ipsorum* fert *ipse*.

ex temeritate. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. et ita secunda manus emendavit in MSS. Harl. et Bodl. — At MSS. Harl. et Bodl. a prima manu et Bud. Guelf. Ies. edd. Put. Ber. sqq. *et temeritate*, vulgari confusione. cf. not. ad Hist. 1, 18. *et rumoribus*. Lipsius e libris *ex* addiderat, ut le-

XXVII. Huc inclinavit Antonius cingique vallum corona iussit. primo sagittis saxisque eminus certabant maiore Flavianorum pernicie, in quos tela desuper librabantur. mox vallum portasque legionibus attribuit, ut discretus labor fortes ignavosque distingueret atque ipsa contentione decoris accenderentur. proxima Bedriacensi viae tertiani septumanique sumpsere, dexteriora valli octava ac septuma Claudiana: tertiadecumanos ad Brixianam portam impetus tulit. paulum inde morae, dum e proximis agris ligones, dolabras et alii falces scalasque convectant. tum elatis super capita scutis densa testudine succedunt. Romanae utrimque artes: pondera saxorum Vitelliani provolvunt, disiectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur, donec soluta compage scutorum exsangues aut laceros prosternerent multa cum strage.

XXVIII. Incesserat cunctatio, ni duces fesso militi et velut inritas exhortationes abnuenti Cremonam monstrassent. Hormine id ingenium, ut Messalla tradit, an

geretur *et ex temeritate.* Paulo ante ed. Spir. *tutaq;* pro *quae tuta.*

Cap. 27. *librabantur.* Ed. Spir. *librantur.* Eadem mox *discretos* pro *discretus.* In voce *Bedriacensi* libri variant, ut semper. In *tertiadecumanos* hic et MS. Guelf. et edd. Spir. Put. M. consentiunt.

e proximis. Ed. Spir. *et proximis.*

ligones. Sic edd. Rhenan. Ald. sqq. — *legiones* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc.

et alii falces scalasque c. MS. Agr. *et falces, alii contos scalasque convectant.* Sed secunda manus ibi *contos* delevit. De omisso altero *alii* cf. not. ad An. 1, 68.

provolvunt. MS. Bud. (test. Rhen.) *praevolvunt.*

fluitantemque. Ed. Spir. *fluitancēq;.*

prosternerent multa cum strage. Incesserat etc. Hanc loci distinctionem Pichena instituit duce cod. Flor. — MS. Guelf. et edd. ante Pich. interpungunt: *prosternerent. Multa cum strage incesserat* etc.

Cap. 28. *Incesserat.* Eodem modo dicitur, quo *impleverat* An. 4, 9. Vid. ib. not.

Hormine id ingenium. Sic libri veteres. Recte. *Ingenium* dicitur pro eo quod ex ingenio oritur. Plinii tamen locus, Paneg. c. 49. *exquisita ingenia coenarum,* non magis huc facit quam Tacit. An. 15, 20. *noctium ingenia.* Malim provocare ad Hist. 2, 71. *cetero Neronianae aulae ingenio.* Bipontini frustra emendaverunt: *Hormine ad ingenium,* quod male recepere Oberlin. sqq. — Bekkerus veterem scripturam restituit.

ut Messalla tradit. Ed. Spir. *ut Messalà traditum.* Emendatius MSS. Reg. et Agr. *ut Messalae traditum.* Ceteri libri vulgata tuentur. — Mox MS. Flor. (t. Vict.) *Plunius* pro *Plinius.* Ed. Spir.

potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim, nisi quod neque Antonius neque Hormus a fama vitaque sua quamvis pessimo flagitio degeneravere. Non iam sanguis neque vulnera morabantur, quin subruerent vallum quaterentque portas, innixi humeris et super iteratam testudinem scandentes prensarent hostium tela brachiaque. integri cum sauciis, semineces cum exspirantibus volvuntur varia pereuntium forma et omni imagine mortium.

XXIX. Acerrimum septumae tertiaeque legionum certamen: et dux Antonius cum delectis auxiliaribus eodem incubuerat. obstinatos inter se cum sustinere Vitelliani nequirent et superiacta tela testudine laberentur, ipsam postremo ballistam in subeuntes propulere, quae ut ad praesens disiecit obruitque, quos inciderat, ita pinnas ac summa valli ruina sua traxit. simul iuncta turris ictibus saxorum cessit. qua septumani dum nitun-

hormius pro *Hormus*. Eadem ed. Spir. dein omittit *sua*.

nisi quod. cf. not. ad An. 6, 24.

neque vulnera. MS. Guelf. *non vulnera*. MS. Flor. teste Victorio *volnera*, uti solet.

prensarent. Sic MSS. Guelf. Bud. Corb. edd. Spir. Ernest. sqq. — *prehensarent* MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. cf. not. ad An. 2, 31. et alibi.

semineces. MSS. Reg. Agr. ed. Spir. *semianimes* ex interpretamento.

Cap. 29. *septumae tertiaeque*. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. — *tertiae septimaeque* MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. Agr. ed. Broterii. — *tertie decime septimeque* MS. Bud.

sustinere. MS. Guelf. ed. Spir. *substinere*.

superiacta. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryck.) Bud. edd. Oberlin. sqq. cf. infr. 5, 6. — *superiactata* MSS. Reg. Corb. Agr. ed. Spir. cf. Valer. Max. 9, 2, 4. — *superieeta* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Ber. sqq. ad Oberlinum.

ballistam. Pro hac voce in MS. Agr. est *molem valli*, non e glossemate, ut videtur Ryckio, sed ad emendandam scripturam corruptam, quae exstat in ed. Spir. *vallatā*.

disiecit obruitque. MS. Corb. ed. Spir. *disiecta breviterque*, corrupte. Ernestius inde coniecit: *disiecit obtrivitque*, quia *obruit* de ballistā non satis commodum videbatur, sed de maioribus molibus, velut An. 4, 62. de amphitheatro. At infr. 4, 23. simili occasione milites *sudibus et pilis obruuntur*. Hist. 3, 71. *in tectum egressi saxis tegulisque Vitellianos obruebant*. Cur non hic *ballista?* *Obrui* dicimur iis rebus, quae desuper in nos iaciuntur.

quos inciderat. H. e. in quos ceciderat. cf. not. ad An. 2, 20. sub vv. *murum succederent*. — Mox vocabulum *summa* in cod. Guelf. secunda manus addidit. Ed. Spir. *ruina sui* pro *ruina sua*.

tur cuneis, tertianus securibus gladiisque portam perfregit. Primum inrupisse C. Volusium tertiae legionis militem inter omnes auctores constat. is in vallum egressus, deturbatis qui restiterant, conspicuus manu ac voce capta castra conclamavit. ceteri trepidis iam Vitellianis seque e vallo praecipitantibus perrupere. completur caede quantum inter castra murosque vacui fuit.

XXX. Ac rursus nova laborum facies: ardua urbis moenia, saxeae turres, ferrati portarum obices, vibrans tela miles, frequens obstrictusque Vitellianis partibus Cremonensis populus, magna pars Italiae stato in eosdem dies mercatu congregata: quod defensoribus auxilium ob multitudinem, oppugnantibus incitamentum ob praedam erat. Rapi ignes Antonius inferrique amoenissimis extra urbem aedificiis iubet, si damno rerum suarum Cremonenses ad mutandam fidem traherentur. propinqua muris tecta et altitudinem moenium egressa fortissimo quoque militum complet: illi trabibus tegulisque et facibus propugnatores deturbant.

gladiisque. Amicus Ryckii coniiciebat *dolabrisque*, quia gladii minus apti ad portas perfringendas. Sed Ryckius recte animadvertit castrorum portas intelligi, quae forsitan gladios non spreverint. Mox ed. Spir. *Velusium*.

qui restiterant. Sic MSS. Harl. Bodl. Corb. et edd. ante Rhenan. et deinde edd. Pich. Bernegg. sqq. — MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) *resisterant*.. Inde ortum est *resisterent*, quod ferunt MSS. Guelf. Ies. Bud. edd. Rhen. Ald. Lips. Grut.

vacui fuit. Ed. Spir. *vacuum fuit*.

Cap. 30. *Ac rursus.* Sic MSS. et vett. edd., nisi quod e MS. Corb. Broterius protulit *at rursus*, quod ediderunt Ernest. Brot. sqq. Sed vis adversativa inest etiam particulae *ac*, quae simul coniungit haec et praecedentia. Necessitatem saltem mutandi non video. cf. An. 11, 29. *ac primo Callistus* etc.; An. 14, 64. *ac puella* etc. Germ. c. 35. *ac primo* etc.

obices. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Pich. Grut. sqq. — *obiices* MS. Guelf. edd. Put. M. Alc. Rhen. Ald. Lips. — *obiicies* edd. Put. V. Beroald.

mercatu. Ed. Spir. *mercatus*. Mox de usu particulae *si* cf. not. ad An. 1, 48.

ad mutandam fidem. Ed. Spir. *ad nutandum*, omissa altera voce. Eadem mox *milite* pro *militum*.

illi trabibus. Ernestius pro *illi* vult *illinc* vel *hinc*. Sed si *illi*, quibus compleverat propinqua muris tecta, deturbarunt, tum per se intelligitur *illinc* eos deturbasse. Pro *trabibus* Heinsius malebat *lateribus*, Ernestius *lapidibus*, quia trabes quomodo tam longe a militibus iactatae sint non videbant. Sed intellige trabes ipsis tectis avulsas et in propinquos inferioresque muros deiectas.

facibus. Ed. Spir. *faucibus*.

XXXI. Iam legiones in testudinem glomerabantur et alii tela saxaque incutiebant, cum languescere paulatim Vitellianorum animi. ut quis ordine anteibat, cedere fortunae, ne Cremona quoque excisa nulla ultra venia omnisque ira victoris non in vulgus inops, sed in tribunos centurionesque, ubi pretium caedis erat, reverteretur. gregarius miles futuri socors et ignobilitate tutior perstabat. vagi per vias, in domibus abditi pacem ne tum quidem orabant, cum bellum posuissent. primores castrorum nomen atque imagines Vitellii amoliuntur. catenas Caecinae (nam etiam tum vinctus erat) exsolvunt orantque, ut causae suae deprecator adsistat. aspernantem tumentemque lacrimis fatigant, extremum malorum, tot fortissimi viri proditoris opem invocantes. mox velamenta et infulas pro muris ostentant. cum Antonius inhiberi tela iussisset, signa aquilasque extu-

CAP. 31. *glomerabantur.* Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Guelf. Harl Bodl. Bud. edd. Pich. Grut. sqq. — *glomerantur* MS. Reg. edd. Spir. Put. sqq. ad Pich.

tela saxaque. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *saxa telaque* MSS. Guelf. Ies. Harl. Corb. ed. Spir. Parum refert.

languescere. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) edd. Pich. Bernegg. sqq. — *languescerent* MSS. Reg. Corb. ed. Spir., ex emendandi studio. Male. Non enim inest ratio praecedentium, sed consecutio. — *languere* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. ad Pichenam.

ut quis. Sic MSS. Flor. (test. Ryck. et Iac. Gron.) Bud. (test. Oberl.) Corb. edd. Spir. Iac. Gronov. Bip. Oberl. sqq. Victorius intactam reliquit scripturam *et ut quisque*, quae exstat in MSS. Guelf. Bodl. Harl. edd. Put. Beroald. sqq. ad Ryckium, qui expunxit *et*, ut legeretur *ut quisque* e MSS. Agr. et Ies. Ryckium imitatus est Ernestius. Ceterum Ernestius ad h. l. falsus est de cod. Agr., Broterius de ed. Spir. — Mox Ryckius e MS. Flor. adfert *anteibant* pro *anteibat.* Victorius, Pichena et Iac. Gronovius de hoc verbo tacent.

cedere. Sic edd. Spir. Alc. Rhen. sqq. — MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) *caedere*, vulgari confusione.

ne Cremona. MS. Guelf. *nec Cremonia*, cuius vitii originem facile intelligis.

reverteretur. Muretus, Ursinus, Acidalius volebant *verteretur.* Sed *reverteretur* indicat diversum vertendi modum, h. e. non in vulgus, sed in primores, igitur a vulgo rursus in primores. Ed. Spir. *reuertebatur.* Eadem *erat* ponit ante *caedis.*

perstabat. MS. Guelf. *prestabat.*

posuissent. Ed. Spir. *potuissent.* Eadem mox *amolliuntur.*

etiam tum. Ed. Spir. *etiam tunc.*

tot fortissimi. Sic MS. Vat. (test. Lips.) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. et deinde Lips. (1607.) Pich. Grut. sqq. — *ac fortissimi* MS. Guelf. edd. Rhen. (fortasse e codi Bud.)

lere: maestum inermium agmen deiectis in terram oculis sequebatur. circumstiterant victores et primo ingerebant probra, intentabant ictus: mox ut praeberi ora contumeliis et posita omni ferocia cuncta victi patiebantur, subit recordatio illos esse, qui nuper Bedriaci victoriae temperassent. Sed ubi Caecina praetexta lictoribusque insignis dimota turba consul incessit, exarsere victores: superbiam saevitiamque (adeo invisa scelera sunt) etiam perfidiam obiectabant. obstitit Antonius datisque defensoribus ad Vespasianum dimisit.

XXXII. Plebs interim Cremonensium inter armatos conflictabatur: nec procul caede aberant, cum precibus ducum mitigatus est miles. et vocatos ad concionem Antonius adloquitur, magnifice victores, victos clementer: de Cremona in neutrum. Exercitus praeter insitam praedandi cupidinem vetere odio ad excidium

Ald. Lipsii priores. Rhenano fraudi fuit mala vett. librorum in hoc loco distinguendo ratio. Nam edd. Put. Ber. Alc. coniungunt: *fatigant extremum malorum. Tot* etc.

deiectis in terram oculis. Ed. Spir. *oculis deiectis in terram.*

circumstiterant. Sic edd. Put. M. et V. Ber. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *circumstete-rant* MSS. Guelf. (a secunda manu) Harl. (a secunda manu) Reg. Corb. ed. Spir.

intentabant. Ed. Spir. *intendebant.*

ut praeberi etc. Unde pendeat *praeberi* docet Ernestius, dum intelligit: „ut praeberi ora contumeliis et cuncta victos pati videbant:" anacoluthon, cuius simile exemplum adfert ex An. 12, 51. *ubi quati uterus et viscera vibrantur.* Possunt tamen verba *praeberi* et *quati* accipi pro infinitivis historicis, a quibus Noster subito transire ad tempus finitum solet.

ferocia. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. Bodl. (in marg.) Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *fiducia* MSS. Guelf. Harl. Bodl. (a prima manu) les. edd. Put. M. et V. Ber. Alc.

subit recordatio. Sic MSS. Corb. Harl. (a secunda manu) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — Pro *recordatio* ferunt *ratio* MSS. Guelf. Harl. (a prima manu) Bodl. les. Bud. Quare Rhenanus volebat *miseratio.* Bipontini *ratio* verum esse putant. Broterius e quibusdam codd. adfert *fuit* pro *subit*, mendo typogr., ut videtur. Nam in MSS. Bud. et Guelf. est *subit.*

Bedriaci. Libri variant, ut supra.

incessit. MS. Guelf. *incessisset.* Mox idem cod. *obiectant* pro *obiectabant.*

Cap. 32. *Plebs.* Sic MSS. Flor. (test. Ryck.) Agr. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — Pichena induxerat *plebes*, quod alibi apud Nostrum saepius legitur. Ryckius restituit *plebs.*

Cremonensium incubuit. iuvisse partes Vitellianas Othonis quoque bello credebantur: mox tertiadecumanos ad exstruendum amphitheatrum relictos, ut sunt procacia urbanae plebis ingenia, petulantibus iurgiis inluserant. auxit invidiam editum illic a Caecina gladiatorum spectaculum, eademque rursus belli sedes, et praebiti in acie Vitellianis cibi, caesae quaedam feminae studio partium ad proelium progressae. tempus quoque mercatus ditem alioqui coloniam maiorum opum specie complebat. Ceteri duces in obscuro: Antonium fortuna famaque omnium oculis exposuerat. is balineas abluendo cruori propere petit. excepta vox est, cum teporem incusaret, statim futurum ut incalescerent.

partes Vitellianas. MS. Guelf. *partis Vitellianas.*

ingenia. Ed. Spir. *iudicia vel ingenia* (alterum e glossemate). — Eadem *uirgiis* pro *iurgiis.*

a Caecina. Praepositio *a* in cod. Bud. non legitur, delebatque eam Rhenanus in Castigatt. Sed operae non paruerunt: nam *a* exstat in edd. omnibus. Quare falsus est Ernestius et qui alii tradunt praepositionem in ed. Rhen. omissam esse.

eademque. Copula *que* in altera ed. Rhen. interciderat, idque vitium Lipsius propagavit in edd. prioribus. Pichena restituit *que* e cod. Flor., cum quo consentiunt vett. libri omnes. Etiam ed. Micylli (1557.) retinet *que.*

ad proelium. MS. Bud. *ad bellum.* cf. not. ad c. 19.

ditem alioqui. Sic edd. Oberl. sqq. e MS. Bud. — Vett. edd. cum sil. Vict. *alioquin*, et MS. Guelf. alio ordine *alioqui ditem.*

maiorum opum specie. Sic MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. — *maiore opum specie* MSS. Guelf. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et nuper Broterii. — *maiorem opum speciem* MSS. Corb. Harl. ed. Spir.

balineas. MS. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Lips. et deinde Ernestii sqq. *balneas.* — *balineas* MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) edd. Pich. Gruter. sqq. ad Ernestium. cf. not. ad 2, 16. 3, 11. An. 15, 52. — MSS. Reg. Corb. Bud. ed. Spir. *balnea.* — Pro *is* ed. Spir. habet *his.*

abluendo cruori. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Bud. et MSS. Broterii, edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Rhen. Ald. sqq. — *abluendo cruore* edd. Spir. Put. M. et V. Alc. Utraque forma loco apta est. *Abluendo cruore* significat: quum abluendus esset cruor (*Nothwendigkeit*). Contra *abluendo cruori* est, ut ablueret cruorem (*Absicht*). cf. not. ad An. 3, 19. et 14, 4.

incalescerent. Sic edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *inardescerent* MSS. Guelf. Harl. Ies. — Ceterum interpretes in diversas hic abeunt partes. Strombeckius cum Ferleto et Italicis interpretibus verba: *statim futurum, ut incalescerent* tribuit servo ad Antonii incusationem respondenti, ut *vernile dictum* sit *diese Antwort des Sclaven* (Burnouf: *cette excuse d'un esclave*). Gutmannus et Ricklefsius ad Ernestii interpretationem redeunt,

vernile dictum omnem invidiam in eum vertit, tanquam signum incendendae Cremonae dedisset, quae iam flagrabat.

XXXIII. Quadraginta armatorum millia inrupere, calonum lixarumque amplior numerus et in libidinem ac saevitiam corruptior. non dignitas, non aetas protegebat, quo minus stupra caedibus, caedes stupris miscerentur. grandaevos senes, exacta aetate feminas viles ad praedam in ludibrium trahebant. ubi adulta virgo aut quis forma conspicuus incidisset, vi manibusque rapientium divulsus ipsos postremo direptores in mutuam perniciem agebat. dum pecuniam vel gravia auro templorum dona sibi quisque trahunt, maiore aliorum vi truncabantur. quidam obvia aspernati verberibus tormentisque dominorum abdita scrutari, defossa eruere. faces in manibus, quas, ubi praedam egesserant, in vacuas domos et inania templa per lasci-

qua verba illa ab ore Antonii profecta et minaciter dicta accipiunt. Recte. „Nam a servo dicta" inquit Gutmannus „non potuerunt invidiam in Antonium vertere. Est haud dubia vox Antonii. Id tantum quaerebatur, utrum Cremona iam flagrante an ante incendium dixisset h. e. an hisce verbis signum incendendae Cremonae dedisset. Quare Tacitus excusat illum addito urbem tum iam flagrasse." At quae adfert de excusatione nihili sunt. Immo verba: *quae iam flagrabat (welches jetzt in Flammen aufging)* indicant ipsam rationem, cur Antonium suspicarentur signum incendii dedisse.

in eum vertit. MS. Corb. *in eum convertit.*

quae iam flagrabat. Ed. Spir. *quae omnia flagrabat.* Nimirum compendia *ı͞a* (h. e. *iam*) et *o͞ia* (h. e. *omnia*) facile permutantur.

Cap. 33. *ac saevitiam.* MS. Corb. *atque saevitiam.*

in ludibrium. Ed. Spir. *in ludribrium.* Ceterum primus huius loci partes Rhenanus recte distinxit. Priores editores coniungebant: *Grandaevos senes exacta aetate: feminas viles ad praedam* etc.

incidisset. Hoc in MS. Agr. non apparet.

vi manibusque. MS. Guelf. *ı͞ manibusque* (h. e. *in manibusque*).

truncabantur. H. e. in universum mutilabantur. Ernestius cum Heinsio malebat *obtruncabantur*, ut infr. 4, 50., vel *trucidabantur.* Sed hoc videtur nimium esse. Verba *maiore aliorum vi* accipe absolute posita, ut sententia sit: quando maior aliorum vis ingrueret.

quidam obvia aspernati. MS. Guelf. *quidam ob iram aspernatis* etc. Ed. Spir. *quidam obviam aspernati.*

dominorum. cf. supr. 2, 56. *dites dominos.*

eruere. MS. Guelf. *eruore.*

viam iaculabantur: utque exercitu vario linguis, moribus, cui cives, socii, externi interessent, diversae cupidines et aliud cuique fas nec quidquam inlicitum. Per quatriduum Cremona suffecit. cum omnia sacra profanaque in igne considerent, solum Mephitis templum stetit ante moenia loco seu numine defensum.

XXXIV. Hic exitus Cremonae anno ducentesimo octogesimo sexto a primordio sui. condita erat Ti. Sempronio et Cornelio consulibus, ingruente in Italiam Hannibale, propugnaculum adversus Gallos trans Padum agentes et si qua alia vis per Alpes rueret. igitur numero colonorum, opportunitate fluminum, ubere agri, adnexu connubiisque gentium adolevit floruitque,

utque exercitu. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Agr. Reg. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq., nisi quod MS. Agr. et ed. Spir. pro *utque* ferunt *ut qui*, et fortasse ita et MSS. Reg. et Corb., quia fere semper cum ed. Spir. consentiunt. Victorius intactam reliquit scripturam *utique exercitui*, quae exstat in MSS. Guelf. (ibi est *utque*) Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Sed ablativi sunt absoluti. Sententia: utque evenit, ubi exercitus est varius etc.

interessent. Ernestius malebat: *inessent.* At cur non *interessent?*

inlicitum. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *illicitum* edd. vett. cum MS. Guelf.

quatriduum. MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. *quadriduum.* — Mox MS. Guelf. *Cremonā.*

in igne. Sic vett. libri omnes. Heinsius malebat *in ignem* ob locum Virgil. Aen. 2, 624. *tum vero omne mihi visum considere in ignis Ilium.* Sed utrumque genus dicendi bonum est ratione paulum diversa.

Mephitis. Ed. Spir. *meficis.*

Cap. 34. *Hic exitus Cremonae.* Sic MSS. Reg. Corb. Agr. (a sec. manu) edd. Spir. Ernest. Lallemand. Brot. sqq. — *hic exitus Cremonam habuit* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. sqq. ad Ernestium. — *hic exitus Cremonam* (sine verbo *habuit*) MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Bud., quae scriptura placebat Iac. Gronovio, ut intelligeres *mansit.* Rectius fortasse censebimus *Cremonam* exortum esse e *Cremonae an.*

a primordio sui. MS. Corb. *suo.* Sed vulgatum est Taciti.

et Cornelio. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Guelf. aliique codd. MSS. et edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.). Alc. Iac. Gronov. sqq. — *et P. Cornelio* edd. Rhenan. Ald. sqq. ad Iac. Gronovium.

rueret. Sic MSS. Flor. (test. Victorio cum Pichena) Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *irrueret* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — Lipsius volebat *ingrueret.*

adnexu connubiisque gentium. MS. Agr. *connexu.* Rhenanus conijciebat *adhaesu.* Bipontini *agri annexi.* Verum *adnectere* frequens est de tali coniunctione. cf. supr. 1, 4. *magnis domibus adnexa.* An. 5, 1. *sanguini Augusti*

bellis externis intacta, civilibus infelix. Antonius pudore flagitii crebrescente invidia edixit, ne quis Cremonenses captivos detineret. inritamque praedam militibus effecerat consensus Italiae emptionem talium mancipiorum aspernantis. occidi coepere. quod ubi enotuit, a propinquis adfinibusque occulte redemptabantur. mox rediit Cremonam reliquus populus. reposita fora templaque munificentia municipum: et Vespasianus hortabatur.

XXXV. Ceterum adsidere sepultae urbis ruinis noxia tabo humus haud diu permisit. ad tertium lapidem progressi vagos paventesque Vitellianos sua quemque apud signa componunt. et victae legiones, ne manente adhuc civili bello ambigue agerent, per Illyricum

per coniunctionem Agrippinae et Germanici adnexa. Est ἓν διὰ δυοῖν in *adnexu connubiisque.* Vocabulum *gentium* ex oppositione urbis intellige de externis. cf. Horat. Od. 1, 2, 5. *terruit urbem, terruit gentes.* Igitur coloni Cremonenses Romani ineunt connubia gentium h. e. connubia non Romana. Quare supersedebimus coniectura Spanhemii de U. et P. NN. t. 2. p. 619., qui vult *adiacentium.* — Mox ed. Spir. *floruit bellis externis: civilibus inde tacta infelix.* Pro *connubiis* MS. Corb. fert *connubio.*

civilibus. MS. Bud. *civilibusque.*

pudore flagitii. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. Harl. Ies. Guelf. edd. Spir. Lips. Pich. Grut. sqq. — *post rem: flagitii* MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. ad Lipsii primam, qui et ipse in suis libris invenerat *pudore.* MS. Bud. *pistore.* Sed Rhenanus iam coniecit legendum esse *pudore.*

Cremonenses captivos. MSS. Agr. et Reg. (Lallemand.) ed. Spir. *Cremonensem captivum.*

consensus. Ed. Spir. *consensu.* MS. Corb. *consensu .... aspernante.*

occidi coepere. Sic MSS. Flor. (test. Ernestio et Broterio, qua fide nescio) Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *cecidi* MS. Bud. — *caedi* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc.

redemptabantur. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Agr. edd. Pich. Bernegg. sqq. — *redimebantur* MSS. Bud. Reg. Guelf. (in margine) edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. ad Pichenam. — *redeprecabantur* MS. Corb.

munificentia. Sic MS. Reg. edd. Spir. Lallemand. Broter. sqq. Sic et MS. Agr. a sec. manu. — *magnificentia* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq., quod non est absurdum, ut significet magnifice dandi modum.

Cap. 35. *ruinis.* Ed. Spir. *nimis.* — Eadem mox *quandoque* pro *quemque*, et dein *in Germania* pro *in Germaniam.*

tabo. MS. Agr. *tabe.* Sed vid. not. ad An. 2, 69.

dispersae. In Britanniam inde et Hispanias nuntios famamque, in Galliam Iulium Calenum tribunum, in Germaniam Alpinum Montanum praefectum cohortis, quod hic Trevir, Calenus Aeduus, uterque Vitelliani fuerant, ostentui misere. simul transitus Alpium praesidiis occupati, suspecta Germania tanquam in auxilium Vitellii accingeretur.

XXXVI. At Vitellius profecto Caecina cum Fabium Valentem paucis post diebus ad bellum impulisset, curis luxum obtendebat: non parare arma, non adloquio exercitioque militem firmare, non in ore vulgi agere: sed umbraculis hortorum abditus, ut ignava animalia, quibus si cibum suggeras iacent torpentque, praeterita, instantia, futura pari oblivione dimiserat. Atque illum in nemore Aricino desidem et marcentem proditio Lucilii Bassi ac defectio classis Ravennatis perculit. nec multo post de Caecina adfertur mixtus gaudio dolor et descivisse et ab exercitu vinctum. plus apud socordem animum laetitia quam cura valuit. multa cum exsultatione in urbem revectus frequenti

Alpinum. MS. Guelf. *Alpinium.*

Trevir. MS. Bud. *trium vir.*

Aeduus. Sic edd. Lipsii sqq. — *Eduus* MS. Guelf. ed. Spir. — *Heduus* edd. Put. sqq. ad Lipsium.

Cap. 36. *impulisset.* Ernestius volebat *expulisset*: nam „*ad bellum impellere* est suadere bellum, auctorem alicui esse belli," ait ille. Non nego. Sed Vitellius et ipse Caecinae auctor fuit belli suscipiendi: et qui sunt quieti cunctatoresque, aptissime dicuntur impelli, ut eant. Quare Bipontini satis recte obiiciunt locum An. 4, 41. *ad vitam procul Roma impelleret.*

curis luxum obtendebat. Metaphora a velo translata, quia velatur aliquid, ne appareat.

in ore vulgi. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Bud. Agr. edd. Lips. sqq. — *more vulgi* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. edd. Spir. Put. sqq. ad Lipsium, vulgari vitio.

iacent torpentque. cf. Roth. p. 59.

futura. MS. Guelf. *et futura.* Sed particula *et* superscripta est.

pari oblivione. Ed. Spir. *pari oblivioni.* — Eadem mox *at defectio* pro *ac defectio.*

perculit. MS. Bud. *pertulit*; Reg. *percutit*, quod recepit Ernestius. Nam „nuntii non percellunt, ait, sed percutiunt." Immo si interrogatio Tiberium perculit An. 1, 12., Vitellium et nuntius ille potuit percellere. cf. not. ad An. 1, 12. 28. 6, 44.

et ab exercitu. MS. Guelf. non habet copulam *et.*

concione pietatem militum laudibus cumulat. P. Sabinum praetorii praefectum ob amicitiam Caecinae vinciri iubet substituto in locum eius Alpheno Varo.

XXXVII. Mox senatum composita in magnificentiam oratione adlocutus exquisitis patrum adulationibus attollitur. Initium atrocis in Caecinam sententiae a L. Vitellio factum. dein ceteri composita indignatione, quod consul rem publicam, dux imperatorem, tantis opibus, tot honoribus cumulatus amicum prodidisset, velut pro Vitellio conquerentes suum dolorem proferebant. nulla in oratione cuiusquam erga Flavianos duces obtrectatio. errorem imprudentiamque exercituum culpantes Vespasiani nomen suspensi et vitabundi circumibant. Nec defuit qui unum consulatus diem (is enim in locum Caecinae supererat) magno cum inrisu tribuentis accipientisque eblandiretur. pridie Kal. Novembris Rosius Regulus iniit eiuravitque. Adnotabant

P. Sabinum. Ed. Spir. *Publium Sabinium.* MS. Flor. teste Victorio *Plubilium Sabinum..*

Alpheno. MSS. Flor. (t. Vict.) et Guelf. *Alfeno.*

Cap. 37. *in magnificentiam.* MS. Guelf. *in magnificentia.* Idem cod. mox *ne defuit* pro *nec defuit.*

a L. Vitellio. Ed. Spir. *ab Vitellio.* Eadem *contra* pro *consul; inculpantes* pro *culpantes; suspecti* pro *suspensi.*

in locum Caecinae. MS. Bodl. in contextu omittit *in locum*, habet ea vocabula in margine. Ernestius totum locum volebat legi sic: *in locum Caecinae* (*is enim supererat*), vel: (*is enim supererat*) *in locum Caecinae.* Utrumque vulgato deterius est. Nam in priore scriptura *is* non tanquam ad diem, sed ad Caecinam spectans legenti accipitur: in posteriore scriptura verba *in locum Caecinae* male se adiungunt verbo *eblandiretur.* Bene se babent vulgata ex eiusdem Ernestii interpretatione: unus dies supererat, si quis sufficiendus Caecinae foret.

cum inrisu. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *cum irrisu* MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *cum risu* MS. Corb.

tribuentis accipientisque. Sic MSS. Guelf. Bodl. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. et dein Ernest. sqq. — *accipientis tribuentisque* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. ad Ernestium. Pichenae nomine vulgatur nuntius in cod. Flor. legi *tradentisque accipientisque.* Ipse Pichena in sua editione eam adnotationem omisit.

eblandiretur. Sic edd. Rhenan. Ald. sqq. — *blandiretur* MSS. et edd. ante Rhenanum.

Rosius. Sic MSS. Flor. (test. Vict. c. Ryck.) Corb. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. et dein Ernest. Brot. sqq. — *Rossius* edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Ernestium, nisi quod Ryckius edidit *Roscius,* quod exstat in MSS. Reg. Harl. Ies. Agr.

iniit eiuravitque. MS. Bud. negligit copulam *que.*

periti nunquam antea non abrogato magistratu neque lege lata alium suffectum. nam consul uno die et ante fuerat Caninius Rebilus C. Caesare dictatore, cum belli civilis praemia festinarentur.

XXXVIII. Nota per eos dies Iunii Blaesi mors et famosa fuit: de qua sic accepimus. Gravi corporis morbo aeger Vitellius Servilianis hortis turrim vicino sitam collucere per noctem crebris luminibus animadvertit. sciscitanti causam apud Caecinam Tuscum epulari multos, praecipuum honore Iunium Blaesum nuntiatur. cetera in maius, de apparatu et solutis in lasciviam animis. nec defuere qui ipsum Tuscum et alios, sed criminosius Blaesum incusarent, quod aegro principe laetos dies ageret. Ubi asperatum Vitellium et posse Blaesum perverti satis patuit iis, qui principum offensas acriter speculantur, datae L. Vitellio delationis partes. Ille infensus Blaeso aemulatione prava, quod eum omni dedecore maculosum egregia fama anteibat, cubiculum imperatoris reserat, filium eius sinu complexus et genibus accidens. causam confusionis quae-

nunquam. MS. Guelf. *nonquam*, quod possit suffragari Vertranii emendationi *nonnunquam*. Sed idem cod. fere semper fert *nonquam* pro *nunquam* (cf. not. ad c. 46.) nec satis recte Ernestius tradidit alibi semper legi *nunquam* in cod. Guelf. Habet etiam *non* pro *num* sexcentis locis. Idem cod. Guelf. *nec lege* pro *neque lege*.

suffectum. Ed. Spir. *subvectum.*

Rebilus. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. — *Rebitus* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat. cf. Dio 43, 46. Cic. ad Div. 7, 30. Plin. 7, 53. Plutarch. Caes. c. 58. (p. 735.). Sueton. Iul. c. 76. Id. Nero c. 15.

festinarentur. MS. Bud. *dictarentur*, unde Rhenanus coniiciebat *ista darentur*.

Cap. 38. *et famosa.* MS. Guelf. (a sec. manu) et ed. Spir. *et fama.*

animadvertit. MS. Bud. *advertit*, quod satis Tacito convenit. cf. not. ad An. 14, 48.

solutis. Ed. Spir. *solitis.* Eadem mox *criminosum* pro *criminosius*. Pro *Blaesum* MS. Guelf. hic habet *bellum*. Pro *animis* ed. Put. V. fert *animus*.

asperatum. Sic MSS. Guelf. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *aspernatum* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc.

Ille infensus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Put. M. Rhenan. sqq. — *Illis infensus* edd. Put. V. Beroald. Alc.

accidens. Ed. Spir. *occidens.*

confusionis. MS. Bud. *effusionis.* cf. supra 2, 45. *in lacrimas effusi.* Sed infr. 4, 40. *crebra oris confusio.*

renti non se proprio metu nec sui anxium, sed pro fratre, pro liberis fratris preces lacrimasque attulisse. frustra Vespasianum timeri, quem tot Germanicae legiones, tot provinciae virtute ac fide, tantum denique terrarum ac maris immensis spatiis arceat. in urbe ac sinu cavendum hostem Iunios Antoniosque avos iactantem, qui se stirpe imperatoria comem ac magnificum militibus ostentet. versas illuc omnium mentes, dum Vitellius amicorum inimicorumque negligens fovet aemulum principis labores e convivio prospectantem. reddendam pro intempestiva laetitia maestam et funebrem noctem, qua sciat et sentiat vivere Vitellium et imperare et, si quid fato accidat, filium habere.

XXXIX. Trepidanti inter scelus metumque, ne dilata Blaesi mors maturam perniciem, palam iussa atrocem invidiam ferret, placuit veneno grassari. addidit facinori fidem nobili gaudio Blaesum visendo.

tot Germanicae legiones. Haec non sunt in MS. Bud. teste Rhenano.

ac maris. MS. Corb. haec omittit. Ed. Spir. ea collocat post *spatiis*.

negligens. H. e. non discernens, non curans, sintne amici an inimici. Graece ἀμελεῖν, παρορᾷν.

fovet. Sic MSS. et vett. edd. — At Bipontini *foveret;* Oberlin. sqq. *foveat.* Bekkerus veterem scripturam restituit. Recte. cf. not. ad An. 2, 26. et Ramshorn. in Programm. 1826. p. 8.

si quid fato accidat. Ernestius parum recte hic pleonasmi suspicionem movit, quasi sufficiat dici: *si quid accidat.* Nam frater aperte sibi vult: si accidat, ut Vitellius fato fungatur. Omissa voce *fato* cogitabimus de quocunque alio evento infausto. MS. Corb. *fato decidat.*

Cap. 39. *perniciem.* Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Agr. Corb. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *poenitentiam* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

palam iussa. MS. Agr. addit *autem.* Ed. Spir. *palam visa,* vulgari confusione. cf. not. ad An. 1, 8.

grassari. Ed. Spir. *crassari.*

nobili gaudio Blaesum visendo. Sic MSS. et vett. edd.: nec est quod mutemus. cf. not. ad An. 15, 35. sub vv. *quin eum nobiles habere.* Lipsius tamen emendandi causa proposuit *notabili gaudio*, quod in locum receperunt Bipontini, Dureau de Lamalle, Gutmannus. cf. infr. c. 54. *notabili constantia.* An. 3, 65. *notabili dedecore.* Frequentatur idem vocabulum apud Suetonium. Vid. Baumgarten-Crus. in clav. Suet. — Broterius malebat *ignobili gaudio.*

quin et audita est saevissima Vitellii vox, qua se (ipsa enim verba referam) pavisse oculos spectata inimici morte iactavit. Blaeso super claritatem natalium et elegantiam morum fidei obstinatio fuit. integris quoque rebus a Caecina et primoribus partium iam Vitellium aspernantibus ambitus abnuere perseveravit: sanctus, inturbidus, nullius repentini honoris, adeo non principatus adpetens parum effugerat, ne dignus crederetur.

XL. Fabius interim Valens multo ac molli concubinarum spadonumque agmine segnius quam ad bellum incedens proditam a Lucilio Basso Ravennatem classem pernicibus nuntiis accepit. et si coeptum iter properasset, nutantem Caecinam praevenire aut ante discrimen pugnae adsequi legiones potuisset. nec deerant qui monerent, ut cum fidissimis per occultos tra-

qua se (ipsa enim verba referam) pavisse etc. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ernest. sqq. — *qua (ipsa ... referam) se pavisse* MSS. Guelf. (non sine alterius manus correctione in vocabulo *qua*) Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. ad Ernestium, qui videtur loco bene consuluisse: nam vis in *ipsis verbis* non ita spectat ad *se* quam ad *pavisse oculos*.

fidei obstinatio. MS. Flor. (test. Vict.) in margine habet: *fides obstinatior*.

integris. MS. Guelf. *integros*.

et primoribus. Ed. Spir. *ac primoribus*.

sanctus. Ed. Spir. *factus*, unde Ernestius coniiciebat *factis*, quod tum demum acceptum esset, si facta hoc loco opponerentur dictis aut animo. In MS. Guelf. (a sec. manu) legitur *fotãs*. Causa varietatis latet in compendio scripturae.

adeo non. cf. not. supr. ad 1, 9.

parum effugerat. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Corb. edd. recentiores inde ab Ernestio. — *ut parum effugerat* MS. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. ad Ernestium. — *ut parum effugerit* MS. Agr. — *ut parum abfuerit* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Culpa depravationis latet in *adeo non*, formula librariis non satis recte intellecta. Verba *ne dignus crederetur* inde pendent, quod voluerat cavere, ne dignus crederetur: at non potuerat efficere. Germanice: *war er der Gefahr doch nicht entgangen dessen würdig gehalten zu werden.*

Cap. 40. *Lucilio.* Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Lips. Pichen. sqq. — *Lucillio* MS. Guelf. edd. Alc. Rhen. sqq. cum Lipsii prima. — *Lucillo* ed. Spir. cf. not. ad An. 4, 15.

praevenire. Ed. Spir. *pervenire*.

aut ante etc. MS. Guelf. *ut ante* etc.

legiones. Hoc abest a MS. Corb. Idem cod. mox *ab urbe* pro *ex urbe*. Pro *monerent* ed. Spir. fert *mouerent*.

mites vitata Ravenna Hostiliam Cremonamve pergeret. aliis placebat accitis ex urbe praetoriis cohortibus valida manu perrumpere. ipse inutili cunctatione agendi tempora consultando consumpsit. mox utrumque consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est satis nec providit.

XLI. Missis ad Vitellium litteris auxilium postulat. venere tres cohortes cum ala Britannica, neque ad fallendum aptus numerus neque ad penetrandum. Sed Valens ne in tanto quidem discrimine infamia caruit, quo minus rapere inlicitas voluptates adulteriisque ac stupris polluere hospitum domus crederetur. aderant vis et pecunia et ruentis fortunae novissima libido. Adventu demum peditum equitumque pravitas consilii patuit, quia nec vadere per hostes tam parva manu poterat, etiam si fidissima foret, nec integram fidem attulerant. pudor tamen et praesentis ducis reverentia morabatur, haud diuturna vincla apud avidos periculorum et dedecoris securos. Eo metu et paucis quos adversa non mutaverant comitantibus cohortes Ariminum

Cap. 41. *ne in tanto quidem discrimine.* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. *ne in tanto discrimine quidem.* Sed quem verborum ordinem edd. ante Rhen. et potiores codd. MSS. poscebant, restituit Ernestius. Idem Rhenanus e cod. Bud. ediderat *quo minus illicitas rapere voluptates* etc. Veterem verborum ordinem revocavit Ernestius.

adulteriisque. Ed. Spir. negligit copulam *que.* Eadem *ac pecunia* pro *et p.*

tam parva manu. Ernestius et Lallemandus volebant *tam parva manus*, nulla plane mutandi necessitate.

morabatur. MSS. Reg. Corb. Guelf. (in margine) ed. Spir. *hortabatur.*

vincla. Sic MS. Flor. teste Victorio. Vulgo *vincula.* — Mox ed. Spir. *aut diuturna* pro *haud d.*

avidos periculorum. Faërnus et cum eo Ernest., Lallemand., Dureau de Lamalle, Strombeck. frustra volunt *pavidos periculorum.* Nam idem hic militum animus fuit, quem Noster descripsit cap. 26. *periculi quam morae patientior* etc.

dedecoris securos. MS. Bud. edd. Rhenan. sqq. *decoris securos.* Pichena probante Lipsio restituit *dedecoris* e MS. Flor., cum quo ceteri libri vett. consentiunt.

eo metu et paucis ... comitantibus. Sic codd. MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. et ceteri, edd. Spir. Put. M. et V. et dein Rhenan. sqq. — Beroaldus et Alciatus omiserant *et* ante *paucis.* At hodie suadente Acidalio transponendi ubique cupido et auctore Oberlino edunt: *eo metu, cohortes Ariminum praemittit, alam tueri terga iubet: ipse, paucis, quos adversa*

praemittit, alam tueri terga iubet: ipse flexit in Umbriam atque inde Etruriam: ubi cognito pugnae Cremonensis eventu non ignavum et si provenisset atrox consilium iniit, ut adreptis navibus in quamcunque partem Narbonensis provinciae egressus Gallias et exercitus et Germaniae gentes novumque bellum cieret.

XLII. Digresso Valente trepidos, qui Ariminum tenebant, Cornelius Fuscus admoto exercitu et missis per proxima litorum liburnicis terra marique circumvenit. occupantur plana Umbriae et qua Picenus ager Hadria adluitur. omnisque Italia inter Vespasianum ac Vitellium Apennini iugis dividebatur. Fabius Valens e sinu Pisano segnitia maris aut adversante vento

non mutaverant, comitantibus. flexit etc. Nam Ernestius ad h. l. „Quos, inquit, putemus esse eos, qui comitati cohortes sint? Immo ducis comites amici, quos secum eduxerat urbe Roma. Ab horum plerisque desertus erat." At de iis, qui comitati cohortes sint, haec verba non loquuntur. Est potius sententia loci haec: *eo metu* h. e. quum metuendum esset, ne miles fidem exueret et invito duce erumperet, *et paucis quos adversa non mutaverant comitantibus* h. e. et quum pauci tantum comites, quibus confideret, superessent, plurimi autem per adversam fortunam fidem mutassent, ut ita quidquam cum fiducia incipere nequiret, *cohortes A. praemittit* etc. Quae cum apte cohaereant, non video, quid Acidalii transpositione opus sit.

inde Etruriam. MS. Bud. edd. Rhenan. sqq. ad Ryckium addunt *in* ante *Etruriam.* Ryckius, Iac. Gronovius sqq. deleta praepositione veterum librorum omnium scripturam maluerunt. cf. not. ad An. 12, 32.

eventu. MS. Guelf. *eventus.*

provenisset. Ed. Spir. *pervenisset.* Sed cf. not. ad An. 1, 19.

iniit. Ed. Spir. *init.*

Gallias et exercitus. Vocabulum *Gallias* in MS. Reg. et ed. Spir. non legitur. MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. omittunt *et exercitus*, quae verba a Pichena sunt restituta e MS. Flor., cum quo ceteri libri vett. consentiunt.

Cap. 42. *occupantur.* Ed. Spir. *occupant.*

Hadria. Sic edd. vett. cum silentio Victorii. cf. An. 2, 53. 15, 34. et supr. c. 12. — Edd. nostrae aetatis hic ferunt *Adria.*

Apennini iugis. Sic edd. Put. M. et V. (ibi *Apoenini*) Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *Apenninis iugis* MSS. Guelf. Bud. Corb. Reg. ed. Spir. — Sed c. 52. omnes libri *Apennini iuga* cf. Sueton. Iul. c. 44. *Apennini dorsum.* Id. Vit. c. 10. *Apennini iugis.*

segnitia maris. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Pich. Gruter. sqq. ad Oberlinum. — *saevitia maris* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. sqq. ad Pichenam et nuper Oberlin. sqq. Et Oberlinus quidem ad h. l. scribit: „Malacia navem non *depellit*, sed immotam tenet: ad quod non attendere, quorum auribus blanditur segnitia." At ipse non animadvertit verbum illud hic esse eo significatu, quo dicuntur *depelli*, qui impediuntur quo minus cupita adsequantur. cf

portum Herculis Monoeci depellitur. haud procul inde agebat Marius Maturus Alpium maritimarum procurator, fidus Vitellio, cuius sacramentum cunctis circa hostilibus nondum exuerat. is Valentem comiter exceptum, ne Galliam Narbonensem temere ingrederetur, monendo terruit: simul ceterorum fides metu infracta. namque circumiectas civitates procurator Valerius Paullinus strenuus militiae et Vespasiano ante fortunam amicus in verba eius adegerat.

XLIII. Concitisque omnibus, qui exauctorati a Vitellio bellum sponte sumebant, Foroiuliensem coloniam, claustra maris, praesidio tuebatur, eo gravior

An. 11, 34. Eo sensu etiam malacia potest depellere navigantem, quin locum aliquem attingat. Praestat tamen admittere zeugma, ut verbum *depellitur* ἀναλόγως referatur ad segnitiam maris. cf. not. ad An. 1, 35. 2, 20. *Saevitiam maris* Ernestius iam docuit esse in *adversante vento*. Nec ut incertam rem Tacitus haec refert, ut dubium maneat, utrum segn. maris an adversante vento ille sit depulsus (ea sententia requirebat *an* pro *aut*): immo dicit depulsum partim segn. maris partim adversante vento. Egit etiam de hoc loco Ramshorn. Programm. 1826. p. 9. censetque idem scripturam *segnitia* Tacito vindicandam.

aut adversante vento. MS. Bud. pro *aut* habet *haud*, quod placebat Rhenano.

portum. Ed. Spir. *portu*.

Monoeci. Sic edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *moneti* edd. Put. M. et V. — *moeneti* MS. Guelf.

procurator. MS. Bud. *speculator*.

hostilibus. Ed. Spir. *hostibus*.

nondum exuerat. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *non exuerat* MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Pichenam. — *non excierat* MS. Guelf.

metu infracta. Pro *infracta* MSS. Reg. Harl. Ies. Bud. Guelf. (ibi *metu* non est) edd. ante Pichenam habent *intacta*. Sed quum Pichena in Flor. vidisset *inracta*, ipse edidit *infracta*, quod legitur in cod. Bodl. — Lipsius volebat *intentata*. — Victorius intactum reliquit *intacta*.

namque. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *nam* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Ryckium. cf. not. ad Agr. c. 11.

circumiectas. Ed. Spir. *circumuectas*.

Cap. 43. *sponte*. Hoc in MS. Bud. non legitur.

claustra. Sic MSS. Bud. Reg. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *claustraque* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Ryckium. In cod. Flor. teste Iac. Gronovio nuperrimus calamus copulam *que* superscripsit, quam esse absurdam minime adseveraverim. Solet enim ita figura ἓν διὰ δυοῖν succedere in locum adpositionis. cf. Roth. p. 47.

tuebatur. MS. Ies. *tuebantur*. Eandem verbi formam Broterius vidit in ed. Beroald. fraude oculorum deceptus.

auctor, quod Paullino patria Forum Iulii et honos apud praetorianos, quorum quondam tribunus fuerat. ipsique pagani favore municipali et futurae potentiae spe iuvare partes adnitebantur. quae ubi paratu firma et aucta rumore apud varios Vitellianorum animos increbruere, Fabius Valens cum quattuor speculatoribus et tribus amicis totidemque centurionibus ad naves regreditur: Maturo ceterisque remanere et in verba Vespasiani adigi volentibus fuit. Ceterum ut mare tutius Valenti quam litora aut urbes, ita futuri ambiguus et magis quid vitaret quam cui fideret certus adversa tempestate Stoechadas Massiliensium insulas adfertur. ibi eum missae a Paullino liburnicae oppressere.

quondam. Ed. Spir. *quodam.* Deinde eadem *parata* (non *parta*, uti rettulit Ernestius) pro *paratu;* MS. Bud. teste Rhenano *parta*, unde Rhenanus faciebat *pacta.* Ernestius docuit egregie sibi respondere invicem *paratu* et *rumore*, ut *firma* et *aucta.* MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) pro *ubi paratu* habet *ui paratu*, unde Iac. Gronovius volebat fieri *ut paratu*, non alia sententia, quam quae vulgatis inest.

increbruere. Sic MS. Guelf. edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *increbuere* edd. Spir. Put. M. et V. Pich. Bernegg. sqq.

speculatoribus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Lips. sqq. — *spiculatoribus* edd. Puteol. sqq. ad Lipsium.

totidemque. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Agr. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et inter recentiores Ryckii. — *totidem* (neglecta copula) MSS. Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. ad Ryckium et post hunc edd. Iac. Gronov. Ernest. sqq. Et Ernestius quidem prodidit rem ita haberi in cod. Flor.; neque tamen invenio qua auctoritate. Nam tacent cum Victorio Pichena et Iac. Gronovius, qui duo quanquam ediderunt *totidem*, inde minime consequitur idem inesse Flor. codici.

Maturo. Sic MS. Agr. edd Pichen. (e Lipsii correctione) Bernegg. sqq. — *mature* ceteri codd. MSS. et edd. vett. et ita quidem ut *mature* coniungant cum verbo *regreditur.* De *Maturo* cf. c. 42. et 2, 12. De veritate correctionis nemo dubitat.

volentibus fuit. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. Bud. et auctore Rhenano edd. Lips. Pich. Gruter. sqq. — *volentibus liberum fuit* edd. Beroald. Alciat. Idem inesse MSS. Harl. Bodl. Ies. testatur Broterius. At in MS. Guelf. edd. Put. M. et V. vocabulum *volentibus* non apparet, quanquam Broterius Puteolanum ad eandem cum suis codicibus formulam vocavit. — *volentibus auctor fuit* MSS. Reg. Agr. ed. Spir. et ita Guelf. in margine. Peccant nimirum libri ex inscitia graecae constructionis, de qua dictum est ad An. 1, 59. Addo exemplum e Thucyd. 2, 3. τῷ γὰρ πλήθει τῶν Πλαταιέων οὐ βουλομένῳ ἦν τῶν Ἀθηναίων ἀφίστασθαι.

Stoechadas. Sic edd. Rhenan. sqq. — *Stoecadas* ed. Spir. — *Stechadas* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Victorii) Alciat.

adfertur. Ernestius volebat *de-*

XLIV. Capto Valente cuncta ad victoris opes conversa initio per Hispaniam a prima Adiutrice legione orto, quae memoria Othonis infensa Vitellio decumam quoque ac sextam traxit. nec Galliae cunctabantur. et Britanniam inditus erga Vespasianum favor, quod illic secundae legioni a Claudio praepositus et bello clarus egerat, non sine motu adiunxit ceterarum, in quibus plerique centuriones ac milites a Vitellio proveeti expertum iam principem anxii mutabant.

XLV. Ea discordia et crebris belli civilis rumoribus Britanni sustulere animos auctore Venutio, qui super insitam ferociam et Romani nominis odium propriis in Cartismanduam reginam stimulis accendebatur. Cartismandua Brigantibus imperitabat pollens nobilitate: et auxerat potentiam, postquam capto per dolum rege Caractaco instruxisse triumphum Claudii Caesaris

fertur, Broterius *fertur*. Sed veteres libri nihil mutant. Ed. Spir. *massiliensium adfertur insulas*.

Cap. 44. *a prima Adiutrice legione orto*. Ed. Spir. *prima adiutrice: legionum orto*.

inditus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. ed. Spir. — *inclitus* vel *inclytus* MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. — MS. Bud. dubie *inditus* an *inclitus*. Non nego *inclutum* favorem dici posse, ut sit favor fama gloriaque insignis (*περιβόητος*): sed non intelligo, cur Britanniae erga Vespasianum favor eo vocabulo ornetur: nihil enim adhuc accepimus de illo favore, quo epitheton *inclutus* excusetur. Vocabulum *inditus* eximie loco convenit. Nam *inditus* spectat ad sequens membrum: *quod illic ... egerat*, ut intelligas eo favorem inditum esse. Ernestius volebat *insitus*: sed quis feret favorem *insitum quod illic* etc. Immo *insitum* est aliquid natura et longa consuetudine et cuius originem non investiges, ideoque dicitur insitum, quia non opus est ut indatur.

secundae legioni. Ed. Spir. *secundae legionis*.

ceterarum. Intell. legionum.

expertum. Ed. Spir. *experti*. Eadem non habet *anxii*, et *nutabant* pro *mutabant*.

Cap. 45. *Venutio*. MSS. et vett. edd. *Venusio*. E loco An. 12, 40. Oberlinus emendavit *Venutio*. — Pro *auctore* MS. Corb. fert *actore*.

Cartismanduam. Sic edd. Spir. Lipsii posteriores (ibi *Carthismanduam*) Pich. sqq. — *Carthimanduam* edd. Puteol. sqq. cum silentio Victorii. cf. not. ad An. 12, 36. et 40.

accendebatur. MS. Guelf. *accendebantur*.

Caractaco. Sic edd. Pich. Bernegg. sqq. cf. not. ad An. 12, 33. — Hic MS. Guelf. et edd. ante Pichenam *Carataco*; ed. Spir. *Caratacho*.

instruxisse triumphum Claudii Caesaris. Claudium facta expeditione Britannica triumphasse, Ro-

videbatur. inde opes et rerum secundarum luxus. spreto Venutio (is fuit maritus) armigerum eius Vellocatum in matrimonium regnumque accepit. concussa statim flagitio domus. pro marito studia civitatis, pro adultero libido reginae et saevitia. igitur Venutius accitis auxiliis simul ipsorum Brigantum defectione in extremum discrimen Cartismanduam adduxit. tum petita a Romanis praesidia. et cohortes alaeque nostrae variis proeliis exemere tamen periculo reginam. regnum Venutio, bellum nobis relictum.

XLVI. Turbata per eosdem dies Germania, et socordia ducum, seditione legionum, externa vi et perfidia sociali prope adflicta Romana res. id bellum cum

mae testatur Suetonius Claud. c. 17. Sed is triumphus ductus est Caio Crispo et Tito Statilio consulibus (an. u. 797.). cf. Dio 60, 23. Caractacus autem aliquot annis post illum triumphum captus est. cf. An. 12, 36. Quaeritur ergo, Tacitum memoria fefellerit an triumphum hoc loco dicat latiore significatu et decoris causa. cf. Lips. ad An. 12, 36. At si quid recte video, Cartismandua eo sensu videbatur triumphum Claudii instruxisse, ut gloriam et decus triumphi pridem acti tradito Caractaco augeret alteramque partem triumpho adderet. Nam appendicula quaedam triumphi Claudiani fuit pompa illa, in quo Caractacus ducebatur.

spreto Venutio. MS. Guelf. *sumpto Venusio*, in margine *spreto.*

Vellocatum. Sic edd. Puteol. sqq. cum silentio Victorii. — *Velocatum* MSS. Guelf. Ies. — *et locatum* MS. Reg. ed. Spir.

matrimonium. MS. Guelf. *mantrimonium.*

pro adultero. Ed. Spir. *pro adulterio reginae et seuitia.* In MS. Guelf. legitur *adulterio*, sed littera *i* puncto supposito notatur.

defectione. MS. Bud. *defectio*, quod placebat Rhenano.

exemere tamen. MS. Guelf. *exemere tantum*, vulgari utriusque vocabuli confusione, quae originem traxit e compendio *tñ.*

Cap. 46. *socordia.* MS. Guelf. *secordia*, et ita edd. Lipsii et Gruteri. Sed maiora hic sunt adnotanda. Edd. Puteol. sqq. cum MS. Guelf. locum exhibent sic: *et socordia ducum et seditione legionum. Externa vi et perfidia sociali* etc. Verum copula *et* ante *seditione* neque in MS. Flor. (test. Vict.), neque in ed. Spir. exstat. Quare locus erat constituendus, uti edi curavimus. Copulam ante *perfidia*, quam Ryckius expunxerat, reduxi. Nam exstat illa in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — Deest eadem in MSS. Reg. Corb. Agr. ed. Spir. A MS. Flor. eam abesse testatur Ryckius, sed falso, ut mihi videtur ob silentium Victorii. Scilicet alio loco *et* deerat in Flor., non ante *perfidia.*

prope adflicta. MS. Bud. *pena* (paene) *adflicta.*

causis et eventibus (etenim longius provectum est) mox memorabimus. Mota et Dacorum gens nunquam fida, tunc sine metu abducto e Moesia exercitu. sed prima rerum quieti speculabantur: ubi flagrare Italiam bello, cuncta invicem hostilia accepere, expugnatis cohortium alarumque hibernis utraque Danubii ripa potiebantur. iamque castra legionum exscindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset, Cremonensis victoriae gnarus ac ne externa moles utrimque ingrueret, si Dacus Germanusque diversi inrupissent. adfuit ut saepe alias fortuna populi Romani, quae Mucianum viresque Orientis illuc tulit, et quod Cremonae interim transegimus. Fonteius Agrippa ex Asia (pro consule eam provinciam annuo imperio tenuerat) Moesiae praepositus est additis copiis e Vitelliano exercitu, quem spargi per provincias et externo bello inligari pars consilii pacisque erat.

XLVII. Nec ceterae nationes silebant. Subita per Pontum arma barbarum mancipium, regiae quondam classis praefectus, moverat. is fuit Anicetus Polemonis praepotens libertus olim et, postquam regnum in formam provinciae verterat, mutationis impatiens. igitur Vitellii nomine adscitis gentibus, quae Pontum adcolunt, corrupto in spem rapinarum egentissimo quo-

memorabimus. Hist. 4, 12. sqq.

nunquam. MS. Guelf. *nonquam.* cf. not. ad c 37.

tunc sine metu abducto etc. Ed. Spir. *tunc sine motu adducto* etc.

ex Asia. MS. Guelf. *ex axia*, vulgari litterarum *s* et *x* permutatione.

pro consule. Sic MSS. Flor. (test. Ryck. et Iac. Gronov.) Reg. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *proconsul* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Puteol. sqq. cum silentio Victorii.

Cap. 47. *Polemonis praepotens libertus olim.* Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pichena), unde reposui. MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. *Polemonis libertus praepotens olim.* Eodem ordine ed. Spir., nisi quod habet *Palemonis.* Eadem *verteretur* pro *verterat.*

adscitis. Sic veteres libri mei omnes, non *ascitis.* MS. Bud. *accitis.* — Mox *adcolunt* ed. Spir.; *accolunt* MS. Guelf. edd. Puteol. sqq.

egentissimo. MS. Bud. loco huius vocis lacunam habet.

que haud temnendae manus ductor Trapezuntem vetusta fama civitatem a Graecis in extremo Ponticae orae conditam subitus inrupit. caesa ibi cohors, regium auxilium olim, mox donati civitate Romana, signa armaque in nostrum modum, desidiam licentiamque Graecorum retinebant. Classis quoque faces intulit vacuo mari eludens, quia lectissimas liburnicarum omnemque militem Mucianus Byzantium adegerat. quin et barbari contemptim vagabantur fabricatis repente navi-

haud temnendae. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. (si recte vidi) Rhenan. Ald. sqq. — *haud tenendae* MSS. Reg. Ies. edd. Put. V. Beroald. Alc. — Victorius in suo exemplari ex ingenio corrigit *temnendae*. Ed. Spir. *aut tenendae*. MS. Bud. *haud tepende*, unde Rhenanus coniiciebat *poenitendae*. cf. Sueton. Tib. c. 29. *non contemnenda manus*.

ductor. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.) Rhenan. sqq. — *auctor* edd. Put. M. et V. Alc.

Trapezuntem. Ed. Spir. *Trapesuntem*.

vetusta fama civitatem. Ex emendatione Lipsii, quam in locum receperunt Bipont., Oberlin. sqq. — MS. Flor. teste Pichena *vetusta mama civitatem*. MS. Reg. ed. Spir. *vetusta manus civitatem*. MS. Corb. *manu*. MS. Bud. *vetusta manum*. Victorius intactam reliquit scripturam *vetustam admodum civitatem*, quae exstat in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. sqq. ad Pichenam. MS. Agr. *vetustam civitatem*. Edd. Pich. Bernegg. sqq. ad Bipont. *vetustam Asiae civitatem*. Rhenanus volebat *vetustissimam civitatem*. Pro Lipsiana emendatione facit locus Hist. 4, 83. *templum vetere fama*. Neque tamen absurda videtur esse scriptura Puteolani. Nam omnis varietas originem traxit e corrupta scriptura cod. Florent., quae fortassis orta est e compendio vocabuli *admodum*.

signa armaque. Ed. Spir. *signaque*, neglecta voce *arma*.

classis quoque faces intulit. Sic codices MSS. quantum constat omnes et edd. ante Rhenanum. Hic maluit *classi*, quod vulgatur ad hunc diem. Nam Ernestius: „Quorsum" ait „classis faces inferat urbi iam captae, cuius combustae nullum vestigium exstat? Itaque omnino servandum *classi*. Intellige naves ibi in portu sine milite relictas a Muciano." Acquiescunt in ea loci explicatione recentiores omnes. At de facibus classi inlatis hic plane non est sermo; immo *classis faces* per metaphoram dicuntur, ut supr. 2, 86. *facem acerrimam praetulit bello;* 1, 24. *faces addere animis flagrantibus*. Iam *classis faces inferre* est classe infestare, infesta classe adgredi. Igitur non solum terra, sed etiam mari ille arma movit. *Eludere* dicuntur, qui poenam, periculum, vindictam effugiunt. cf. not. ad An. 14, 62. Ablativus *vacuo mari* reddit rationem, cur eludere potuerit. Prorsus igitur supervacanea est Lipsii emendatio *illudens*, quam Bipontini in locum recepere, quanquam ita scribitur in MS. Reg. teste Broterio.

lectissimas. Ed. Spir. *lectissima*, non improbante Broterio. MS. Reg. *laetissima*.

contemptim. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V.

bus. camaras vocant artis lateribus latam alvum sine vinclo aeris aut ferri connexam: et tumido mari, prout fluctus attollitur, summa navium tabulis augent, donec in modum tecti claudantur. sic inter undas volvuntur pari utrimque prora et mutabili remigio, quando hinc vel illinc adpellere indiscretum et innoxium est.

XLVIII. Advertit ea res Vespasiani animum, ut vexillarios e legionibus ducemque Virdium Geminum spectatae militiae deligeret. ille incompositum et praedae cupidine vagum hostem adortus coegit in naves:

Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et deinde Ernest. Brot. sqq. — Iac. Gronovius in cod. Flor. vidit *contempti*, quod ipse defendit. Credibilius tamen est in vetusto illo codice evanuisse lineolam super ultima littera: nam *contemptī* etiam habet MS. Guelf. — *contenti* MS. Corb. ed. Spir. — cf. infr. c. 58. *contemptim et sine discrimine* (nostrum *ohne Scheu*). Ceterum *barbari* non sunt Aniceti milites, sed alii homines barbari, qui utebantur, ut fit, turbatis rebus, ut piraticam exercerent.

camaras vocant. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Agr. Reg. edd. Spir. Ryck. Ernest. Brot. sqq. — *quas cameras vocant* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Beroald. sqq. — *quas camaras vocant* ed. Gronov. (1672.). Graecis dicuntur καμάραι. Iam totum locum vulgo edunt ita: *navibus (camaras vocant) artis lateribus, lata alvo, sine vinculo aeris aut ferri connexa.* At MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. Bud. Agr. edd. ante Lipsium ferunt *latam alvum* (Flor. *alvom*, et teste Ryckio *lata*) .... *connexam.* Miror viros doctos inde non percepisse veram loci rationem et in *latam alvum* ... *connexam* id esse adpositionis genus, quo utuntur Graeci, ut rem nominatis singulis partibus accuratius describant. Nam *camaras vocant artis lateribus latam alvum* etc. est pro: *camaras vocant, quae sunt artis lateribus lata alvus* etc. h. e. lata alvus artis lateribus, sine vinclo aeris aut ferri connexa est camara. Simile fere exemplum invenitur infr. c. 79. *Vitelliani interiectis equiti pedes excepere.* Et simile navium genus describitur Germ. c. 44.

artis. Sic editio Spirensis. *arctis* edd. Puteol. sqq.; *arctius* MS. Guelf.

vinclo. Sic MS. Flor. (t. Vict.) ed. Spir. — *vinculo* MS. Guelf. edd. Puteol. sqq.

fluctus. Sic vere libri. Ed. Oberlini vitiose *fluxus*, idque vitium in alios quoque libros migravit.

summa navium. Ed. Spir. *sūnavium.* Sic male ille percepit compendium scripturae.

adpellere. Ed. Spir. *appellare.*

Cap. 48. *Advertit.* MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *avertit*, ex inscitia. cf. not. ad An. 14, 43.

Vespasiani animum. Lipsius coniecit *Vespasianum.* Nam ita An. 2, 17. *Octo aquilae ... advertere imperatorem.* Sed veteres libri tuentur vulgatam scripturam, nec eadem ubique sunt intrudenda.

coegit. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *cogit* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Puteol. sqq. ad Ryckium.

effectisque raptim liburnicis adsequitur Anicetum in ostio fluminis Cohibi tutum sub Sedochezorum regis auxilio, quem pecunia donisque ad societatem perpulerat. ac primo rex minis armisque supplicem tueri: postquam merces proditionis aut bellum ostendebatur, fluxa ut est barbaris fide pactus Aniceti exitium perfugas tradidit belloque servili finis impositus. Laetum ea victoria Vespasianum cunctis super vota fluentibus Cremonensis proelii nuntius in Aegypto adsequitur. eo properantius Alexandriam pergit, ut fracto Vitellii exercitu urbemque externae opis indigam fame urgeret. namque et Africam eodem latere sitam terra marique invadere parabat, clausis annonae subsidiis inopiam ac discordiam hosti facturus.

XLIX. Dum hac totius orbis nutatione fortuna imperii transit, Primus Antonius nequaquam pari innocentia post Cremonam agebat, satisfactum bello ratus et cetera ex facili, seu felicitas in tali ingenio avaritiam,

in ostio. Sic edd. Lipsii sqq. — *in hostio* edd. ante Lipsium cum MS. Guelf.

fluminis Cohibi. MSS. Reg. Ies. *Cohibiti.* Plin. 6, 4. *Cobum*, Arrian. in Peripl. Pont. Eux. χῶβον dicit.

Sedochezorum. Sic MSS. Harl. Bodl. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *Sodechezorum* (non *Sodechezerum*, uti alii produnt) MS. Guelf. — *Sedothezorum* MS. Vatic. — *se dotozorum* MS. Reg. ed. Spir. — *Sodochezorum* MS. Ies. — *Sedochezi* sunt apud Pompon. Mel. 1, 19. inter gentes Ponto Euxino adsidentes. — In MS. Guelf. pro *sub* legitur *et.* MS. Agr. *tutum sedae thegorum regis auxilio.*

Aniceti exitium. Sic MS. Bud. (Bodl. Ies. in margine) edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *excidium* MS. Agr. — *auxilium* MSS. Guelf. Bodl. Ies.

perfugas. Edd. Spir. Put. M. et V. *per fugas.*

urbemque. Sic MSS. Flor. (test. Ryck.) Reg. Corb. Agr. Bud. ed. Spir. Recte. cf. not. ad An. 1, 28. — *urbem quoque* MS. Guelf. edd. Puteol. sqq.

terra marique. Ed. Spir. *trãsmarique.* Mox ibi deest *parabat.*

Cap. 49. *Dum hac.* Ed. Spir. *dum ac.* Mox *urbis* pro *orbis.*

nutatione. Ita egregie MS. Flor. teste Victorio. cf. Plin. Panegyr. c. 5. *nutatio rei publicae.* Vulgo editur *mutatione*, quod exstat in MS. Guelf. edd. Spir. Puteol. sqq. Aliorum librorum scripturam nemo adnotavit. Simile plane vitium sustulimus An. 4, 55.

ex facili. Sic Agr. c. 15. cf. Walch. Emendatt. Liv. p. 163. Ita et Graeci. cf. Matth. Gramm. §. 574.

seu felicitas. Sic edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. — *ceu felicitas* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Verum *ceu* non est huius loci.

superbiam ceteraque occulta mala patefecit. ut captam Italiam persultare, ut suas legiones colere, omnibus dictis factisque viam sibi ad potentiam struere: utque licentia militem imbueret, interfectorum centurionum ordines legionibus offerebat. eo suffragio turbidissimus quisque delecti: nec miles in arbitrio ducum, sed duces militari violentia trahebantur. quae seditiosa et corrumpendae disciplinae mox in praedam vertebat nihil adventantem Mucianum veritus, quod exitiosius erat quam Vespasianum sprevisse.

L. Ceterum propinqua hieme et humentibus Pado campis expeditum agmen incedere. signa aquilaeque victricium legionum, milites vulneribus aut aetate graves, plerique etiam integri Veronae relicti: sufficere cohortes alaeque et e legionibus lecti profligato iam bello videbantur. Undecuma legio sese adiunxerat, initio cunctata, sed prosperis rebus anxia, quod defuisset. sex millia Dalmatarum, recens delectus, comitabantur.

viam sibi ad potentiam struere. Sic Lipsius inde ab an. 1574. edidit ex ingenio, non ex editione ignobiliore, uti videbatur Ernestio. Nam Lipsius diserte: „Divinans sic restitui, cum in libris esset *vim sibi ad potentiam.*" cf. Not. p. 677. ed. 1574. Codd. MSS. et edd. ante Lipsium omnes: *vim sibi ad potentiam struere*, nisi quod MS. Agr. pro *ad* habet *ac*, quae scriptura non displicebat Lipsio. Suadente I. Fr. Gronovio Ryckius et Iac. Gronovius revocaverant *vim*. *Struere* auctore Festo accipiebant pro *adiicere*. Nam locus M. Catonis apud Festum est: *iure*, *lege*, *libertate*, *re publica communiter uti oportet: gloria atque honore*, *quomodo sibi quisque struxit* h. e. adiecit, paravit. Et potest sane id exemplum in auxilium vocari, ut veterem scripturam defendas, dum recte capias. Nempe *vim sibi ad potentiam struere* tum erit vim sibi parare, qua uti possis ad potentiam obtinendam. Sic Noster An. 3, 36. *ut eo subsidio ad flagitia utatur.* — *Potentiam* intellige eam, quam apud Vespasianum cupiebat Antonius h. e. potentiam principatus. cf. supra 1, 13. Ad talem potentiam haud dubie *vi* opus erat: nam *nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est quam fama potentiae non sua vi nixa.* cf. An. 13, 19. — Non ita apta videtur esse ea explicatio, qua *vim ad potentiam struere* accipiunt pro *vim potentiae adiicere*, augere potentiam. Lipsii scripturam revocarunt Lallemand., Bipont., Oberlin. sqq.

utque licentia militem. Ed. Spir. *ut que licentia militum.*

exitiosius. Ed. Spir. *exitiosus.* MS. Guelf. *exiciosus.*

Cap. 50. *propinqua hieme.* MSS. Corb. et Agr. *propinquante*, idque Muretus voluerat. Frustra.

et e legionibus. Ed. Spir. *a legionibus*, omisso *et*.

Dalmatarum. MS. Guelf. *Sal-*

ducebat Poppaeus Silvanus consularis: vis consiliorum penes Annium Bassum legionis legatum. is Silvanum socordem bello et dies rerum verbis terentem specie obsequii regebat ad omniaque, quae agenda forent, quieta cum industria aderat. Ad has copias e classicis Ravennatibus legionariam militiam poscentibus optimus quisque adsciti: classem Dalmatae supplevere. Exercitus ducesque ad Fanum Fortunae iter sistunt de summa rerum cunctantes, quod motas ex urbe praetorias cohortes audierant et teneri praesidiis Apenninum rebantur. et ipsos in regione bello attrita inopia et seditiosae militum voces terrebant clavarium (donativi nomen est) flagitantium. nec pecuniam aut frumentum providerant: et

matarum. MS. Bud. *Sarmatarum.* Sed inter hos nullus Romanis delectus: et mox Oberlinus ex eodem libro adfert *Dalmatae supplere.* Ed. Spir. *Dalmatorum.*

Poppaeus. Sic edd. Lipsii (1574.) sqq. — *Pompeius* MS. Guelf. edd. ante Lipsium (cum sil. Vict.). cf. not. supr. ad 2, 86.

vis consiliorum. Sic edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *ius consiliorum* MSS. Guelf. Harl. Bodl., vulgari confusione. — *vir: consiliorum* ed. Spir.

terentem. MS. Guelf. *terrentem.*

specie. Ed. Spir. *spem.*

regebat. MS. Guelf. *tegebat.*

ad omniaque, quae agenda forent. MS. Guelf. *omnia quaeque agenda forent.* Ed. Spir. *ad omnia, quae sibi agenda forent.* — Eadem mox *dum industria* pro *cum industria.*

adsciti. Sic MS. Guelf. et editiones veteres (cum silentio Victorii): non *asciti.*

supplevere. MS. Bud. *supplere.* MS. Guelf. *supplevere* habet a sec. manu. Eiusmodi vitia orta sunt in fine versuum, ubi terminatio *ere* deficiente spatio per compendium scribitur.

de summa rerum cunctantes. MS. Guelf. *ad summa rerum cunctantes* (a prima manu *contantes*). Ernestius *cunctantes* explicat deliberantes. Hoc scilicet consequens est: ne tamen putes verbo *cunctari* diserte inesse significatum deliberandi.

in regione bello attrita. Ex emendatione Lipsii, quam ipse in locum recepit (1574.). MSS. et edd. ante Lipsium *in legione*, frequenti confusione. cf. not. ad An. 12, 43. 13, 7. Hist. 2, 74. — Pro *attrita* MS. Bud. fert *attributa*, et ita fuit in Guelf. a prima manu.

clavarium (donativi nomen est). Castalione et Ernestio suadentibus Oberlinus expunxerat verba *donativi nomen est*, tanquam insititia. Bekkerus bene restituit. Non enim omnia eius generis additamenta pro spuriis expungenda reor. Potuit Noster praevidere lectores rerum militarium minus gnaros quam Castalionem, Ernestium aut Oberlinum: nec adeo vulgare est clavarii vocabulum apud scriptores. cf. Dronke ad Agr. c. 7. Ceterum *clavarium* dictum puta a clavis caligaribus, ut *calciarium* Sueton. Vespas. c. 8. a calceis; *unguentarium* Plin. ep. 2, 11, 23. ab un-

festinatio atque aviditas praepediebant, dum, quae accipi poterant, rapiuntur.

LI. Celeberrimos auctores habeo tantam victoribus adversus fas nefasque inreverentiam fuisse, ut gregarius eques occisum a se proxima acie fratrem professus praemium a ducibus petierit. nec illis aut honorare eam caedem ius hominum aut ulcisci ratio belli permittebat. distulerant tanquam maiora meritum quam quae statim exsolverentur: nec quidquam ultra traditur. Ceterum et prioribus civium bellis par scelus inciderat. nam proelio, quo apud Ianiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pompeianus miles fratrem suum, dein cognito facinore seipsum interfecit, ut Sisenna memorat. tanto acrior apud maiores sicut virtutibus glo-

guento. Poscebant clavarii nomine donativum ad clavos caligares comparandos.

dum quae. Ed. Spir. *dumqꝫ.* MS. Guelf. *dumque.*

Cap. 51. *adversus fas nefasque inreverentiam.* H. e. tantam fuisse inreverentiam, ut non vererentur, seu fas sive nefas esset. cf. not. ad Hist. 2, 56. *in omne fas nefasque avidi.*

ius hominum. Ed. Spir. *vis hominum*, vulgari vitio.

distulerant. MS. Reg. *distulerunt*, quod volebant Ursinus et Acidalius. Ernestius falso prodidit Ursinum *distulerunt* vidisse in vulgatis: immo Ursinus diserte dicit *distulerant* esse in vulgatis. Illum decepit vitium, quod Ursini adnotationi inest in ed. Gronoviorum 1672. Sed de tempore *distulerant*, quod tuentur ceteri libri omnes, cf. Ramshorn. Gr. p. 402. 7. Sententia est: *distulerunt et dilatus manebat.* Ita plusquamperfectum contrahit vim imperfecti.

exsolverentur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Reg. Corb. edd. Spir. Lipsii postrema, Pich. Bernegg. sqq. — *exsolverent* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Puteol. sqq. cum ed. Gruteri.

quidquam. Sic MS. Flor. teste Victorio. *quicquam* MS. Guelf. et editiones veteres.

quo apud Ianiculum. MS. Bud. *cum apud Ianic.* Etenim *quo* et *quom* facile permutantur. De re cf. Liv. epit. 79. *Sertorianum militem* nominat Valerius Max. 5, 5, 4., quocum consentit Orosius 5, 19. Intellige militem A. Sertorii, qui tum pro Cinna stetit. cf. Liv. l. l.

adversus Cinnam. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Brot. Oberl. sqq. — *adversum* tacite edd. Rhenan. Ald. sqq.

suum, dein. MS. Guelf. (in margine) ed. Spir. post *suum* interponunt *occidit.*

Sisenna. cf. Herrmann Iustus de fide Tac. p. 16. sqq.

tanto acrior. MS. Ies. *tanto ardore.*

sicut virtutibus. Ita MS. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *quod sicut virtutibus* MSS. Harl. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *quam sicut virtutibus* MSS. Bodl. Ies.

ria ita flagitiis poenitentia fuit. sed haec aliaque ex veteri memoria petita, quotiens res locusque exempla recti aut solatia mali poscet, haud absurde memorabimus.

LII. Antonio ducibusque partium praemitti equites omnemque Umbriam explorari placuit, si qua Apennini iuga clementius adirentur: acciri aquilas signaque et quidquid Veronae militum foret, Padumque et mare commeatibus compleri. Erant inter duces qui necterent moras: quippe nimius iam Antonius et certiora ex Muciano sperabantur. namque Mucianus tam celeri victoria anxius et, ni praesens urbe potiretur, expertem se belli gloriaeque ratus ad Primum et Varum media scriptitabat, instandum coeptis aut rursus cunctandi utili-

flagitiis. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *flagitii* MS. Bud. idque placebat Rhenano et Ernestio. Sed *flagitiis* pendet e verbo *fuit*, ut intelligas poenitentiam cum flagitiis coniunctam, non poenitentiam flagitiorum.

ex veteri. Sic edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhenan. Ald. sqq. — *ex vetere* MSS. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Utraque forma Tacito usurpatur. cf. An. 1, 60. 1, 4. 1, 7. MS. Guelf. per compendium *vetẽ*, unde intelligitur quomodo in talibus varietas scripturae originem ceperit.

petita. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Guelf. Bodl. aliique codd. et edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. et deinde Iac. Gronov. sqq. — *repetita* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. ad Iac. Gronovium.

res locusque. MS. Guelf. *locus resque.*

poscet. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. Bud. edd. Iac. Gronov. sqq. — *poscent* MS. Reg. edd. Spir. Put. sqq. ad Iac. Gronovium. — De cod. Agr. Ernestius falsus est. Nam Ryckius de illo tacet, dum e Flor. affert *poscet*, et cod. Agr. eadem via solet incedere cum ed. Spir.

Cap. 52. *ducibusque.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. edd. Spir. Rhenan. (ut videtur e cod. Bud.) Ald. sqq. — *ac ducibus* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

Apennini. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *Appenini.* MS. Guelf. edd. Puteol. *Apenini.* Edd. Beroald. Alciat. *Apoenini.* Vulgatam scripturam induxit Rhenanus. Sed veteres libri sibi non constant in hoc vocabulo.

necterent. Ed. Spir. *vecterent.*

ex Muciano. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et deinde Pichen. Bernegg. sqq. — *de Muciano* MSS. Bud. Reg. Agr. edd. Spir. Rhenan. Ald. Lips. Grut. — Sed Lipsio magis placebat *ex.*

namque Mucianus. MS. Guelf. *Nanque et Mutianus.*

tam celeri. Ed. Spir. *tam celebri.* Eadem mox *et ĩ praesens.*

scriptitabat. Ernestii latinitas poscebat *scriptitarat.* Sed vid. not. ad An. 12, 32. sub v. *coeptabant.*

tates edisserens, atque ita compositus ut ex eventu rerum adversa abnueret vel prospera agnosceret. Plotium Griphum nuper ab Vespasiano in senatorium ordinem additum ac legioni praepositum ceterosque sibi fidos apertius monuit. iique omnes de festinatione Primi ac Vari sinistre et Muciano volentia rescripsere. quibus epistolis Vespasiano missis effecerat, ut non pro spe Antonii consilia factaque eius aestimarentur.

LIII. Aegre id pati Antonius et culpam in Mucianum conferre, cuius criminationibus eviluissent pericula sua. nec sermonibus temperabat immodicus lingua

edisserens. Ed. Beroald. vitiose *edifferens*, quod Victorius correxit in *edisserens*.

agnosceret. Sic MSS. Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *cognosceret* MSS. Reg. Corb. ed. Spir. — *Vel* abest a MS. Corb.

Griphum. Sic MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. (cum silent. Vict.). — *Griffum* MS. Bud. — *Grifum* ed. Spir.

ab Vespasiano. MS. Reg. et ed. Spir. *a Vespasiano.*

senatorium. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Guelf. Bud. edd. Spir. Lipsii postrema, Pich. Bernegg. sqq. — *senatorum* MS. Reg. edd. Put. sqq. ad Pichenam. De reliquis codd. ita tacetur, ut videantur conspirare in receptam scripturam.

iique omnes. MS. Guelf. et ed. Spir. *hique omnes.*

sinistre. MS. Guelf. et ed. Spir. *sinistrae.*

et Muciano. Ed. Spir. *ut Muciano.*

volentia. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Corb. edd. ante Rhenanum (cum sil. Vict.) et postea Lipsii (1574.) sqq. — *volenti* MSS. Bud. Agr. edd. Rhen. Ald. sqq. — Sed Lipsius veterem scripturam bene restituit. cf. An. 15, 36. ibique not. Sallust. Iug. c. 84.

rescripsere. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Harl. Bodl. Ies. Guelf. Corb. Agr. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alciat. et deinde Pich. Bernegg. sqq. — *scripsere* MS. Bud. edd. Rhenan. Ald. Lips. Grut. — *rescribere* ed. Spir.

Vespasiano. MS. Guelf. praeponit *d'* (h. e. *de*).

ut non pro spe. MS. Guelf. et ed. Spir. *ut non prospere.*

consilia factaque eius. MS. Bud. omittit *consilia* legitque *aut facta eius:* Guelf. id vocabulum addit in margine.

aestimarentur. Sic edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *existimarentur* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. — *extimarentur* ed. Spir. cf. not. ad An. 13, 17.

Cap. 53. *id pati.* MS. Corb. non habet *id.*

eviluissent. Sic edd. Ryck. Iac. Gronov. sqq. suadente Freinshemio et duce MS. Flor., in quo est *euiluissint* (test. Ryck. et Iac. Gron.). Victorius intactum reliquit *coaluissent*, quod legitur in MSS. Guelf. Harl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Ryckium. — *coaluisset* MS. Bud. — *luissent* MSS. Reg. Agr. ed. Spir.

pericula sua. cf. not. ad An. 2, 40.

lingua. Sic codd. MSS. et edd. ante Lipsium, qui tamen ex priore quadam fortasse editione ann. 1574. sqq. dedit *linguae.* Pichena *lin-*

et obsequii insolens. litteras ad Vespasianum composuit iactantius quam ad principem nec sine occulta in Mucianum insectatione: se Pannonicas legiones in arma egisse: suis stimulis excitos Moesiae duces: sua constantia perruptas Alpes, occupatam Italiam, intersepta Germanorum Raetorumque auxilia. quod discordes dispersasque Vitellii legiones equestri procella, mox peditum vi per diem noctemque fudisset, id pulcherrimum et sui operis. casum Cremonae bello imputandum. maiore damno, plurium urbium excidiis veteres civium discordias rei publicae stetisse. non se nuntiis neque epistolis sed manu et armis imperatori suo militare. neque officere gloriae eorum qui Asiam interim composuerint. illis Moesiae pacem, sibi salutem securitatemque Italiae cordi fuisse. suis exhortationibus Gallias Hispaniasque, validissimam terrarum partem, ad Vespasianum conversas. sed cecidisse in inritum labores, si praemia periculorum soli adsequantur, qui periculis non adfuerint. Nec fefellere ea Mucianum. inde graves simultates, quas Antonius simplicius, Mucianus callide eoque implacabilius nutriebat.

LIV. At Vitellius fractis apud Cremonam rebus nuntios cladis occultans, stulta dissimulatione remedia potius malorum quam mala differebat. quippe confitenti consultantique supererant spes viresque: cum e contra-

gua reposuit. Sic cap. 58. *largus promissis.* cf. not. ad 6, 30. sub *vv. modicus severitate.*

intersepta. MS. Guelf. *intercepta.* Sed cf. supr. c. 8. *et interiectus exercitus* etc.

Raetorumque. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. *Rhetorumque.* Ed. Spir. *rethorumque.* Edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhenan. sqq. *Rhaetorumque.* Sed vid. not. ad An. 1, 44.

Cremonae, Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. — *Cremonensi* MSS. Reg. Corb. Harl. (a secunda manu) ed. Spir. — Hinc emendandi causa MS. Agr. *Cremonensium.*

non se nuntiis. Ed. Spir. non habet *se.*

neque epistolis. MS. Guelf. *epistolisque* (omisso *neque*).

exhortationibus. Ed. Spir. *exortationibus.*

in inritum. Sic MS. Flor. teste Victorio. *in irritum* MS. Guelf. et edd. veteres.

adfuerint. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *affuerint* edd. Put. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. — *affuerunt* MS. Reg.

rio laeta omnia fingeret, falsis ingravescebat. mirum apud ipsum de bello silentium: prohibiti per civitatem sermones, eoque plures, ac si liceret, vere narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgaverant. Nec duces hostium augendae famae deerant captos Vitellii exploratores circumductosque, ut robora victoris exercitus noscerent, remittendo: quos omnes Vitellius secreto percunctatus interfici iussit. Notabili constantia centurio Iulius Agrestis post multos sermones, quibus Vitellium ad virtutem frustra accendebat, perpulit, ut ad vires hostium spectandas, quaeque apud Cremonam acta forent, ipse mitteretur. nec exploratione occulta fallere Antonium tentavit, sed mandata imperatoris suumque animum professus, ut cuncta viseret, postulat. missi qui locum proelii, Cremonae vestigia, captas legiones ostenderent. Agrestis ad Vitellium remeavit, ab-

Cap. 54. *ingravescebat.* Sc. Vitellius. Pro exemplo Oberlinus apte adfert locum Cicer. de Senect. c. 11. *corpora defatigatione ingravescunt.* Sed aptissimum exstat apud Plin. ep. 2, 20. ubi de Verania Pisonis uxore graviter iacente leguntur haec: *Mox ingravescit, clamat moriens* etc. Igitur *ingravescebat Vitellius* h. e. *es wurde schlimmer mit ihm.* Ernestius ad *ingravescebat* non satis recte intelligebat *malum.* Idem suspicabatur legendum *ingravescebant* sc. mala.

apud ipsum. MS. Guelf. *apud ipsos.*

vere narraturi. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. et nuper Bipont. Oberlin. sqq. Si recte vidi, idem editioni Beroaldi inest: Broterius tamen testatur ibi legi *vera narraturi*, quod ferunt edd. Alc. Rhenan. Ald. sqq. ad Bipontinum. cf. c. 56. *vera dicturis.* — *vere narranti* MS. Reg. ed. Spir. — *vere narratum* MS. Bud. — *vera narrare* MSS. Corb. Agr. — Bene se habet *vere*, intellige *facta*, ut opponantur *vere narraturi falso narraturis* sive factis atrociora vulgantibus.

quos omnes. Sic edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *quos omnis* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — MS. Guelf. habet compendium *oms.*

secreto. Ed. Spir. *secrete.*

notabili constantia etc. Savilius ad h. l. „Suetonius Oth. c. 10. et post eum Zonaras Othoni id tribuit in priore bello, circumstantiis modice discrepantibus." Immo non idem, sed simile quid Suetonius l. l. Othoni tribuit. Vid. ib. Baumgarten-Crusius. Ceterum ed. Spir. pro *notabili* habet *notabilis.*

ut ad vires. MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. sqq. negligunt particulam *ut*, quam Lipsius (1607.), Pich. Grut. sqq. restituere e MS. Flor., consentientibus MS. Guelf. aliisque codd. et edd. Spir. Put. Beroald. Alc.

acta forent. Ed. Spir. *facta forent.* Eadem *mitteret* pro *mitteretur.*

nuentique vera esse quae adferret, atque ultro corruptum arguenti „quandoquidem" inquit „magno documento opus est, nec alius iam tibi aut vitae aut mortis „meae usus, dabo cui credas." atque ita digressus voluntaria morte dicta firmavit. quidam iussu Vitellii interfectum; de fide constantiaque eadem tradidere.

LV. Vitellius ut e somno excitus Iulium Priscum et Alphenum Varum cum quattuordecim praetoriis cohortibus et omnibus equitum alis obsidere Apenninum iubet. secuta e classicis legio. Tot millia armatorum, lecta equis virisque, si dux alius foret, inferendo quoque bello satis pollebant. Ceterae cohortes ad tuendam urbem L. Vitellio fratri datae. ipse nihil e solito luxu remittens et diffidentia properus festinare comitia, quibus consules in multos annos destinabat: foedera sociis, Latium externis dilargiri: his tributa dimittere, alios immunitatibus iuvare: denique nulla in posterum cura lacerare imperium. sed vulgus ad magnitudinem bene-

quae adferret. Sic (sive *afferret*) MSS. Flor. (test. Ryck. et Iac. Gronov.) Guelf. Agr. codd. Broterii, Reg. (test. Lallemand.) et edd. ante Rhenanum (cum silent. Vict.). Rhenanus e MS. Bud. ediderat *referret*, quod duravit usque ad Ryckium, qui veterem scripturam restituit. MS. Ies. *afferrent.*

opus est. Sic MSS. et ed. Spir. — Puteolanus omiserat *est:* restituit Rhenanus e MS. Bud.

CAP. 55. *cum quattuordecim.* Ed. Spir. non habet praepositionem *cum.*

secuta e classicis legio. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. — MS. Guelf. *sequuta* (sic ille liber constanter) *est classicis legio.* Nimirum librarius praepositionem *e* accepit pro compendio ē (h. e. *est*). MS. Reg. ed. Spir. *secutae classicis legio*, unde facta est scriptura MSS. Agr. et Corb. *secutae classicae legiones.*

lecta equis virisque. Ed. Spir. *lectae quis virosque.* Eadem *exolito* pro *e solito*, *differentius* pro *diffidentia.*

si dux alius foret. Sic MSS. et edd. ante Rhenanum, qui e Bud. ediderat *si alius dux foret.* Priorem verborum ordinem Ryckius restituit.

externis. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *ternis.*

dimittere. H. e. plane liberavit illos a tributis pendendis; contra *remittere* est unam alteramve pensionem vel pensionis partem condonare, ut tamen tributarii maneant.

cura. MS. Reg. et ed. Spir. *curare.*

ficiorum aderat: stultissimus quisque pecuniis mercabatur: apud sapientes cassa habebantur, quae neque dari neque accipi salva re publica poterant. Tandem flagitante exercitu, qui Mevaniam insederat, magno senatorum agmine, quorum multos ambitione, plures formidine trahebat, in castra venit incertus animi et infidis consiliis obnoxius.

LVI. Concionanti (prodigiosum dictu) tantum foedarum avium supervolitavit, ut nube atra diem obtenderent. accessit dirum omen profugus altaribus taurus, disiecto sacrificii apparatu longe nec ubi feriri hostias mos est confossus. Sed praecipuum ipse Vitellius ostentum erat, ignarus militiae, improvidus consilii, quis

aderat. Sic MSS. Guelf. Agr. (puto et Oxonn., quia Broterius de iis tacet) edd. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — Pichena in Flor. vidit *haberat*, et MSS. Bud. Reg. ed. Spir. ferunt *aberat.* I. Fr. Gronovius coniecit *hiabat*, quod Bipont. perperam receperunt. Oberlinus sqq. maluere *aderat*, quo vix melius aliquid inveniri poterit.

pecuniis. Hoc a cod. Agr. abest.

Mevaniam. Ed. Spir. *Menaniam*, vitiose. Rhenanus auctoritate cod. Bud.? deleverat *qui*; reddidit Lipsius e libris suis, cum quibus ceteri omnes consentiunt.

Cap. 56. *foedarum avium.* Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. — *foedarum volucrum* MSS. Corb. Bodl. (in marg.) edd. Spir. Lips. (1574.) Pich. sqq. Utrumque recte et promiscue dicitur. Sed hic displicent duo vocabula eiusdem stirpis iuxta posita: *volucrum supervolitavit.*

ut nube atra diem obtenderent. Sic MSS. Flor. (test. Ryck.) Vatic. (test. Lips.) Guelf. (a secunda manu) Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et Lips. (1574.) sqq. — *obtunderent* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. — *ut nube radium obtenderent* MSS. Reg. Agr. Corb. ed. Spir. — Vulgatam scripturam Lipsius restituit, defenditurque eadem exemplis Virgil. Georg. 1, 248. *obtenta densantur nocte tenebrae*; Silii 10, 228. *obtendit pulvere lucem.* Cic. ad Q. Fr. ep. 1, 5. *velis quibusdam obtenditur uniuscuiusque natura.* Senec. Oed. 625. *paedore foedo squalidam obtentus comam.* Contra Tacitus supr. c. 36. *curis luxum obtendebat.* cf. Gronov. ad Liv. 1, 57.

nec ubi feriri. Ex emendatione Lipsii, quam ipse in locum recepit et Pich. Grut. sqq. At pridem Victorius eandem emendationem suaserat in exemplari suo Beroaldino. Nimirum MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryck.) Vatic. (test. Lips.) Agr. ed. Spir. ferunt *ne cui feriri* (sed cod. Agr. pergit *feriri posset: mox est confossus*). — MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Micyll. (1557.) *longe quam ubi feriri* etc. — MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. *longe, ubi feriri* etc. — Deinde ed. Spir. pro *mos* habet *mox*, et *confessus* pro *confossus*. MS. Guelf. post *confossus* alterum addit *est.*

ostentum erat. Ed. Spir. *ostentui erat*, quod vitium originem traxit e compendio *ostentū*. Eadem mox *consiliis* pro *consilii.* Vo-

ordo agminis, quae cura explorandi, quantus urgendo trahendove bello modus, alios rogitans et ad omnes nuntios vultu quoque et incessu trepidus, dein temulentus. postremo taedio castrorum et audita defectione Misenensis classis Romam revertit recentissimum quodque vulnus pavens, summi discriminis incuriosus. nam cum transgredi Apenninum integro exercitus sui robore et fessos hieme atque inopia hostes adgredi in aperto foret, dum dispergit vires, acerrimum militem et usque in extrema obstinatum trucidandum capiendumque tradidit, peritissimis centurionum dissentientibus et, si consulerentur, vera dicturis. arcuere eos intimi amicorum Vitellii ita formatis principis auribus, ut aspere quae utilia, nec quidquam nisi iucundum et laesurum acciperet.

LVII. Sed classem Misenensem (tantum civilibus discordiis etiam singulorum audacia valet) Claudius Faventinus centurio per ignominiam a Galba dimissus ad defectionem traxit fictis Vespasiani epistolis pretium pro-

cabulum *modus* ibi deest. Pro *dein* legitur *deinde*.

Misenensis. Sic edd. Spir. Alc. Rhen. sqq. — *Missenensis* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) hic et cap. 57. ab initio.

recentissimum. Ed. Spir. *recentissimo*.

fessos. MS. Guelf. *fesso*.

adgredi. MS. Corb. *aggrediendi*. Mox ibi deficit *et* ante *usque*.

in extrema. Ed. Spir. *ad extrema*.

arcuere. Ex emendatione Lipsii, quam ipse in locum recepit an. 1574. Codd. MSS. et edd. ante Lipsium *arguere*. cf. not. ad An. 3, 72., ubi idem vitium sustulit idem Lipsius. Drakenborch. ad Liv. 6, 25.

ut aspera quae utilia. Sic MSS. et edd. vett. (nisi quod Spir. negligit *quae*) et recentt. usque ad Bip. et Oberlin., qui sine librorum auctoritate maluerunt *ut aspere* etc. Sed hoc non dicit scriptor. Immo docet Vitellii aures ita fuisse formatas, ut aspera iis essent quae utilia: quare ipsum nonnisi iucunda accepisse (*erfahren*), quia amici parcerent Vitellii auribus. Disputavit pro restituenda veteri scriptura etiam Ramshorn. in Progr. 1826. p. 9. — Faërnus et Acidalius frustra volebant *acciperent*.

iucundum et laesurum. Vid. not. ad An. 1, 13. sub vv. *avidum et minorem*. Ed. Spir. nugatur: *nequaq̃ iniocundum et lesurum*. Formam *iocundum* habent etiam MS. Guelf. edd. Put. V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. sqq. — *iucundum* edd. Put. M. et Ernest. Brot. sqq.

CAP. 57. *etiam singulorum*. MS. Guelf. *et singulorum*.

Faventinus. Ed. Spir. *fauentius*.

ditionis ostentans. praeerat classi Claudius Apollinaris neque fidei constans neque strenuus in perfidiam. et Apinius Tiro praetura functus ac tum forte Minturnis agens ducem se defectoribus obtulit. a quibus municipia coloniaeque impulsae, praecipuo Puteolanorum in Vespasianum studio, contra Capua Vitellio fida, municipalem aemulationem bellis civilibus miscebant. Vitellius Claudium Iulianum (is nuper classem Misenensem molli imperio rexerat) permulcendis militum animis delegit. data in auxilium urbana cohors et gladiatores, quibus Iulianus praeerat. Ut collata utrimque castra, haud magna cunctatione Iuliano in partes Vespasiani transgresso Tarracinam occupavere moenibus situque magis quam ipsorum ingenio tutam.

LVIII. Quae ubi Vitellio cognita, parte copiarum Narniae cum praefectis praetorii relicta L. Vitellium fratrem cum sex cohortibus et quingentis equitibus ingruenti per Campaniam bello opposuit. ipse aeger animi studiis militum et clamoribus populi arma poscentis re-

strenuus in perfidiam. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. — *strenuus in perfidia* edd. Spir. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. ad hunc diem. Sed praestat haud dubie illa scriptura, quam in locum recipio: nam Tacitus id sibi vult hominem, quanquam fidei quidem non constantem, tamen non ita strenuum fuisse, ut auderet ire in perfidiam h. e. neque strenuus in perfidiam.

Apinius. Ed. Spir. et MSS. Reg. Agr. *aponius* et cap. 76. eadem ed. Spir. *Opinius* et cod. Agr. *Apinius.* MS. Bud. *Aprimus.* — Pro *Tiro* MS. Guelf. *Tyro*, et ita plures libri c. 76. Mox ed. Spir. nugatur: *actum fortem in turmis agens.*

defectoribus. MS. Bud. *interfectoribus.*

praecipuo Puteol. in V. studio. Sic edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *praecipue* MSS. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. — In ed. Oberl. per lapsum operarum venit *studia* pro *studio*, idque vitium ab aliis propagatum est, etiam a Naudeto.

miscebant. MS. Guelf. *miscebat.*

militum animis. Ed. Spir. *animis militum.*

ut collata. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum aliis) Guelf. et ceteri codd. MSS. et edd. Spir. Put. M. Rhen. Ald. sqq. — *et collata* edd. Put. V. Beroald. Alc.

in partes. MS. Guelf. *impartis* (sic *imptis*).

ipsorum. Intellige ipsos, qui in partes Vespasiani transgressi erant. Ryckius et Ernestius non satis recte intelligebant Tarracinenses.

Cap. 58. *Quae ubi Vit.* MS. Bud. negligit *ubi.*

Narniae. Ed. Spir. *Narine.* Eadem mox *praetoriis* pro *praetorii*; deinde cum MS. Corb. *equitibus quingentis.*

fovebatur, dum vulgus ignavum et nihil ultra verba ausurum falsa specie exercitum et legiones appellat. hortantibus libertis (nam amicorum eius quanto quis clarior, minus fidus) vocari tribus iubet. dantes nomina sacramento adigit. superfluente multitudine curam delectus in consules partitur. Servorum numerum et pondus argenti senatoribus indicit. equites Romani obtulere operam pecuniasque etiam libertinis idem munus ultro flagitantibus. Ea simulatio officii a metu profecta verterat in favorem. ac plerique haud perinde Vitellium quam casum locumque principatus miserabantur. nec deerat ipse vultu, voce, lacrimis misericordiam elicere, largus promissis et, quae natura trepidantium est, immodicus. quin et Caesarem se dici voluit aspernatus antea, sed tunc superstitione nominis et quia in metu consilia prudentium et vulgi rumor iuxta audiuntur. Ceterum

specie. Ed. Spir. per compendium *spē.*

exercitum et legiones. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *exercitus et legiones* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. sqq. ad Pichenam.

dantes nomina. Sic MS. Corb. edd. Spir. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *data nomina* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. — *dat nomina* MS. Bud., unde Rhenanus volebat fieri *dant nomina*, *sacramento adigit.* Sed recepta scriptura bene se habet, et si displiceret, mallem *data nomina* quam Rhenani emendationem.

indicit. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. aliique codd. MSS. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *inducit* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

pecuniasque. MS. Bud. ed. Lallemand. *pecuniamque.*

etiam libertinis. MS. Guelf. *et libertinis.*

officii a metu profecta. Ex emendatione Ernestii, qua nihil verius esse videtur et quam confirmat cod. Bodl. test. Gronovio et Broterio. Edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. sqq. ad Ernestium *officia metu profecta*, et ita MSS. Guelf. (a secunda manu) Harl. Ies. — *officia metu profecto* MS. Reg. ed. Spir. Mendum librorum inde traxit originem, quod per contractionem scriptum fuit *offici* pro *officii.*

ac plerique. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir., unde in locum recipio. — *at plerique* MS. Corb. — *et plerique* (sive *plaerique*) MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. Alc. sqq. ad hunc diem.

haud perinde. Ed. Spir. *haud provide.* Mox pessima est plenior interpunctio, quam edd. Oberl. sqq. admittunt post *ipse.* Immo *elicere* pendet e verbo *deerat.* Similia sunt An. 4, 38. *perstitit aspernari*; 6, 2. *orabat deligere*; 11, 9. *pepigere .... ulcisci.* cf. not. ad Hist. 4, 1. *nec deerat ... prodere.*

superstitione. Ed. Spir. et MS. Agr. *pro superstitione.*

et vulgi. MS. Guelf. *nō vulgi* (h. e. *non vulgi*).

ut omnia inconsulti impetus coepta initiis valida spatio languescunt, dilabi paulatim senatores equitesque, primo cunctanter et ubi ipse non aderat, mox contemptim et sine discrimine, donec Vitellius pudore inriti conatus, quae non dabantur, remisit.

LIX. Ut terrorem Italiae possessa Mevania ac velut renatum ex integro bellum intulerat, ita haud dubium erga Flavianas partes studium tam pavidus Vitellii discessus addidit. erectus Samnis Pelignusque et Marsi aemulatione, quod Campania praevenisset, ut in novo obsequio ad cuncta belli munia acres erant. Sed foeda hieme per transitum Apennini conflictatus exercitus et vix quieto agmine nives eluctantibus patuit, quantum

contemptim et sine discrimine. Ex emendatione Pichenae, quam ipse Lipsio adplaudente in locum recepit, et ad quam praeivit MS. Flor., in quo (test. Vict. cum Pich.) scriptum est *mox contempti mestine discrimine.* Prope accedit Corb. *contempti moestive.* Ante Pichenam vulgabantur haec: *mox conterriti maestive discrimine*, quae habentur in MSS. Bodl. Bud. edd. Put. Ber. Alc. sqq. — *mox contriti moestive discrimine* MSS. Guelf. Harl. Ies. — *contenti moestive discrimine* MSS. Reg. Agr. ed. Spir. — Frustra post Pichenam in loco emendando laboravit Trillerus in Observv. cr. 14, 2. p. 311., qui vult: *contente* vel *confertim positoque discrimine*; vel *conferti mistique sine discrimine*; vel *mox contenta maiestate sine discrimine.* Sed non quaeritur, quae verba hic locus toleret: immo quid Tacitus scripserit. De vocabulo *contemptim* cf. not. ad c. 47.

remisit. MS. Bud. et inde edd. Rhenan. Ald. Lips. *omisit.* Micyll. (1557.) retinuit *remisit:* in margine posuit *omisit.* Pichena veterem scripturam restituit e MS. Flor., cum quo ceteri libri consentiunt. Idem Rhenanus recepto verbo *omisit* porro emendabat *quae nuntiabantur* pro *quae non dabantur.*

Cap. 59. *possessa.* cf. not. ad An. 2, 5. sub vv. *promptam ipsis possessionem.* Mox ed. Spir. *ega* pro *erga.*

discessus. MS. Guelf. *dissessus*, unde cognoscas, quam proni fuerint veteres permutare *sc* et *ss.* Eadem permutatio est in *dissidium*, quod libri vett. sexcenties suppeditant pro *discidium.* cf. not. ad An. 2, 86.

erectus Samnis. Sic MS. Flor. (test. Pich.) edd. Spir. Pich. Gruter. sqq. — Victorio intactum mansit *ereptus*, quod exstat in MSS. Guelf. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Ber. Alc. Rhen. Ald. Lips. Quare conicio illud vocabulum in Flor. ambigue scriptum. cf. infr. c. 65. *haud quaquam erecto animo eas voces accipiebat.* An. 3, 7. *erectis omnium animis.* Vid. ib. not.

quod Campania praevenisset. MS. Guelf. *quod campaniā praevenissent.*

nives eluctantibus. Sic edd. Rhen. sqq. e MS. Bud., ubi est *nive se luctantibus*, uti in Harl. Bodl. Ies. — Ante Rhenanum edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et MS. Guelf. *nive se eluctantibus.* Ed. Spir. totum locum habet ita: *ut vix quieto agmine minie se luctantibus* etc. De veritate emendationis a Rhenano profectae vix

discriminis adeundum foret, ni Vitellium retro fortuna vertisset, quae Flavianis ducibus non minus saepe quam ratio adfuit. obvium illic Petilium Cerialem, habuere agresti cultu et notitia locorum custodias Vitellii elapsum. Propinqua adfinitas Ceriali cum Vespasiano nec ipse inglorius militiae, eoque inter duces adsumptus est. Flavio quoque Sabino ac Domitiano patuisse effugium multi tradidere. et missi ab Antonio nuntii per varias fallendi artes penetrabant locum ac praesidium monstrantes. Sabinus inhabilem labori et audaciae valetudinem causabatur: Domitiano aderat animus, sed custodes a Vitellio additi, quanquam se socios fugae promitterent, tanquam insidiantes timebantur. atque ipse Vitellius respectu suarum necessitudinum nihil in Domitianum atrox parabat.

LX. Duces partium ut Carsulas venere, paucos ad requiem dies sumunt, donec aquilae signaque legionum adsequerentur. et locus ipse castrorum placebat late prospectans, tuto copiarum adgestu, florentissimis pone tergum municipiis. simul colloquia cum Vitellianis decem millium spatio distantibus et proditio sperabatur. Aegre id pati miles, et victoriam malle quam pacem. ne

dubitabis. cf. Tac. Agr. c. 17. *difficultates eluctatus.* Plin. ep. 8, 8. de fonte: *eluctatus, quem facit, gurgitem.* Virg. Georg. 2, 244. *aqua eluctabitur omnis.*

adfuit. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *affuit* MS. Guelf. edd. Put. Ber. sqq.

Petilium. Ed. Spir. *Petillium.*

notitia locorum. MS. Bud. (test. Rhen.) *noctu locorum.*

custodias Vitellii elapsum. cf. not. ad An. 5, 10.

adfinitas. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *affinitas* MS. Guelf. editiones veteres.

adsumptus. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *assumptus* MS. Guelf. editiones veteres.

Flavio. MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. ed. Spir. *Flaviano.* cf. infr. c. 68. et 69.

ac Domitiano. Sic edd. Spir. Rhenan. sqq. — *et Domitiano* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

tradidere. MS. Agr. *prodidere.*

additi. Ed. Spir. *abditi.*

Cap. 60. *dies sumunt.* Ed. Spir. *sumunt dies.*

adgestu. Ed. Spir. *adgestū.*

pone tergum. MS. Bud. *post tergum.*

spatio. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Lips. sqq. — *spacio* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald.

sperabatur. MS. Guelf. *sperebatur*, in quod vitiorum genus iste liber satis inclinat.

suas quidem legiones opperiebantur ut praedae quam periculorum socias. vocatos ad concionem Antonius docuit esse adhuc Vitellio vires, ambiguas si deliberarent, acres si desperassent. initia bellorum civilium fortunae permittenda, victoriam a consiliis et ratione proficisci. Iam Misenensem classem et pulcherrimam Campaniae oram descivisse, nec plus e toto terrarum orbe reliquum Vitellio quam quod inter Tarracinam Narniamque iaceat. satis gloriae proelio Cremonensi partum et exitio Cremonae nimium invidiae, ne concupiscerent Romam capere potius quam servare. maiora illis praemia et multo maximum decus, si incolumitatem senatui populoque Romano sine sanguine quaesissent.

LXI. His ac talibus mitigati animi. nec multo post legiones venere. Et terrore famaque aucti exercitus Vitellianae cohortes nutabant, nullo in bellum ad-

ut praedae. MSS. Agr. et Corb. addunt *potius*, quod in ceteris libris elegantius omittitur. Bipontini frustra volunt *ut praedae, quomodo periculorum socias.* Immo iudicabant illi parum periculorum superesse, nec opus legionibus, quae, cum advenissent, praedae potius quam periculorum sociae forent.

socias. MS. Corb. ed. Spir. *socios*, nulla distinctione ante *vocatos* posita.

esse adhuc. MS. Guelf. *adhuc esse.*

acres, si. Ed. Spir. *acies; si*, nulla distinctione posita ante *initia.*

victoriam a consiliis et ratione proficisci. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc., nisi quod cod. Guelf. addit alterum *a* ante *ratione.* — Edd. Rhen. Ald. omittunt *a* utroque loco. — *victoriam consiliis et ratione profici* MSS. Lipsii, Reg. Corb. ed. Spir., neglecta in verbo media syllaba et absorpta praepositione a vocabulo *victoriā*. Lipsius tamen maluit *profici* mutare in *perfici.* Revoco veterem scripturam sine omni mutatione salvam et egregiam. Sic Cic. Off. 1, 7: *iniuriae saepe a metu proficiscuntur.*

et pulcherrimam. Ed. Spir. *ac pulcherrimam.* Eadem *nariniamque* pro *Narniamque* (cf. not. ad c. 58.) et mox *partium et exitium* pro *partum et exitio.*

invidiae, ne concupiscerent. Ita locus interpungendus erat e vett. edd. et MS. Guelf. Nam verba *ne concupiscerent* pendent e praecedenti *nimium*, quo enuntiatur ratio, cur non concupiscant etc. Vulgo plenius interpungunt post *invidiae.* Ed. Spir. habet *nec* pro *ne* traxitque illud *e* a verbo sequenti. Cohortatio ab hoc loco aliena est.

Cap. 61. *his ac talibus.* Sic MSS. et edd. veteres. — *his et talibus* edd. Lips. Pich. Grut. sqq. ad Oberlinum, qui *ac* restituit. MSS. Ies. et Corb. *his atque talibus.* cf. not. ad Hist. 1, 16.

mitigati. MS. Guelf. *mitiganti.*

nutabant. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. —

hortante, multis ad transitionem, qui suas centurias turmasque tradere, donum victori et sibi in posterum gratiam, certabant. Per eos cognitum est Interamnam proximis campis praesidio quadringentorum equitum teneri. missus extemplo Varus cum expedita manu paucos repugnantium interfecit: plures abiectis armis veniam petivere: quidam in castra refugi cuncta formidine implebant augendo rumoribus virtutem copiasque hostium, quo amissi praesidii dedecus lenirent. nec ulla apud Vitellianos flagitii poena: et praemiis defectorum versa fides ac reliquum perfidiae certamen. crebra transfugia tribunorum centurionumque. nam gregarius miles induruerat pro Vitellio, donec Priscus et Alphenus desertis castris ad Vitellium regressi pudore proditionis cunctos exsolverent.

LXII. Iisdem diebus Fabius Valens Urbini in custodia interficitur. caput eius Vitellianis cohortibus ostentatum, ne quam ultra spem foverent. nam pervasisse in Germanias Valentem et veteres illic novosque exercitus ciere credebant. visa caede in desperationem

nuntiabant edd. Spir. Beroald. (cum silentio Victorii).

tradere ... certabant. MS. Reg. et ed. Spir. *tradidere ... certabant.* Gruterus probat *tradidere*, insititiumque putat *certabant.* Sed non video quid displiceat in vulgata scriptura. De ratione verborum: *donum victori et sibi in posterum gratiam* cf. not. ad Hist. 1, 44. *munimentum ad praesens* etc. Hist. 4, 18. *hortamenta victoriae vel pulsis pudorem.*

quadringentorum. Ed. Spir. *quadrigentorum.*

extemplo. Edd. Put. M. et V. Alc. *exemplo*, vitiose.

Varus. MS. Guelf. *uerus.* Littera *e* est a secunda manu. Idem liber *ammissi* pro *amissi.* MS. Ies. *praemii* pro *praesidii.*

flagitii poena. Ed. Spir. *flagiciis poena.*

versa fides. MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Corb. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Spir. exhibent *verba fides* (Flor. test. Pich. *ũba fides*). — *vera fides* MS. Agr. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. Quae utraque scriptura quum parum apta videretur, Berneggerus, Gronovii (1672.) et Iac. Gronov. sqq. e Freinshemii coniectura ediderunt *versa fides*, sententia satis idonea.

induruerat. MS. Corb. *induraverat.* cf. not. ad 2, 46.

Alphenus. MS. Flor. (test. Vict.) *Alfenus*, ut supra.

exsolverent. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *exolverent* MS. Guelf. et edd. veteres. — *exsolvere* MS. Corb.

CAP. 62. *Iisdem diebus.* Ed. Spir. *isdem diebus.* Eadem mox cum cod. Corb. *in custodia urbini.* Deinde *persuasisse in germania.*

versi. et Flavianus exercitus immane quantum animo exitium Valentis ut finem belli accepit. Natus erat Valens Anagniae equestri familia: procax moribus neque absurdus ingenio, famam urbanitatis per lasciviam petere. ludicro iuvenalium sub Nerone velut ex necessitate, mox sponte mimos actitavit scite magis quam probe. legatus legionis et fovit Verginium et infamavit. Fonteium Capitonem corruptum, seu quia corrumpere nequiverat, interfecit. Galbae proditor: Vitellio fidus et aliorum perfidia inlustratus.

LXIII. Abrupta undique spe Vitellianus miles transiturus in partes id quoque non sine decore, sed sub signis vexillisque in subiectos Narniae campos descendere. Flavianus exercitus ut ad proelium intentus ornatusque densis circa viam ordinibus adstiterat. accepti

immane quantum animo. Ed. Spir. et MS. Reg. *animae.* Acidalius addebat *auctus.* Frustra. Nam *animus* haud raro ponitur pro adfectu animi h. e. pro alacri et cupido animo. cf. An. 2, 80. *sed non animus, non spes* etc. An. 4, 51. *earumque lamenta addunt animos.* An. 5, 7. *animus erat singulos adloqui.*

accepit. MS. Guelf. *accipit.*

Anagniae. Ed. Spir. *Anaginae.*

neque absurdus ingenio. MS. Guelf. *nec* etc. Oberlinus ad h. l. apte laudat Sallust. Cat. c. 26. Tac. An. 13, 45. *absurdum ingenium.*

iuvenalium. Ex emendatione Lipsii, quam ipse in locum recepit ann. 1574. — MSS. et edd. ante Lipsium *iuvenum*, quod fuisse mutandum valde dubito Nam eadem inest vis. De re cf. An. 14, 15.

et fovit Verginium. Ed. Spir. *et fovet Virginium.*

corruptum. Edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Ald. sqq. *in proditionem corruptum.* At Pichena additamentum illud in MS. Flor. non vidit delevitque. Abest etiam a MSS. Bud. Guelf. aliisque et edd. ante Beroaldum. — MS. Corb. habet *in proditionem*, neglecto vocabulo *Capitonem.*

inlustratus. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *illustratus* MS. Guelf. edd. veteres.

Cap. 63. *transiturus.* MS. Guelf. *transituru͂.*

non sine decore. Sic MSS. Flor. (test. Ryck.) Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. et nuper Bip. Oberl. sqq. — *non sine dedecore* MSS. Bud. Agr. edd. Rhen. Alc. sqq. ad Bipont., e malo emendandi studio. Nam qui sub signis vexillisque transeunt, cum decore potius quam dedecore transire dicendi sunt, nec aliud poscit particula *sed.* Militem Vitellianum hucusque semper vidimus agere cum decore et a flagitio alienum. Sic c. 61. inter crebra transfugia tribunorum centurionumque gregarius miles in fide mansit proque Vitellio stetit. Quare et nunc abrupta undique spe in partes non sine decore transiit. Per scripturam *dedecore* totus locus inconcinnus evadit. — Mox ed. Spir. *Narniae* cum ceteris libris, quum supra variaret.

intentus ornatusque. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. edd. Put.

in medium Vitelliani. et circumdatos Primus Antonius clementer adloquitur. pars Narniae, pars Interamnae subsistere iussi. relictae simul e victricibus legiones neque quiescentibus graves et adversus contumaciam validae. Non omisere per eos dies Primus ac Varus crebris nuntiis salutem et pecuniam et secreta Campaniae offerre Vitellio, si positis armis seque ac liberos suos Vespasiano permisisset. In eundem modum et Mucianus composuit epistolas: quibus plerumque fidere Vitellius ac de numero servorum, electione litorum loqui. tanta torpedo invaserat animum, ut, si principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse oblivisceretur.

LXIV. At primores civitatis Flavium Sabinum praefectum urbis secretis sermonibus incitabant, victoriae famaeque partem capesseret. esse illi proprium militem cohortium urbanarum: nec defuturas vigilum cohortes, servitia ipsorum, fortunam partium et omnia

M. et V., dein Pich. Bernegg. sqq. — Victorius intactum reliquit *armatusque*, quod exstat in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Beroald. Alc. sqq. ad Pichenam, et ita ediderunt Ernestius et Broterius. Suspicor in cod. Flor. vocabulum ambigue scriptum. Utraque scriptura apta est. Ernestius quidem desiderat locum, in quo *ornatus* simpliciter dicatur is, qui gladium, tela in manibus teneat pugnandi causa. Putat addendum fuisse *militariter* vel *cultu militari*. Verum si exercitus ut ad proelium ornatus stetit, per se intelligitur militariter ornatum eum stetisse. Ceterum *ornatus* spectat etiam ad cultum armorum, signorum omniumque insignium militarium. Non enim inluvie deformi obsiti, sed insignibus fulgentes ad proelium ibant.

adstiterat. Ed Spir. *adsisterat*. Edd. Put. Ber. Alc. Rhen. cum cod. Guelf. *adbtiterat*, non *astiterat*.

in medium. MS. Reg. *ad medium*.

subsistere. MS. Flor. (test. Vict.) *substitere*, ut intelligas id illos fecisse iussos.

seque ac liberos. MS. Bud. ed. Spir. *se ac liberos*. Sed vulgata scriptura bene se habet et egregie convenit Tacito. cf. infr. 4, 2. *nec cunctatus est Vitellius seque et cohortes arbitrio victoris permittere*. An. 1, 61. *visuque ac memoria*. Vid. ibi not.

fidere. Ed. Spir. *fidem*, quod originem traxit e compendio *fidē*. Eadem mox *ac si de numero* etc.

litorum. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. edd. Spir. Pich. Grut. sqq. idque iam Lipsius divinaverat. Sed quia olim scriptum fuit *littorum*, perfrequenti litterarum *c* et *t* permutatione ortum est *lictorum*, quod exstat in MSS. Harl. Bodl. Ies. Reg. Bud. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Pichenam. Vidit tamen Lipsius intelligi litora Campaniae, quae c. 66. dicuntur beati Campaniae sinus.

Cap. 64. *capesseret*. Edd. Spir. Ald. *capesceret*.

vigilum cohortes. cf. Dio 55, 26. καὶ εἰσὶ καὶ νῦν οἱ νυκτοφύλα-

prona victoribus, ne Antonio Varoque de gloria concederet. Paucas Vitellio cohortes et maestis undique nuntiis trepidas: populi mobilem animum, et si se ducem praebuisset, easdem illas adulationes pro Vespasiano fore. ipsum Vitellium ne prosperis quidem parem, adeo ruentibus debilitatum. Gratiam patrati belli penes eum, qui urbem occupasset. id Sabino convenire ut imperium fratri reservaret, id Vespasiano ut ceteri post Sabinum haberentur.

LXV. Haudquaquam erecto animo eas voces accipiebat invalidus senecta. erant qui occultis suspicionibus incesserent, tanquam invidia et aemulatione fortunam fratris moraretur. namque Flavius Sabinus aetate prior privatis utriusque rebus auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat. et credebatur adfectam eius fidem praeiuvisse domo agrisque pignori acceptis. unde

πως οὗτοι ἴδιόν τινα τρόπον οὐκ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων ἔτι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ἄλλων στρατευόμενοι· καὶ τείχη τε ἐν τῇ πόλει ἔχουσι καὶ μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου φέρουσιν.

concederet. MS. Reg. ed. Spir. *recederet.* Mox MS. Guelf. *cohortis* pro *cohortes.*

si se ducem. MS. Corb. ed. Spir. *si ducem se.*

easdem illas. MS. Corb. *eas illas.*

reservaret. MS. Corb. *servaret.*

Cap. 65. *invalidus senecta.* MS. Agr. *invalidus aetate sensuque.* Mox in MSS. Flor. Reg. Agr. Guelf. Bud. ed. Spir. similis est paginarum confusio, ut supra 3, 5. Post *senecta* pergunt: *Ferebatur lecticula* (vid. c. 67.) etc. usque ad verba: *in Capitolium concivit* (c. 69.), unde redeunt ad hunc locum: *Erant qui* etc. Locus in integrum restitutus est a Puteolano, an duce cod. aliquo MSto incertum est. Nam Broterius memorata librorum quos modo commemoravi confusione tacet de MSS. Oxonh. et Corb., quod aegre ferimus in tali loco.

incesserent. MS. Agr. *incenderent*, quod placebat Ryckio: „Neque enim" ait ille „de insectatione quam de impulsu hic agitur." Immo agitur potius de insectatione quam de impulsu, quod satis cuique e contextu intelligitur. MSS. Reg. Guelf. (a secunda manu) ed. Spir. *incederent*, quod ab hoc loco alienum esse docuit Ernestius. Mox ed. Spir. *invidiae* pro *invidia.*

fortunam fratris. MS. Guelf. fert *matris* pro *fratris*, et mox *morarētur*, hoc non sine rasura ante litteram *t.* MS. Ies. consentit in *matris.* MS. Bud. *fortunae*, ut *moraretur* sit pro *cunctaretur.* Mox MS. Corb. *nam* pro *namque.*

praeiuvisse. Sic vett. libri omnes praeter cod. Agr., qui fert *praeivisse*, quod quum a loco sit alienum, *praeiuvare* autem vix alibi exstet, Nic. Heinsius coniecit *praesiuvisse*, consentiente Ryckio. Ernestius docuit de praede hic non esse sermonem, sed de pecunia numerata, pro qua domum agrosque fratris pignori Sabinus accepit. Bipontini legunt *parum iuvisse:* provocant ad An. 12, 63. ubi Lipsius et

quanquam manente in speciem concordia offensarum operta metuebantur. Melior interpretatio: mitem virum abhorrere a sanguine et caedibus, eoque crebris cum Vitellio sermonibus de pace ponendisque per conditionem armis agitare. Saepe domi congressi, postremo in aede Apollinis, ut fama fuit, pepigere. verba vocesque duos testes habebant, Cluvium Rufum et Silium Italicum. vultus procul visentibus notabantur, Vitellii proiectus et degener, Sabinus non insultans et miseranti propior.

LXVI. Quod si tam facile suorum mentes flexisset Vitellius quam ipse cesserat, incruentam urbem Vespasiani exercitus intrasset. Ceterum ut quisque Vitellio fidus ita pacem et conditiones abnuebant discrimen ac dedecus ostentantes et fidem in libidine victoris. nec tantam Vespasiano superbiam, ut privatum Vitellium

Pich. e *praevisa* fecere *parum visa*. Sed parum recte. Vid. ib. not. Et ne convenit quidem contextui Bip. scriptura. Nam Tacitus in eo est, ut doceat quantum Sabinus pecunia fratrem anteiverit, idque cognoscitur e praestito auxilio potius quam denegato. Turpe est in eo quod frater a fratre pignus accepit. Habet Noster propria quaedam, ut facile eidem concedamus verbum *praeiuvare* factum ad similitudinem verbi graeci *προβοηθεῖν*.

offensarum operta. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Farnes. edd. Spir. Lips. (1574.) sqq. — *offensarum opera* MSS. Guelf. (ibi *o po*) Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V, Ber. sqq. ad Lipsium.

a sanguine. Ed. Spir. *et sanguine*.

per conditionem. MS. Agr. *per conditiones*.

agitare. MS. Bud. *cogitare*.

verba vocesque. Synonyma. cf. Roth. p. 9. Duo enim ponuntur, ut significent proposita et responsa ab una et altera parte. Mox MS. Ies. *duo* pro *duos*. In vocabulis *Cluvium Rufum* libri variant, ut alibi.

degener. MS. Guelf. *deneger*, et sic idem liber alio loco pro *degener*.

propior. MS. Bud. *proprior*, vulgari confusione.

Cap. 66. *pacem et conditiones*. Ἓν διὰ δυοῖν. cf. Roth. p. 87.

in libidine. Sic MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. — *in libidinem* MSS. Reg. Bodl. Corb. ed. Spir. Littera *m* exorta est e syllaba prima sequentis vocabuli.

nec tantam V. superbiam. MS. Guelf. *nec tanto* pro *nec tantam*. Superbia est eius, qui alios contemnit et nihili prae se aestimat. Sed non tantam Vespasiano superbiam dicebant, ut Vitellium contemneret nec quidquam ex eo timeret, si privatus haberetur: immo tum quoque Vespasianum de Vitellio anxium fore. Igitur *superbiam* neque ad altitudinem animi neque ad clementiam trahas, sed ad securitatem, quae e superbia oritur et altiorem de se, viliorem de hoste opinionem praefert.

pateretur; ne victos quidem laturos. ita periculum ex misericordia. Ipsum sane senem et prosperis adversisque satiatum. sed quod nomen, quem statum filio eius Germanico fore? Nunc pecuniam et familiam et beatos Campaniae sinus promitti: sed ubi imperium Vespasianus invaserit, non ipsi, non amicis eius, non denique exercitibus securitatem, nisi exstincto aemulato redituram. Fabium illis Valentem captivum et casibus dubiis reservatum praegravem fuisse, nedum Primus ac Fuscus et specimen partium Mucianus ullam in Vitellium nisi occidendi licentiam habeant. Non a Caesare Pompeium, non ab Augusto Antonium incolumes relictos. nisi forte Vespasianus altiores spiritus gerat, Vitellii cliens, cum Vitellius collega Claudio foret. Quin, ut censuram patris, ut tres consulatus, ut tot egregiae domus honores

ne victos quidem laturos. Ed. Spir. *lauros* pro *laturos*, media syllaba omissa. MS. Bud. *ne victo quidem laturos.* Sed satis salva est vulgata scriptura. *Victos* intellige ipsos qui loquuntur ex partibus Vitellii: minantur hi se occisuros potius misericordia Vitellium quam ut privatum et Vespasiano deditum paterentur. Rhenanus frustra coniiciebat: *ne victum quidem laturus;* Vertranius: *ne victor quidem laturus.*

ipsum sane. In ed. Spir. vocabulum *sane* non legitur.

promitti: sed etc. MSS. Reg. Corb. et ed. Spir. *promittis: et*, pervulgari confusione.

ubi imperium. MS. Bodl. *imperium ubi.*

invaserit. MS. Corb. *invaserat.*

nisi exstincto aemulato redituram. Sic MS. Flor. (test. Pichena), nisi quod syllabam *re* trahit ad praecedens vocabulum. cf. not. ad An. 12, 50. sub v. *rebellaturos.* Vocabulum *aemulato* descendit ab *aemulatus*, quod est particip. depon. praet. ἀορίστως positum significatque aemulum, cum quo de imperio Vespasianus contendit. Eodem modo *aemulatus* ponitur An. 13, 46. Vid. ib. not. Addo Hist. 3, 81. An. 2, 56. 3, 30. Proxime ad codicem Flor. accedunt MSS. Corb. Bud., in quibus sunt verba: *aemulatore daturam.* MSS. Reg. Agr. ed. Spir. *aemulatore daturum.* Ex emendandi studio MSS. Guelf. Harl. Ies. edd. Put. sqq. *aemulatore redituram.* Rhenanus volebat *aemulo redituram.* Lipsius emendavit ediditque *aemulatu redituram*, quem secuti sunt recentiores editores omnes. Tum sententia est eadem ac verborum, quae cap. 75 leguntur: *dirempta aemulatione.* I. Fr. Gronovius coniiciebat *aemulatore futuram.*

casibus dubiis. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. nec dubitant interpretes veram eam esse scripturam. Sed MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryck.) Reg. Corb. ed. Spir. *captis diebus.* MS. Agr. *paucis diebus.* MS. Bud. *cassibus duobus.*

nedum Primus ac Fuscus. Sic edd. Spir. Rhen. (e MS. Bud.) sqq. — *ne dum primus et Fustus* MS. Guelf. edd. Put. — *ne dum Primus et Fuscus* edd. Ber. Alc.

altiores spiritus. MS. Reg. ed. Spir. *altiorem spiritum.*

quin, ut . . . deceret. Sic MSS. Guelf. aliique eiusdem familiae co-

deceret, desperatione saltem in audaciam accingeretur. perstare militem, superesse studia populi. Denique nihil atrocius eventurum, quam in quod sponte ruant. moriendum victis, moriendum deditis: id solum referre, novissimum spiritum per ludibrium et contumelias effundant an per virtutem.

LXVII. Surdae ad fortia consilia Vitellio aures. obruebatur animus miseratione curaque, ne pertinacibus armis minus placabilem victorem relinqueret coniugi ac liberis. Erat illi et fessa aetate parens, quae tamen paucis ante diebus opportuna morte excidium domus praevenit, nihil principatu filii adsecuta nisi luctum et bonam famam. XV. Kal. Ianuar. audita defectione legionis cohortiumque, quae se Narniae dediderant, pullo amictu palatio degreditur maesta circum

dices, edd. Put. sqq. — *quin ut . . . degeret* MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. ed. Spir., quae litterarum *c* et *g* permutatio ita frequens est, ut nil nos moretur. Nimirum veteres litteram *c* non pronuntiabant *z* ut nostrates, sed ut *k*. Iac. Gronovius e Flor. prodidit *deceret*. MS. Agr. *negligeret*. Quae librorum varietas viris doctis occasionem praebuit varia coniectandi. Lipsius *tegeret*; Iac. Gronovius *deleret*; Trillerus Observv. 3, 10. p. 194. *desereret* vel *deterreret* vel *demeret* vel *temneret*. Vomk ad Sedulium 3, 42. *foedaret*. Sed nihil vulgata scriptura melius excogitari potest.

in audaciam. Ed. Spir. *in audacia*.

moriendum victis, moriendum deditis. In MS. Bodl. desunt verba *moriendum victis*. Contra MSS. Guelf. Harl. Ies. Bud. negligunt *moriendum deditis*, quae in Guelf. secunda manus addidit margini. Edd. locum ferunt integrum (cum silentio Victorii).

et contumelias. Ed. Spir. *et per contumelias*.

Cap. 67. *aures. obruebatur animus* etc. Ed. Spir. *aures obruebantur. Animus* etc.

ac liberis. Sic edd. Spir. Rhenan. sqq. — *et liberis* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc.

erat illi et fessa aetate parens etc. cf. Sueton. Vit. c. 14.

nihil principatu. MS. Corb. ed. Spir. *et nihil e principatu*. Ed. Spir. etiam *filia* pro *filii*, attracta proxima littera. Mox eadem nugatur: *audita defectione legiones cohortium quoque se Narniae dederant*.

pullo. MS. Guelf. *pulo*.

degreditur. Sic MSS. Bud. Guelf. Corb. edd. Rhen. Ald. sqq. — *digreditur* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Utrumque potest locum obtinere. *Degreditur* eo respicit, quod e palatio descenditur. cf. An. 13, 14. — *digreditur* omnino abitum, discessum significat.

familia, simul ferebatur lecticula parvulus filius velut in funebrem pompam, voces populi blandae et intempestivae: miles minaci silentio.

LXVIII. Nec quisquam adeo rerum humanarum immemor, quem non commoveret illa facies: Romanum principem et generis humani paulo ante dominum relicta fortunae suae sede per populum per urbem exire de imperio. nihil tale viderant, nihil audierant. repentina vis dictatorem Caesarem oppresserat, occultae Caium insidiae: nox et ignotum rus fugam Neronis absconderant: Piso et Galba tanquam in acie cecidere: in sua concione Vitellius, inter suos milites, prospectantibus etiam feminis, pauca et praesenti maestitiae congruentia locutus: cedere se pacis et rei publicae causa: retinerent tantum memoriam sui fratremque et coniugem et innoxiam liberorum aetatem miserarentur: simul filium protendens, modo singulis modo universis commendans, postremo fletu praepediente adsistenti consuli (Caecilius Simplex erat) exsolutum a latere pugionem velut ius necis vitaeque civium reddebat. Aspernante consule, re-

familia. Ed. Spir. *fama.*

simul ferebatur. Ab his verbis vett. libri rursus incipiunt locum immixtis alienis abruptum. cf. not. ad c. 65. Ex qua confusione factum est, ut pro *simul* MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Harl. Guelf. ed. Spir. ferant *seu*, MS. Bud. *ceu.*

parvulus. MS. Bud. *parvus.*

Cap. 68. *commoveret.* MS. Ies. *commoverat.*

exire de imperio. MS. Corb. *exire imperio.*

audierant. MSS. Guelf. Harl. Ies. *audiuerant.*

occultae. Ed. Spir. *occulte.* Sed *e* et *ae* in vett. libris plerumque permutantur nec omnia eiusdem generis adnotavi.

absconderant. MS. Bodl. *absconderat.* Reg. *absconderunt.*

cecidere. MS. Corb. *occidere.* Bud. *cecidebat*, unde Rhenanus coniiciebat *ceciderant.* Sed nisi fallor, Tacitus consulto a plusquamperfecto hic transit ad perfectum, quia Pisonis et Galbae exitus his ipsis Historiarum libris traduntur. Hi igitur *cecidere*; illi *ceciderant.*

etiam feminis. MS. Guelf. *et feminis.*

cedere. Edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) *caedere*, vulgari confusione.

rei publicae causa. Vocabulum *causa* in MS. Reg. et ed. Spir. non apparet.

retinerent. Ed. Spir. *continerent.* Mox *libertorum* pro *liberorum.* In MS. Guelf. quoque secunda manus litteram *t* addidit.

miserarentur. Ed. Spir. *misererentur.*

Caecilius Simplex. MS. Bud. non addit *Simplex.*

clamantibus, qui in concione adstiterant, ut in aede Concordiae positurus insignia imperii domumque fratris petiturus discessit. maior hic clamor obsistentium penatibus privatis, in palatium vocantium. interclusum aliud iter idque solum, quod in Sacram viam pergeret, patebat. tum consilii inops in palatium redit. Praevenerat rumor eiurari ab eo imperium, scripseratque Flavius Sabinus cohortium tribunis, ut militem cohiberent.

LXIX. Igitur tanquam omnis res publica in Vespasiani sinum cessisset, primores senatus et plerique equestris ordinis omnisque miles urbanus et vigiles domum Flavii Sabini complevere. illuc de studiis vulgi et minis Germanicarum cohortium adfertur. longius iam progressus erat quam ut regredi posset: et suo quisque metu, ne disiectos eoque minus validos Vitelliani consectarentur, cunctantem in arma impellebant. sed, quod in eiusmodi rebus accidit, consilium ab omnibus datum

adstiterant. Sic MS. Guelf. edd. vett. (cum silent. Victorii) — non *astiterant.*

discessit. Ed. Spir. *descessit.*

aliud iter. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Corb. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Micyll. (1557.) et deinde Pich. Lips. (1607.) Grut. sqq. — *alterum iter* MS. Bud. a prima manu, edd. Rhen. Ald. Lipsii priores.

in Sacram viam. Sic edd. Spir. Lips. Pich. sqq. — *in sacra via* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. ad Lipsium. — Utraque forma potest locum habere. Nam in sacra via iter pergit qui prius iam in ea via erat et nunc in eadem procedit: in sacram viam iter pergit qui aliunde eam viam ingreditur et deinde pergit. — Pro *quod* MS. Ies. habet *quo.* De verbo *pergere* cf. not. ad An. 1, 28.

redit. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — *rediit* MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. sqq. ad hunc diem. Sed auctoritas libri Budensis non ea est, cui pareamus spretis melioribus libris.

eiurari. MS. Flor. (test. Vict.) *iurari.*

tribunis. Ed. Spir. *tribunus.*

Cap. 69. *in Vesp. sinum.* Ed. Spir. *in V. sinu.*

cessisset. MS. Flor. (test. Ryck.) *cecississet.* Victorius eam varietatem ignorat, et facile dignoscas illud esse pro *cessisset.* Nam sic An. 1, 1. *Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere.* An. 2, 23. *mare omne in austrum cessit.* Plin. Paneg. 6, 3. *confugit in sinum tuum concussa res publica.* Frustra igitur Ryckius coniecit *se dedisset.* MSS. Agr. (a prima manu) Reg. Corb. *cecidisset.*

illuc. Ed. Spir. *illic.*

progressus. Ed. Spir. *profectus.* Mox eadem omittit *ut* post *quam.* cf. not. ad An. 1, 9.

est, periculum pauci sumpsere. Circa lacum Fundani descendentibus qui Sabinum comitabantur armatis occurrunt promptissimi Vitellianorum. modicum ibi proelium improviso tumultu, sed prosperum Vitellianis fuit. Sabinus re trepida, quod tutissimum e praesentibus, arcem Capitolii insedit mixto milite et quibusdam senatorum equitumque, quorum nomina tradere haud promptum est, quoniam victore Vespasiano multi id meritum erga partes simulavere. subierunt obsidium etiam feminae, inter quas maxime insignis Verulana Gratilla neque liberos neque propinquos, sed bellum secuta. Vitellianus miles socordi custodia clausos circumdedit, eoque concubia nocte suos liberos Sabinus et Domitianum fra-

Fundani. Ed. Spir. *fundam*, frequenti in illo libro vitio, ut terminationem *ani* vertat in *am*.

modicum ibi proelium. MS. Corb. *modicumque proelium*.

mixto milite. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. edd. Spir. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Micyll. (1557.) et deinde Pich. Lips. (1607.) Grut. sqq. In MS. Guelf. vocabulum *mixto* additur in margine. — *milite* (neglecta altera voce) MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. Rhen. Ald. et Lipsii priores, et nuper Ernest. Bret. sqq. Nam Ernestius ad h. l. „mixtus miles" ait „latine loquentibus est miles non eiusdem generis, sed collectitius e variis gentibus, variis instructus armis, non eidem disciplinae adsuefactus", eumque militem ab hoc loco alienum esse adfirmat. Igitur Tacitus non latine locutus est supra 2, 14. *ut pars classicorum mixtis paganis in colles mari propinquos exsurgeret*. Nam ibi *mixti pagani* simpliciter sunt ceteris iuncti et cum iis simul exsurgentes. Quodsi latinum est, proba etiam scriptura *mixto milite*, ut sententiam efficiat, cum iis, quibus arcem Capitolii Sabinus insederit, fuisse et milites neque vero omnes fuisse milites, sed mixtum tantum ceteris militem. Meo periculo restituo.

et quibusdam. Sic MSS. et vett. edd. praeter librum Bud., unde Rhenanus male receperat *ex quibusdam*, obtemperante Aldo. At Micyll. (1557.) Lips. Pich. sqq. retinent *et quibusdam*, falsusque est Ernestius, qui Lipsium dicit edidisse alteram scripturam.

tradere haud pr. est. Ed. Spir. *haud tradere promptum est*.

victore. Ed. Spir. *victoriae*. Eadem *subsidium* pro *obsidium*.

Verulana Gratilla. Ex emendatione Ernestii, ad quam praeivit Plin. ep. 3, 11. et 5, 1. Ne tamen putes eandem ibi *Gratillam* intelligendam. MSS. Flor. (test. Iac. Gron. et Victorio) Agr. Bud. Guelf. Corb. ed. Spir. *Gratilia*. MSS. Reg. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Ernestium *Gracilia*. Pro *Verulana* MSS. Guelf. Harl. Ies. exhibent *Vernula*, Guelf. in margine *Verulana*.

socordi custodia. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *custodia socordi*. MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad hunc diem.

tris filium in Capitolium accivit, misso per neglecta ad Flavianos duces nuntio, qui circumsideri ipsos et, ni subveniretur, artas res nuntiaret. Noctem adeo quietam egit ut digredi sine noxa potuerit. quippe miles Vitellii adversus pericula ferox laboribus et vigiliis parum intentus erat. et hibernus imber repente fusus oculos auresque impediebat.

LXX. Luce prima Sabinus, antequam invicem hostilia coeptarent, Cornelium Martialem e primipilaribus ad Vitellium misit cum mandatis et questu, quod pacta turbarentur. simulationem prorsus et imaginem deponendi imperii fuisse ad decipiendos tot inlustres viros. cur enim e rostris fratris domum imminentem foro et inritandis hominum oculis quam Aventinum et penates uxoris petisset? ita privato et omnem principatus speciem vitanti convenisse. contra Vitellium in palatium, in ipsam imperii arcem regressum: inde armatum

in Capitolium. H. e. ut secum in Capitolio manerent. Nam neglectis vocabulis *in Capitolium* Sabinus posset intelligi colloquendi causa illos accivisse. Non igitur superfluae sunt duae illae voces, quomodo videbatur Lipsio.

misso per neglecta. MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. sqq. usque ad Ernestium ante *misso* addunt *at Sabinus*, incommodo pleonasmo, qui originem traxit e confusione paginarum, de qua dictum est c. 65. Delevit illa Ernestius auctoritate MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. Bud. ed. Spir.

ipsos et, ni subveniretur. Sic edd. Pich. Lips. (1607. ubi est *nisi*) Grut. sqq. e vestigiis codicis Florentini, qui test. Pich. habet *ipso sel ni subveniretur.* — *ipsos, nisi subveniretur* edd. Puteol. sqq. ad Pichenam. — *ipsos, ni subv.* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. — *ipsi seni subv.* MSS. Reg. Corb. ed. Spir.

artas res. Sic ed. Spir. Ceteri libri *arctas.*

digredi. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. usque ad Ernestium, qui scripsit *degredi*: nam descensum ex arce ait significari. Ernestii emendationem retinuere recentiores editores. At sermo hic est non de descensu ex arce in urbem, immo de abitu, discessu ex arce obsessa. Sabinus ea nocte potuisset elabi obsessoribus et confugere ad exercitum Flavianum h. e. digredi potuisset. De loco superiore hic non quaeritur. Aliter se habet res An. 4, 49.

et vigiliis. Ed. Spir. *ac vigiliis.* Ed. Put. V. vitiose *et vigilius.*

CAP. 70. *coeptarent.* Sic Put. sqq. — *ceptarent* MS. Guelf. ed. Spir. — *coeptaret* MS. Ies.

ad decipiendos. MS. Guelf. *ad deponendos.* Idem mox *quor*, uti saepe pro *cur.*

Aventinum. Ed. Spir. *adventinum.* — Mox *principis* pro *principatus.*

convenisse. MS. Guelf. in marg. substituit *contempsisse*, quod exstat in ed. Spir.

agmen emissum: stratam innocentium caedibus celeberrimam urbis partem: ne Capitolio quidem abstineri. Togatum nempe se et unum e senatoribus, dum inter Vespasianum ac Vitellium proeliis legionum, captivitatibus urbium, deditionibus cohortium iudicatur, iam Hispaniis Germaniisque et Britannia desciscentibus fratrem Vespasiani mansisse in fide, donec ultro ad conditiones vocaretur. Pacem et concordiam victis utilia, victoribus tantum pulchra esse. si conventionis poeniteat, non se, quem perfidia deceperit, ferro peteret, non filium Vespasiani vix puberem. quantum occisis uno sene et uno iuvene profici? iret obviam legionibus et de summa rerum illic certaret: cetera secundum eventum proelii cessura. Trepidus ad haec Vitellius pauca purgandi sui causa respondit, culpam in militem conferens, cuius nimio ardori imparem esse modestiam suam. et monuit Martialem, ut per secretam aedium partem occulte abiret, ne a militibus internuntius invisae pacis in-

caedibus. Hoc in ed. Spir. non apparet.

e senatoribus. MS. Guelf. *de senatoribus*.

iudicatur. MS. Corb. *vindicatur*.

Germaniisque. Ed. Spir. *germanisque*.

utilia . . . pulchra. MS. Guelf. *puchrū*. I. Fr. Gronovius humani quid passus volebat *utilem . . . pulchrum*, qua correctione loco pessime consuleretur. Sed satis de hac re omnibus persuasum est.

conventionis. Ed. Spir. *conditionis*.

poeniteat. Ernestius solito suo errore correxerat *poeniteret*. Oberlinus bene restituit *poeniteat*. cf. not. ad An. 1, 19. sub v. *meditentur*.

et de summa. Copulam e MS. Florent. addidit Pichena. Habent eandem MS. Bud. et ed. Spir. Abest a MS. Guelf. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq.

secundum eventum proelii. MS. Guelf. *secundum proelii eventum*.

cuius nimio ardori. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. sqq. ad hunc diem ex emendatione, ut videtur, Puteolani. — *cuius nimius ardor* MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. ed. Spir., quae possunt tolerari posito colo (:) post *ardor*. Sed elegantior est vulgata scriptura, et illorum librorum ratio facillime potuit oriri e compendiis: *cuius nimio ardorimparem* etc. Ita et *nimio* et *nimię* permutantur.

secretam aedium partem. Ed. Spir. *secreta ī ędium partem*, ubi littera *m* ut saepe abiit in praepositionem *in*.

ne a militibus. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *ne militibus* (neglecta praepositione) MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Bud. ed. Spir., et omitti praepositionem posse in tali loco docent exempla An. 2, 50. *propinquis suis . . . removeretur*; 15, 28. *barbaris delectus est*. Hist. 2, 80. *militibus . . . diligebantur*: 3, 12. *Vespasiano tenebantur*.

terficeretur: ipse neque iubendi neque vetandi potens non iam imperator, sed tantum belli causa erat.

LXXI. Vix dum regresso in Capitolium Martiale furens miles aderat nullo duce: sibi quisque auctor cito agmine forum et imminentia foro templa praetervecti erigunt aciem per adversam collem usque ad primas Capitolinae arcis fores. Erant antiquitus porticus in latere clivi dextrae subeuntibus: in quarum tectum egressi saxis tegulisque Vitellianos obruebant. neque illis manus nisi gladiis armatae: et arcessere tormenta aut missilia tela longum videbatur. faces in prominentem porticum iecere. et sequebantur ignem, ambustasque Capitolii fores penetrassent, ni Sabinus revulsas undique statuas, decora maiorum, in ipso aditu vice muri obiecisset. tum diversos Capitolii aditus invadunt iuxta lucum asyli et qua Tarpeia rupes centum gradibus aditur. improvisa utraque vis, propior atque acrior per asylum ingruebat. nec sisti poterant scandentes per coniuncta

sed tantum. MS. Guelf. *sed tanti.*

belli causa. Ed. Spir. *causa belli.*

Cap. 71. *regresso.* Ed. Spir. *reverso.*

usque ad primas Capitolinae arcis fores. Ed. Spir. *usque ad primas capitolium fores arcis.* MS. Guelf. *usque ad capitalinas primas arcis fores.* Super syllaba *as* in *capitalinas* positum est *e.* Vulgatam scripturam servant edd. Puteol. sqq. cum silentio Victorii.

porticus in latere. De quibus vid. Dionys. Hal. 4, 61. Ryckius de Capitol. Rom. cap. 34.

clivi. MS. Guelf. *divi.*

dextrae subeuntibus. Sic codd. MSS. et vett. edd. cum Lipsii prima et deinde Picheu. Gruter. sqq. — *dextra subeuntibus* edd. Gryph. et Lipsii posteriores: Lipsius tamen suspicabatur reponendum esse *dextrae.*

obruebant. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *deturbabant* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Pichenam. — In MS. Bud. verbum non apparet.

arcessere. MS. Corb. *accersere.* cf. not. ad An. 4, 29., adde Doederlein *lat. Synon.* P. III. p. 281.

iecere. MS. Bud. *iacere.*

ni Sabinus. Ed. Spir. *nisi Sabinus.*

Tarpeia rupes. Sic edd. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *Tarpei rupes* MSS. Guelf. Bodl. Ies. edd. Spir. Puteol. M. et V. — *Tarpeii* MS. Harl.

atque acrior. Ed. Spir, *ac acrior.*

nec sisti poterant. MSS. Guelf. et Corb. *nec sisti poterat.* Corb. pergit: *scandentibus per coniuncta aedificia*, quae scriptura placebat Broterio. Sed ceteri libri vulgatam tuentur.

aedificia, quae ut in multa pace in altum edita solum Capitolii aequabant. Hic ambigitur, ignem tectis oppugnatores iniecerint an obsessi, quae crebrior fama est, quo nitentes ac progressos depellerent. inde lapsus ignis in porticus adpositas aedibus: mox sustinentes fastigium Aquilae vetere ligno traxerunt flammam alueruntque. sic Capitolium clausis foribus indefensum et indireptum conflagravit.

LXXII. Id facinus post conditam urbem luctuosissimum foedissimumque rei publicae populi Romani accidit nullo externo hoste, propitiis si per mores nostros liceret deis sedem Iovis OPTIMI MAXIMI auspicato a maioribus pignus imperii conditam, quam non Porsena dedita urbe neque Galli capta temerare potuis-

solum Capitolii. MS. Flor. teste Victorio *sonum Capitolii.*

an obsessi ... depellerent. Haec non sunt in ed. Spir. nec in MS. Reg. — MS. Corb. omittit tantum *est, quo.* Nec MS. Flor. (test. Vict.) habet *est quo;* at *famam* pro *fama.* Pro *depellerent* MSS. Flor. (test. Vict.) Harl. Ies. Guelf. Bud. edd. Rhenan. Ald. ferunt *devulerint,* quae scriptura tum demum locum obtinebit, si cum quibusdam libris in detrimentum genuinae sententiae deleveris *est quo.* In margine Harl. additum est *depellerent,* in Ies. *depelleret.* In qua librorum varietate atque debilitate facile tibi persuadebis vulgatam scripturam, quam tuentur MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Lips. Pich. sqq., deberi emendandi studio. E vestigiis codicis Florent. locus fortasse restituendus erit sic: *an obsessi, quae crebrior fama, ea vi nitentes ac progressos depulerint.*

adpositas aedibus. Ed. Spir. *adposita sedibus.*

traxerunt ... alueruntque. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Corb. edd. Pich. Bernegg. sqq. — *traxere ... aluereque* MS. Agr. et ed. Spir. — *traxere ... alueruntque* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Pichenam.

Cap. 72. *rei publicae populi Romani.* Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *rei publicae populoque Rom.* MSS. Guelf. Bodl. (teste Gronovio) edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Micyll. (1557.) — *Reip. populo Ro.* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. — *populo Romano* (deleta *rei p.* voce) edd. Lips. Pich. Grut. sqq. ad Ryckium, et deinde Broterius. *Rem publicam populi Romani* recte dici docent exempla Liv. 8, 9. 22, 10. ibique Drakenborch.

Porsena. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. cf. Martial. 1. 22. Silius 8, 480. Horat. Epod. 16, 4. — *Porsenna* MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. cf. Virgil. Aen. 8, 646. Graves igitur auctores stant ab utraque parte. Sed parum refert.

dedita urbe. Ἅπαξ λεγόμενον, nisi quod tale quid suspicari possis é loco Plin. 34, 39. Broterius oratorie magis quam historice Tacitum locutum existimat. MS. Corb. *tradita urbe.*

temerare. Sic MSS. et vett. edd. praeter cod. Bud., unde Rhe-

sent, furore principum exscindi. Arserat et ante Capitolium civili bello, sed fraude privata: nunc palam obsessum, palam incensum. quibus armorum causis, quo tantae cladis pretio stetit? pro patria bellavimus? Voverat Tarquinius Priscus rex bello Sabino ieceratque fundamenta spe magis futurae magnitudinis quam quo modicae adhuc populi Romani res sufficerent. mox Servius Tullius sociorum studio, dein Tarquinius Superbus capta Suessa Pometia hostium spoliis exstruxere.

nanus ediderat *tenere*. Lipsius veterem scripturam restituit e MS. Farnes.

furore principum exscindi. Sic MSS. Flor. (test. Vict. Pich. Gronov. per silentium) Harl. Bodl. Ies. Guelf. (a prima manu) Corb. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. sqq. — *furore principum excindi potuit* ed. Spir. In MS. Guelf. quoque secunda manus *potuit* in margine addidit. Sed haec scriptura nihil sani habet confunditque totam periodum. In MS. Guelf. vocabulum *furor* scribitur sic: *furõr* h. e. *furore* (litterae *ror* sunt a secunda manu). Igitur non satis recte Ernestius tradidit ibi a sec. manu legi *furor*. Ceterum interpunctio loci in edd. varia est. Rhenanus post *deis* cum prioribus habet punctum. Post *exscindi* idem primus posuit interrogationis signum (?). Paruerunt Aldus, Lipsius, Pichena, Gruterus. Mox Berneggerus punctum post *dies* commate, et signum (?) hac nota (!) commutavit. Post *accidit* idem collocavit colon (:). Sed infinitivus *exscindi* minime est absolutus, ut Ernestio videbatur: pendet potius e superioribus *id facinus luctuosissimum accidit*, poniturque pro: *ut* . . . *exscinderetur*.

arserat et ante etc. Ed. Spir. *arx erat et ante* etc. MS. Guelf. negligit copulam *et*.

incensum. Edd. Put. V. et Beroald. *insenssum*. Victorius alterum *s* delevit.

quo tantae cladis pretio stetit? Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. Agr. edd. ante Rhenanum (cum sil. Vict.) et deinde Ryck. Iac. Gronov. sqq. — Rhenanus auctoritate cod. Bud. deleverat *stetit*, tali interpunctione usus: *Quibus armorum causis, quo tantae cladis pretio, pro patria bellavimus?* Lipsius delevit comma post *pretio*. Ryckius restituit *stetit*, fatetur tamen se sententiam loci non adsequi, nisi ad medicinam recurratur, probatque coniecturam I. Fr. Gronovii (Observ. 3, 17.) pro *quo* facientis *quid*. Sic et Bipontini. Pichena voluerat: *quo tanta clades pretio stetit?* Freinshemius probabat Rhenani scripturam, sed posita interrogationis nota post *pretio*. At nulla plane immutatione veteris scripturae opus est. Tacitus more suo duo momenta in unam enuntiationem contrahit. Plenius scripsisset: quod pretium tantae cladis fuit, quo illa res stetit? — Verba *pro patria bellavimus?* ferunt interrogationem ironicam, cf. not. ad An. 2, 15.

fundamenta. MS. Guelf. *fondamenta*. — Mox ed. Spir. pro *modicae adhuc* fert *modica ad hoc*, et *sufficeret* pro *sufficerent*.

dein Tarquinius. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. — *deinde* MS. Guelf. edd. Spir. Put. sqq. — Ed. Spir. *tarquinus*, et mox *Oratius Puluilus*. Ibidem deest *postea* post *immensae*. — Pro *quam* MS.

sed gloria operis libertati reservata. pulsis regibus Horatius Pulvillus iterum consul dedicavit ea magnificentia, quam immensae postea populi Romani opes ornarent potius quam augerent. Iisdem rursus vestigiis situm est, postquam interiecto CCCCXV annorum spatio L. Scipione C. Norbano coss. flagraverat. curam victor Sulla suscepit neque tamen dedicavit: hoc solum felicitati eius negatum. Lutatii Catuli nomen inter tanta Caesarum opera usque ad Vitellium mansit.

LXXIII. Ea tunc aedes cremabatur. sed plus pavoris obsessis quam obsessoribus intulit. quippe Vitellianus miles neque astu neque constantia inter dubia indigebat. ex diverso trepidi milites, dux segnis et veluti captus animi non lingua, non auribus competere:

Guelf. habet *qua* et *potius* a sec. manu additum in margine. — Pro *ornarent* ed. Spir. *ornauerant*. Mox eadem *isdem* pro *iisdem*.

CCCCXV annorum spatio. Sic MSS. et vett. edd. omnes, alii libri notis, alii litteris expressis. Lipsio auctore Broterius, Oberlinus sqq. posuere numerum *CCCCXXV*., quia e vulgari computatione totidem anni interiecti fuere inter Horatium Pulvillum iterum consulem et L. Scipionem, C. Norbanum consules. Sed diversa potuit esse Taciti computatio. Quare nihil audeo contra veteres libros reponoque cum Bekkero veterem numerum.

Norbano. MS. Flor. (test. Vict.) *Norbana*.

Sulla. Sic MS. Flor. teste Victorio. *Silla* ed. Spir. *Sylla* MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. cf. not. ad An. 1, 1.

hoc solum felicitati eius negatum. Uti ipse confessus est secundum Plin. N. H. 7, 44. Ed. Spir. *Hoc est solum* etc.

Lutatii. Sic edd. Spir. Lips. sqq. — *Luctatii* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) ad Lipsium.

inter tanta. Sic MSS. et vett. edd. (cum sil. Vict.). In MS. Flor. haec sunt scripta per compendium, quod Pichena legit *inter tot*, et ita edd. Pich. Bernegg. Gronov. (1672.). Veterem scripturam revocarunt Ryck. Iac. Gronov. sqq., quia compendium illud ad similitudinem aliarum vocum non *inter tot*, sed *inter tanta* legi debet. Videtur tamen *tanta* hic dici pro *tot*.

Cap. 73. *cremabatur*. MS. Guelf. *cremebatur*. Multum eiusdem generis vitiorum in illo libro est.

trepidi milites. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Agr. etc., edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. — *trepidus miles* edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Iac. Gronovium. — Pichena in Notis cum editione 1607. coniunctis nihil dicit de cod. Flor. et intactam reliquit scripturam *trepidus miles*. Num melius tunc fuit edoctus?

dux segnis. Ed. Spir. *dum segnis*. Eadem mox *velut* pro *veluti*.

neque alienis consiliis regi neque sua expedire, huc illuc clamoribus hostium circumagi, quae iusserat vetare, quae vetuerat iubere. mox, quod in perditis rebus accidit, omnes praecipere, nemo exsequi. postremo abiectis armis fugam et fallendi artes circumspectabant. Inrumpunt Vitelliani et cuncta sanguine, ferro flammisque miscent. pauci militarium virorum, inter quos maxime insignes Cornelius Martialis, Aemilius Pacensis, Casperius Niger, Didius Scaeva, pugnam ausi obtruncantur. Flavium Sabinum inermem neque fugam coeptantem circumsistunt et Quintium Atticum consulem umbra honoris et suamet vanitate monstratum, quod edicta in populum pro Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium iecerat. ceteri per varios casus elapsi, quidam servili habitu, alii fide clientium contecti et inter sarcinas abditi. fuere qui excepto Vitellianorum signo quo inter se noscebantur, ultro rogitantes respondentesve audaciam pro latebra haberent.

LXXIV. Domitianus prima inruptione apud aedituum occultatus sollertia liberti lineo amictu turbae sacricolarum immixtus ignoratusque apud Cornelium Pri-

neque sua. MS. Guelf. *nec sua.*

in perditis rebus. MS. Guelf. *in praedictis rebus.*

militarium virorum. Ed. Spir. negligit vocabulum *virorum.*

insignes. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *insignis.*

Didius. MS. Bud. *Vidius.*

Scaeva. MS. Guelf. *soena.* Ed. Spir. *soeua.*

obtruncantur. MS. Guelf. *obtruncabantur.*

Quintium. Sic MS. Guelf. — *Quintum* edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *Quinctium* edd. Lips. sqq.

suamet vanitate. Ed. Spir. *sua unitate.*

edicta. MS. Guelf. *edita.*

adversus. Ed. Spir. *ad versum.*

iecerat. H. e. non palam proposuerat fixeratque, sed clam exire iusserat. cf. not. ad An. 11, 9. — Acidalius frustra coniecit *fecerat.*

pro latebra. Ed. Spir. *per latebras.*

Cap. 74. *lineo amictu turbae sacricolarum* etc. cf. Böttiger. in *Sabina* II, 162.

ignoratusque. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. Agr. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Micyll. et deinde Pichen. Bernegg. sqq. — *ignoratus* (sine copula) MS. Bud. edd. Rhenan. Ald. — *ignarusque* MSS. Vatic. Reg. edd. Spir. Lips. Grut. cf. Sallust. Iug. c. 93. *more humanae cupidinis ignara visundi.* Vid. not. ad An. 8, 6. Sed supra

mum paternum clientem iuxta Velabrum delituit. ac potiente rerum patre disiecto aeditui contubernio modicum sacellum IOVI CONSERVATORI aramque posuit casus suos in marmore expressam. mox imperium adeptus IOVI CUSTODI templum ingens seque in sinu dei sacravit. Sabinus et Atticus onerati catenis et ad Vitellium ducti nequaquam infesto sermone vultuque excipiuntur, frementibus qui ius caedis et praemia navatae operae petebant. Clamore a proximis orto sordida pars plebis supplicium Sabini exposcit, minas adulationesque miscet. stantem pro gradibus palatii Vitellium et preces parantem pervicere, ut absisteret. tum confossum collacera-

c. 23. *ignorati* ... *abscidissent*, et infr. 4, 36. *nisi servili habitu* ... *ignoratus evasisset*.

paternum. Ed. Spir. *maternum*.

ac potiente. MS. Guelf. *ac potentie*.

aramque posuit casus suos in marmore expressam. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Agr. Corb. ed. Spir., nisi quod haec omittit *suos* et copulam *que* in *aramque*. Recepere hanc scripturam Ryck. Iac. Gronov. Lallemand. Brot. Bipont. — *aramque posuit casusque suos in marmore expressit* MS. Guelf. (etiam Oxonienses libri, ut videtur, quanquam Broterius de illis tacet) edd. Put. M. et V. Beroald. sqq. ad Ryckium. — MS. Bud. *exprexit* (more libri) pro *expressit*. An ibidem sit *casusque*, Oberlinus non prodidit. Ipse edidit: *casusque* ... *expressam*. Ernestius et Bekkerus rediere ad Puteolani scripturam. Sed codex Florentinus hic videtur sine labe esse. *Expressae* dicuntur, ut multa alia, ita et facies imaginesque quaecunque in tabulis, ceris, marmoribus et tali materia factae, sive pictae seu sculptae. cf. Plin. ep. 7, 23. *Nam si esse nobis curae solet, ut facies nostra ab optimo quoque artifice exprimatur* etc. Tum et *expressa* dicuntur ipsa signa, statuae, arma taliaque, quae facies aut imagines aut litteras referunt. cf. Valer. Flacc. 1, 491. *casusque tuos expressa Phalere arma geris* (h. e. arma arte ita facta, ut exprimant). Plin. ep. 3, 6. *signum Corinthium* ... *festivum et expressum*. Accusativum *casus suos* accipe Graecorum more positum. cf. Ramshorn. Gramm. § 132. 4., qui hunc ipsum Taciti locum pro exemplo adfert. Iam vero Ernestium offenderunt verba *in marmore*, quae ipsi frigere videbantur. Ego id non sentio, nec video, quid hic frigere aut fervere possit. Materia indicatur, ex qua opus illud factum est. Signum, statua vel tale quid exprimitur in marmore, aere vel in alia materia: hoc satis recte dicitur.

navatae operae. MSS. Bodl. (a sec. manu) Bud. Agr. ed. Ryck. *enavatae*, quod iam Rhenano placuerat. MS. Corb. *euacuatae*.

a proximis. MS. Bud. ed. Spir. negligunt praepositionem *a*.

pervicere, ut absisteret. Ed. Spir. *pervincere ut absisterent*.

tum confossum. MSS. Corb. Agr. ed. Spir. *tunc confossum*.

tumque, et absciso capite truncum corpus Sabini in Gemonias trahunt.

LXXV. Hic exitus viri haud sane spernendi. quinque et triginta stipendia in re publica fecerat domi militiaeque clarus. innocentiam iustitiamque eius non argueres: sermonis nimius erat. id unum septem annis, quibus Moesiam, duodecim, quibus praefecturam urbis obtinuit, calumniatus est rumor. In fine vitae alii segnem, multi moderatum et civium sanguinis parcum credidere. quod inter omnes constiterit, ante principatum Vespasiani decus domus penes Sabinum erat. Caedem eius laetam fuisse Muciano accepimus. ferebant plerique etiam paci consultum dirempta aemulatione inter duos, quorum alter se fratrem imperatoris, alter consortem imperii cogitaret. Sed Vitellius consulis supplicium poscenti populo restitit, placatus ac velut vicem reddens, quod interrogantibus, quis Capitolium incendisset, se reum Atticus obtulerat. eaque confessione, sive aptum tempori mendacium fuit, invidiam crimenque agnovisse et a partibus Vitellii amolitus videbatur.

absciso capite truncum. Sic MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Iac. Gronov. Ernest. Brot. — *abscisso* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Agr. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Iac. Gronovium. cf. not. ad 2, 88. et 3, 78. Drakenborch. ad Liv. 31, 34. At quum Ryckius male intellecta Iac. Gronovii nota falso tradidisset a cod. Flor. abesse verbum *absciso*, Oberlinus illud abiecit. Oberlinum recentiores editores imitati sunt. Restituo, quia haud inepte adest.

Sabini. Hoc vocabulum MS. Agr. a prima manu non habuit.

Cap. 75. *in re publica.* Suspecta haec Ernestio. Iubet transpositionem fieri: *fecerat, in re publica domi militiaeque clarus.* Broterius rectius censet *in re publica* opponi civilibus bellis.

militiaeque. MS. Corb. et ed. Spir. negligunt copulam *que.* — Mox *iustitiam* non legitur in MS. Corb., nec *quibus* ante *Moesiam* est in ed. Spir.

rumor. MS. Guelf. *rumore.*

dirempta. Sic MS. Guelf. edd. Rhenan. (hic ex ingenio) Ald. sqq. — *direpta* cod. Bud. aliique libri scripti et edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Vitium originem traxit e neglecta lineola super littera *e* ponenda.

consulis. MS. Guelf. *consul.*

tempori. Ed. Spir. *temporis.* — Mox eadem *aperte* pro *a partibus.*

LXXVI. Iisdem diebus L. Vitellius positis apud Feroniam castris excidio Tarracinae imminebat, clausis illic gladiatoribus remigibusque, qui non egredi moenia neque periculum in aperto audebant. praeerat, ut supra memoravimus, Iulianus gladiatoribus, Apollinaris remigibus, lascivia socordiaque gladiatorum magis quam ducum similes. non vigilias agere, non intuta moenium firmare, noctu dieque fluxi et amoena litorum personantes, in ministerium luxus dispersis militibus, de bello tantum inter convivia loquebantur. Paucos ante dies discesserat Apinius Tiro, donisque ac pecuniis acerbe per municipia conquirendis plus invidiae quam virium partibus addebat.

LXXVII. Interim ad L. Vitellium servus Verginii Capitonis perfugit, pollicitusque, si praesidium acciperet, vacuam arcem tradi futurum, multa nocte co-

Cap. 76. *Iisdem.* Ed. Spir. *isdem.* — Mox eadem *ante Feroniam.*

Tarracinae. Sic edd. Lips. sqq. — *Terracinae* MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium. cf. not. ad An. 8, 2. — Supra 1, 78. 3, 57. 60. libri consentiunt in *Tarracinae.*

ut supra memoravimus. cf. c. 57. Mox Oberlinus cum Bipontinis priorum librorum interpretationem ita mutaverat, ut ante *lascivia* plenius distingueretur, sequentia ad *loquebantur* usque uno tractu legerentur. Bekkerus veterem distinctionem reduxit, quem sequimur.

Apollinaris. Ed. Spir. *Pollinaris;* infra *Apollinaris.*

noctu dieque. cf. not. ad An. 15, 12.

et amoena. Ed. Spir. *extra moenia.*

militibus. MS. Guelf. *luminibus.* Idem mox *loquabantur* et deinde *autem* pro *ante.*

Apinius. Ed. Spir. *Opinius.* — Mox eadem *conquerendis* pro *conquirendis.*

Cap. 77. *L. Vitellium.* Non in ed. Pichenae demum, ut videtur Ernestio, sed prius in edd. quibusdam Lipsii praenomen *L.* interciderat, quod Ryckius et Iac. Gronovius restituerunt e veteribus libris. Ann. 1754. Lipsius ediderat *L. Vitellium.*

Verginii. Sic edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *Virgilii* MSS. Guelf. Flor. (teste Ryckio) Agr. Bud, (a prima manu) ed. Spir. Sed Capito Verginiorum cognomen est.

vacuam arcem tradi futurum. Sic MSS. Florent. (test. Vict. cum Ryckio) Agr. Bud. Bodl. (in margine) edd. Spir. Bipont. Oberlin. — *vacuam arcem furtim traditurum* MSS. Guelf. Harl. Bodl. (a prima manu) Ies. edd. Puteol. sqq. ad Bipontinos. — Bekkerus edidit *traditurum* deleta voce *furtim.* Sed scriptura Florent. non est inepta. Coniunge: *pollicitus futurum* (esse) *tradi* h. e. ut traderetur. Mira enim licentia Noster utitur in infinitivo ponendo, ut saepius iam vidimus. Ipse servus

hortes expeditas summis montium iugis super caput hostium sistit. inde miles ad caedem magis quam ad pugnam decurrit. sternunt inermos aut arma capientes et quosdam somno excitos, cum tenebris, pavore, sonitu tubarum, clamore hostili turbarentur. pauci gladiatorum resistentes neque inulti cecidere. ceteri ad naves ruebant, ubi cuncta pari formidine implicabantur permixtis paganis quos nullo discrimine Vitelliani trucidabant. Sex liburnicae inter primum tumultum evasere, in quis praefectus classis Apollinaris: reliquae in litore captae aut nimio ruentium onere pressas mare hausit. Iulianus ad L. Vitellium perductus et verberibus foedatus in ore eius iugulatur. Fuere qui uxorem L. Vitellii Triariam incesserint, tanquam gladio mili-

nequivit tradere arcem, sed tantum polliceri fore ut traderetur.

multa nocte. Ed. Spir. *orta nocte*, ex emendandi studio.

inermos. Sic MS. Flor. test. Victorio cum Iac. Gronovio. cf. not. ad An. 1, 6. — *inermes* MS. Guelf. et editiones omnes.

sonitu tubarum. Ed. Spir. *et sonitu tubarum.*

neque inulti. Sic MSS. Guelf. Bud. edd. Rhenan. sqq. — *neque multi* edd. ante Rhen. (cum silent. Vict.), quae vulgaris est confusio. cf. not. ad An. 16, 23. Quia puncta plerumque negliguntur in MSS., vocabula *multi* et *inulti* vix discerni possunt. Guelferb. tamen scribit *iulti.* MS. Ies. pro *neque* habet *atque.*

sex liburnicae. MS. Guelf. *sed Liburnicae.*

tumultum. Ed. Spir. *tumulum.*

litore. Ed. Spir. *lictore.* cf. not. ad c. 63. — Eadem cum MS. Bud. *ut nimio* pro *aut nimio.* Ceterum pro *reliquae ... captae* MSS. Corb. Bud. edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. habent *reliquas ... captas.* Pichena suadente Lipsio reposuit *reliquae ... captae*, quae sunt in edd. Spir. Put. M. et V. MSS. Covarruv. Guelf. et teste Broterio omnibus fermе codicibus MSS., eamque scripturam Pichena dicit confirmari a Florent., qui ferat *captae.* Igitur codex ille habebit *reliquas ... captae*, unde ceterorum librorum varietas originem traxit.

perductus. Ed. Spir. *productus.* Eadem mox *fuerunt* pro *fuere.*

fuere qui ... incesserint. Sic veteres libri scripti et impressi plerique. MSS. Bud. Corb. ed. Spir. *incesserant.* Ex Ernestii emendatione hodie edunt *incesserent.* Provocant ad locum c. 78. *nec defuere qui ... arguerent.* Addo Sallust. Cat. c. 17. *fuere qui crederent.* Ibid. c. 22. *fuere qui dicerent.* Sed in forma *incesserint* non est quod vituperes, quanquam alium loco inducit colorem. Exprimit enim id quod nos dicimus: *es gab Leute, welche sie beschuldigen wollten*, ut ita scriptor enuntiet opinionem fama coalitam de Triaria, tanquam etc. cf. Cic. Acad. 1, 10. *Zeno nullo modo is erat, qui nervos virtutis inciderit, sed contra, qui omnia, quae ad beatam vitam pertinerent, in una virtute poneret.*

tari cincta inter luctum cladesque expugnatae Tarracinae superbe saeveque egisset. ipse lauream gestae prospere rei ad fratrem misit, percunctatus, statim regredi se an perdomandae Campaniae insistere iuberet. quod salutare non modo partibus Vespasiani, sed rei publicae fuit. nam si recens victoria miles et super insitam pervicaciam secundis ferox Romam contendisset, haud parva mole certatum nec sine exitio urbis foret. quippe L. Vitellio quamvis infami inerat industria, nec virtutibus ut boni, sed quo modo pessimus quisque vitiis valebat.

LXXVIII. Dum haec in partibus Vitellii geruntur, digressus Narnia Vespasiani exercitus festos Saturni dies Ocriculi per otium agitabat. causa tam pravae morae, ut Mucianum opperirentur. nec defuere qui Antonium suspicionibus arguerent, tanquam dolo cunctantem post secretas Vitellii epistolas, quibus consulatum et nubilem filiam et dotales opes pretium proditionis offerebat. alii ficta haec et in gratiam Muciani composita. quidam omnium id ducum consilium fuisse

expugnatae Tarracinae. Ed. Spir. e mendo *expugnantę.* In *Tarracinae* libri variant, ut supra c. 76., nisi quod in MS. Guelf. secunda manus fecit *Tarracinae.*

gestae prospere rei. Ed. Spir. *gestę prospere rei.* Edd. Put. M. et V. *geste prospere rei.* Ed. Beroald. *gestae prosperę rei.* Ed. Alciat. *gestae prosperae rei.* Edd. Rhenan. (e cod. Bud.) sqq. *prospere gestae rei.* Ernestius restituit *gestae prospere rei*, quae sunt in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Litterarum *e* et *ę* infinita est in veteribus libris confusio. Ita mox MS. Guelf. *perdomande.* Paulo ante ed. Spir. *saevęque.*

insistere. MS. Corb. *consistere.*

recens victoria. MSS. Corb. Agr. et inde ed. Ryck. *recenti victoria.* Ceteri libri vulgatum retinent. cf. not. ad An. 3, 1.

ut boni. MS. Corb. *ut bonus.* Ed. Spir. *ut bonis.*

Cap. 78. *festos Saturni dies.* Ed. Spir. *festo Saturni die.*

Ocriculi. Sic MS. Agr. et inde edd. Ryck. Iac. Gronov. sqq. cf. Cluver. Ital. Ant. II., cap. 7. p. 639. Liv. 22, 11. Cic. Mil. c. 24. Ptolem. 3, 1. Plin. N. H. 3, 5. — *Otriculi* MS. Reg. edd. Spir. Put. sqq. (cum sil. Vict.) e hodierno loci nomine *Otricoli.* — *Ariculi* MSS. Bud. Ies. Guelf. In hoc secunda manus super *ar* scripsit *t.*

pravae morae. MSS. Guelf. Agr. Corb. *parvae morae.*

nec defuere. MS. Reg. et ed. Spir. *nec deficere.*

nubilem. Oberlinus vitio operarum ediderat *nobilem*, quod migravit in edd. Weikert. Naudet. aliorum.

ostentare potius urbi bellum quam inferre, quando validissimae cohortes a Vitellio descivissent et abscisis omnibus praesidiis cessurus imperio videbatur. sed cuncta festinatione, deinde ignavia Sabini corrupta, qui sumptis temere armis munitissimam Capitolii arcem et ne magnis quidem exercitibus expugnabilem adversus tris cohortes tueri nequivisset. Haud facile quis uni adsignaverit culpam, quae omnium fuit. nam et Mucianus ambiguis epistolis victores morabatur et Antonius praepostero obsequio vel, dum regerit invidiam, crimen meruit. ceterique duces, dum peractum bellum putant, finem eius insignivere. ne Petilius quidem Cerialis cum mille equitibus praemissus, ut transversis itineribus per agrum Sabinum Salaria via urbem introiret, satis maturaverat, donec obsessi Capitolii fama cunctos simul exciret.

LXXIX. Antonius per Flaminiam ad Saxa rubra multo iam noctis serum auxilium venit. illic interfectum Sabinum, conflagrasse Capitolium, tremere urbem, maesta omnia accepit: plebem quoque et servitia pro Vitellio armari nuntiabatur. Et Petilio Ceriali equestre proelium adversum fuerat. namque incautum

abscisis. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Guelf. Reg. Bud. edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. — *abscissis* MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Iac. Gronovium. cf. not. ad c. 74. Victorius haec silentio transmisit, quia simplex *s* ipsi videbatur poni pro *ss*, ut saepe.

munitissimam. MS. Bud. *invictissimam.*

nequivisset. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. — *nequisset* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Puteol. sqq. ad Iac. Gronovium. Nimirum MS. Flor. et ed. Spir. scribunt *nequisset* per compendium, unde altera scriptura exorta est.

praepostero. MS. Guelf. *postremo;* in margine *praepostero.*

dum regerit. Sic edd. Pichen. Gruter. Bernegg. sqq. duce cod. Flor., qui testibus Pichena et Victorio fert *regeret.* Ita et MSS. Bud. Reg. Corb. Agr. De ed. Spir. Ernestius et Broterius falsi sunt. Nam ibi legitur *tegeret*, ut in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Pichenam. — Bipontini male coniecere *dum regereret*, quae forma ab hoc loco prorsus aliena est: nam sic *dum* significat *bis.*

peractum. Ed. Spir. *paratum.* Num voluit *patratum?*

ne Petilius quidem. MS. Guelf. *nec Petilius quidem.*

introiret. Ed. Spir. *introire.*

et tanquam ad victos ruentem Vitelliani interiectus equiti pedes excepere. pugnatum haud procul urbe inter aedificia hortosque et anfractus viarum. quae gnara Vitellianis, incomperta hostibus metum fecerant. neque omnis eques concors, adiunctis quibusdam qui nuper apud Narniam dediti fortunam partium speculabantur. capitur praefectus alae Tullius Flavianus: ceteri foeda fuga consternantur; non ultra Fidenas secutis victoribus.

LXXX. Eo successu studia populi aucta. vulgus urbanum arma cepit. paucis scuta militaria, plures raptis quod cuique obvium telis signum pugnae exposcunt. agit grates Vitellius et ad tuendam urbem prorumpere iubet. Mox vocato senatu deliguntur legati ad exercitus, ut praetexto rei publicae concordiam pacemque suaderent. Varia legatorum sors fuit. qui

Cap. 79. *interiectus equiti pedes.* Ed. Spir. *eqs* (h. e. *equis*) pro *equiti.*

haud procul urbe. MSS. Covarruv. Bud. *urbem*, quod Lipsio verum videbatur. MS. Reg. *ab urbe.* Sed cf. infr. 4, 22. *haud procul castris*; supra 2, 23. *haud procul Cremona.* Littera *m* voci adhaesit e sequenti syllaba *in.*

anfractus. MSS. Guelf. Harl. Bodl. les. Bud. *confractus.* Sed cf. An. 4, 51. *montis anfractu repercussae ... voces.*

quae gnara. Ed. Spir. *quae ignara.*

apud Narniam. MS. Guelf. *haud narniam.*

Tullius Flavianus. MS. Flor. teste Ryckio *Tulius Flavianus.* MS. Agr. *Iulius Flavianus.* MS. Guelf. *T. Flavianus.*

fuga. Edd. Put. M. et V. *iuga.*

consternantur. Edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. *consternuntur.* Sed ceteri libri consentiunt in vulgato. cf. not. ad c. 17. Ernestius vult *in foedam fugam*, secundum Liv. 10, 43. Nam consternationem ait fecisse, ut fugerent. Sed potest etiam intelligi consternatio cum foeda fuga coniuncta. Sic c. 82. extr. *Vitelliani desperatione sola ruebant.*

Cap. 80. *cepit.* Sic MS. Guelf. edd. Alc. Rhen. sqq. — *coepit* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.).

paucis scuta. Ed. Spir. *pauci scuta.* Littera *s* coaluit cum initio sequentis vocabuli.

raptis, quod cuique obvium, telis. Nic. Heinsius emendabat *quod cuique obvium teli.* Probat Ernestius aut legendum censet *ut cuique obvium.* Frustra. Omnes rapiunt *tela*, sed unusquisque quod sibi obvium. Ed. Spir. *rapti* pro *raptis.*

deliguntur. Ed. Spir. *diriguntur.*

praetexto. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Guelf. Harl. Bodl. les. Bud. edd. Put. M. et V. Rhen. Ald. sqq. — *praetextu* MSS. Reg. Agr. edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et deinde Pich. Grut. Bernegg. Gronov. (1672.) et Ryck. — Iac. Gronovius restituit *praetexto.* cf. not. ad Hist. 1, 76.

Petilio Ceriali occurrerant, extremum discrimen adiere aspernante milite conditiones pacis. vulneratur praetor Arulenus Rusticus. auxit invidiam super violatum legati praetorisque nomen propria dignatio viri. palantur comites, occiditur proximus lictor dimovere turbam ausus: et ni dato a duce praesidio defensi forent, sacrum etiam in exteras gentes legatorum ius ante ipsa patriae moenia civilis rabies usque in exitium temerasset. Aequioribus animis accepti sunt, qui ad Antonium venerant, non quia modestior miles, sed duci plus auctoritatis.

LXXXI. Miscuerat se legatis Musonius Rufus equestris ordinis, studium philosophiae et placita Stoicorum aemulatus, coeptabatque permixtus manipulis bona pacis ac belli discrimina disserens armatos monere. id plerisque ludibrio, pluribus taedio. nec deerant qui propellerent proculcarentque, ni admonitu modestissimi

occurrerant. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Agr. edd. Spir. Ryck. Ernest. sqq. — *occurrerunt* MSS. Guelf. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Ryckium et postea Iac. Gronovius. Sed mox est *qui — venerant.* — MSS. Corb. Bud. *occurrerent.*

extremum. Ed. Spir. *ad extremum.*

adiere. MSS. Guelf. Harl. Ies. *adire.*

Arulenus. MSS. Flor. (t. Vict. cum Ryckio) Guelf. Ies. Bud. ed. Spir. *Arulenius.* Sed Plin. ep. 1, 5. *Aruleni Rustici*, idemque ep. 1, 14. *Aruleno Rustico.* Xiphil. 67, 13. habet Ῥούστικον τὸν Ἀρουλῖνον.

violatum. MS. Guelf. *vulneratum.* Deinde a prima manu videtur ibi fuisse *nomine:* nunc ultima littera est erasa.

palantur. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. *pallantur*, hic et alibi.

ausus. MS. Agr. *annixus.*

dato. Ed. Spir. *date.* — MS. Bud. non habet *et* ante *ni.* Ab MS. Corb. abest *etiam* post *sacrum.*

in exteras gentes. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Bud. Reg. Ies. Agr. Corb. edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.) Ryck. Iac. Gronov. — *inter exteras gentes* MSS. Guelf. Harl. Bodl. edd. Puteol. M. et V. Alc. Rhenan. sqq. ad Ryckium. — Ernestius et Broterius maluere *inter.* Bipont. Oberlin. sqq. reposuerunt *in.* Recte. Nam *in* pendet e vocabulo *legatorum*, ut intelligas ius legationis sacrum etiam in legatis ad exteras gentes missis. Tacitus brevitatis studiosus duo momenta in unam contrahit enuntiationem. — Mox MS. Guelf. post *rabies* addit *que.*

Cap. 81. *coeptabatque.* MS. Guelf. *certabatque*, quod ortum est e scriptura *ceptabatque.*

monere. Sic edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *mouere* MSS. Guelf. Harl. edd. Put. M. et V.

cuiusque et aliis minitantibus omisisset intempestivam sapientiam. Obviae fuere et virgines Vestales cum epistolis Vitellii ad Antonium scriptis. eximi supremo certamini unum diem postulabat: si moram interiecissent, facilius omnia conventura. Virgines cum honore dimissae; Vitellio rescriptum Sabini caede et incendio Capitolii dirempta belli commercia.

LXXXII. Tentavit tamen Antonius vocatas ad concionem legiones mitigare, ut castris iuxta pontem Mulvium positis postera die urbem ingrederentur. ratio cunctandi, ne asperatus proelio miles non populo, non senatui, ne templis quidem ac delubris deorum consuleret. sed omnem prolationem ut inimicam victoriae suspectabant. simul fulgentia per colles vexilla, quanquam imbellis populus sequeretur, speciem hostilis exercitus fecerant. Tripartito agmine, pars ut adstiterat Flaminia via, pars iuxta ripam Tiberis incessit,

supremo certamini. Sic MS. Guelf. edd. Lipsii posteriores, Pichen. Grut. sqq. — *supremo certamine* MSS. Reg. Agr. edd. Spir. Put. sqq. cum Lipsii prima.

unum diem. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. ad Berneggerum, qui primus edidit *unam diem*, idque hodie vulgatur.

postulabat. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Agr. Harl. Bodl. Ies. Corb. edd. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *postulabant* MSS. Reg. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. ad Ryckium. — E cod. Guelf. Ernestius falso prodidit *postulabat*: nam ibi est *postulabāt*. Utraque scriptura loco apta est.

dirempta. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *direpta* MSS. Bud. Reg. Harl. Ies., eadem confusione qua supra c. 75. De locutione cf. Virgil. Aen. 10, 532.

Cap. 82. *pontem Mulvium.* Sic edd. Oberlin. sqq. — MS. Flor. teste Victorio *pontem Mulvi.* MS. Corb. et ed. Spir. *pontem Milui.* MS. Guelf. edd. Put. sqq. *pontem Milvium.* cf. not. ad An. 13, 47. et Hist. 1, 87. et 2, 89. Vix dubito legendum esse *pontem Mulvii.*

ingrederentur. MS. Ies. *ingrederetur.* Ed. Spir. *ingredirentur.*

asperatus. MS. Guelf. et ed. Spir. *aspernatus.*

delubris deorum. MS. Guelf. *deorum delubris.*

prolationem. Sic MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Reg. Guelf. Harl. Ies. Corb. Bud. Bodl. (in margine) edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. — *prolatationem* MS. Bodl. (a prima manu) edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Iac. Gronovium. — Mox ed. Spir. *tanquam* pro *quanquam.*

adstiterat. MS. Flor. teste Victorio *adsisterat*, ut supra. MS. Guelf. *adsisteret.*

tertium agmen per Salariam Collinae portae propinquabat. plebs invectis equitibus fusa: miles Vitellianus trinis et ipse praesidiis occurrit. proelia ante urbem multa et varia: sed Flavianis consilio ducum praestantibus saepius prospera. ii tantum conflictati sunt, qui in partem sinistram urbis ad Sallustianos hortos per angusta et lubrica viarum flexerant. superstantes maceriis hortorum Vitelliani ad serum usque diem saxis pilisque subeuntes arcebant, donec ab equitibus, qui porta Collina inruperant, circumvenirentur. Concurrere et in campo Martio infestae acies. pro Flavianis fortuna et parta totiens victoria: Vitelliani desperatione sola ruebant, et quanquam pulsi rursus in urbe congregabantur.

LXXXIII. Aderat pugnantibus spectator populus, utque in ludicro certamine, hos, rursus illos clamore et plausu fovebat: quotiens pars altera inclinasset, abditos in tabernis aut, si quam in domum perfugerant, erui iugularique expostulantes parte maiore praedae potiebantur. nam milite ad sanguinem et caedes

Salariam. Ed. Spir. *Sallariam.*

plebs. Edd. Pich. Bernegg. Gronov. (1672.) *plebes* invitis veteribus libris. Quare Ryckius et Iac. Gronovius restituerunt *plebs.*

ii tantum. MSS. Guelf. Harl. Ies. *hi tantum.* Ed. Spir. cum MSS. Reg. Corb. Bud. *in tantum.* MS. Agr. *nonnunquam conflictati sunt. Qui* etc.

Sallustianos. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lips. sqq. — *Salustianos* MS. Guelf. et edd. ante Lipsium.

ad serum usque diem. Sic MSS. et veteres editiones. Lipsius ediderat *diei.* Pichena veterem scripturam restituit.

Cap. 83. *hos, rursus illos.* Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Corb. Agr. Bud. edd. Spir. Iac. Gron. sqq. — *hos modo, rursus illos* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Flor. (in margine a rec. m.) edd. Puteol. sqq. ad Iac. Gronovium. — cf. supra c. 22. *his, rursum illis.*

abditos. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Guelf. etc. edd. Spir. Put. M. et V. Lips. Pich. sqq. — *abditi* edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Lipsium.

si quam in domum. Praepositio *in* deest in MSS. Corb. Agr. ed. Spir. Absorpta est a littera *m.*

expostulantes. Sic MSS. et veteres edd. praeter cod. Bud., unde Rhenan. sqq. ediderunt *postulantes.* Pichena veterem scripturam restituit.

ad sanguinem et caedes. Synonyma. cf. Roth. p. 9. et Hist. 1, 84. 3, 65. — MS. Agr. et ed. Spir. *ad caedes et sanguinem.*

obverso spolia in vulgus cedebant. Saeva ac deformis urbe tota facies. alibi proelia et vulnera, alibi balineae popinaeque: simul cruor et strues corporum, iuxta scorta et scortis similes: quantum in luxurioso otio libidinum, quidquid in acerbissima captivitate scelerum: prorsus ut eandem civitatem et furere crederes et lascivire. Conflixerant ante armati exercitus in urbe, bis L. Sulla, semel Cinna victoribus. nec tunc minus crudelitatis: nunc inhumana securitas, et ne minimo quidem temporis voluptates intermissae. velut festis diebus id quoque gaudium accederet, exsultabant, fruebantur, nulla partium cura, malis publicis laeti.

obverso. MS. Reg. et ed. Spir. *adverso.* — Mox MS. Flor. teste Victorio *in volgus*, uti solet. De verbo *cedebant* cf. An. 1, 1. *in Augustum cessere*; 2, 23. *in austrum cessit.*

urbe tota. Ed. Spir. *urbis tota.* Mox eadem bis *alii* pro *alibi.*

vulnera. MS. Flor. teste Victorio *volnera.*

balineae. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Pich. Bernegg. sqq. — *balniee* ed. Spir. — *balneae* MSS. Reg. Guelf. Harl. Bodl. edd. Puteol. sqq. ad Pichenam. cf. not. ad 2, 16. 3, 11. 32.

et scortis similes. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. etc. edd. Spir. Rhen. sqq. — *et scortis miles* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *in scortis* Bipontini, foeda et ieiuna emendatione. *Scortis similes* intellige pathicos.

conflixerant. MS. Dottevillii *confluxerant.* Sed ceteri libri omnes tuentur vulgatum.

victoribus. MSS. Agr. et Corb. *victore iterum.*

temporis. Ed. Spir. *temp9.*

accederet. Ed. Spir. *accideret.* MS. Guelf. a pr. manu *accedere*, a sec. manu *accidere.* Bipontini *accedere: et* etc.

fruebantur. Lipsius hoc verbum aut eiiciendum (quod ipse fecit anno 1574.) aut legendum censebat *furebantque.* Pichena (et Lipsius 1607.) e cod. Flor. priorem scripturam restituit. Hillerus coniecit *ferebantur*; Trillerus *feriabantur.* Sed iam nihil emendandum hic restat post interpunctionem, qua utimur cum Bekkero. *Id quoque gaudium* intellige gaudium spectandi pugnam utriusque partis. *Exsultabant, fruebantur* ut in ludicro certamine. Utrumque verbum ita solet dici de laetitia et voluptate spectatorum. cf. Plin. Panegyr. c. 34. *Agnoscebamus et fruebamur, cum velut piaculares publicae sollicitudinis victimae .... ad lenta supplicia gravioresque poenas ducerentur.* Quidam male putant respici ad *voluptates non intermissas*, de quibus ante dictum est. — Veteres editiones interpungebant: *intermissae. Velut .... exultabant. Fruebantur* etc. Alciatus punctum ante *velut* commate mutavit; Lipsius alterum ante *fruebantur.* Ernestius: *velut festis diebus (id quoque gaudium accederet) exsultabant, fruebantur.* Oberlinus: *intermissae: velut .... accederet, exsultabant, fruebantur; nulla p. c., m. p. laeti.* Sed verba *nulla partium cura* artius cohaerent cum verbo *fruebantur.*

LXXXIV. Plurimum molis in oppugnatione castrorum fuit, quae acerrimus quisque ut novissimam spem retinebant. eo intentius victores praecipuo veterum cohortium studio cuncta validissimarum urbium excidiis reperta simul admovent, testudinem, tormenta, aggeres facesque, quidquid tot proeliis laboris ac periculi hausissent, opere illo consummari clamitantes. Urbem senatui ac populo Romano, templa diis reddita: proprium esse militis decus in castris, illam patriam, illos penates. ni statim recipiantur, noctem in armis agendam. Contra Vitelliani quanquam numero fatoque dispares inquietare victoriam, morari pacem, domos arasque cruore foedare suprema victis solatia amplectebantur. multi semianimes super turres et propugnacula moenium exspiravere. Convulsis portis reliquus globus obtulit se victoribus: et cecidere omnes contrariis vulneribus versi in hostem. ea cura etiam morientibus

Cap. 84. *oppugnatione*. MS. Flor. teste Victorio *obpugnatione*. Ed. Spir. *oppugnationem*.

spem. Sic MSS. Flor. (t. Vict.) Guelf. (a sec. manu) Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *speciem* MSS. Guelf. (a prima manu) Ies. Corb. edd. Put M. et V. Beroald. Alciat. vulgari confusione, quae originem traxit e compendio scripturae. cf. not. ad An. 13, 8. MS. Corb. habet etiam *in* pro *ut*.

eo intentius. MS. Ies. *eo contentius*. In MS. Guelf. a prima manu fuit *contentius* neglecta voce *eo*.

validissimarum. Ed. Spir. *validarum*. — Mox veteres editiones interpungunt: *reperta. Simul admovent* etc. Meliorem distinguendi rationem instituit Rhenanus.

quidquid. MS. Corb. et ed. Spir. *et quicquid*.

fatoque. MSS. Reg. Bud. (Harl. Ies. in margine) edd. Spir. Put. V. Alc. *factoque*. cf. not. ad An. 13, 12. ubi eadem est scripturae varietas.

suprema victis solatia. Ne cum Ernestio cogita de coniugibus, liberis, immo cum Broterio et Bipont. de ipsis istis vindictae facinoribus. Nam haec sunt suprema victis solatia, saevire, evertere, foedare.

amplectebantur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Corb. edd. Iac. Gronov. Oberlin. sqq. — *complectebantur* MSS. Guelf. Bud. edd. Put. sqq. ad Iac. Gronovium et post illum Ernest. et Broterius. Sed *amplecti* verum esse docent exempla An. 4, 42. 6, 8. Vid. Roth. Quaest. Grammat. — Ed. Spir. *contemplabantur*. MS. Ies. *compectebantur*. — Mox ed. Spir. *propuganacula* et *exspiravare*.

convulsis. MS. Flor. teste Victorio *convolsis*.

versi in hostem. Haec Ernestio de glossemate suspecta erant: „Nam quid, inquit, ex iis intelligitur, quod non in verbis *contrariis vulneribus cadere* insit?" Nimirum hoc inest reliquos Vitellianos contraria vulnera habuisse, quum caderent, quia versi in hostem ceci-

decori exitus fuit. Vitellius capta urbe per aversam palatii partem Aventinum in domum uxoris sellula defertur, ut, si diem latebra vitavisset, Tarracinam ad cohortes fratremque perfugeret. dein mobilitate ingenii et, quae natura pavoris est, cum omnia metuenti praesentia maxime displicerent, in palatium regreditur vastum desertumque, dilapsis etiam infimis servitiorum aut occursum eius declinantibus. Terret solitudo et tacentes loci: tentat clausa, inhorrescit vacuis, fessusque misero errore et pudenda latebra semet occultans ab Iulio Placido tribuno cohortis protrahitur. vinctae pone tergum manus: laniata veste foedum spectaculum ducebatur, multis increpantibus, nullo inlacrimante. deformitas exitus misericordiam abstulerat. Obvius e Germanicis militibus Vitellium infesto ictu per iram vel quo maturius ludibrio eximeret, an tribunum adpetierit, in incerto fuit: aurem tribuni amputavit ac statim confossus est.

derint nec in limine quidem mortis a pugna destiterint. Igitur explicandi causa haec satis apte adsunt. cf. not. ad An. 6, 24. sub vv. *alienationem mentis simulans.*

per aversam palatii partem. Ed. Spir. *per adversam palatii portam.* Etiam MS. Corb. habet *adversam.* Contrariam confusionem vidimus Hist. 1, 59. Lipsius frustra coniiciebat *per aversa palatii.* Vulgata scriptura defenditur exemplis supr. c. 70. et 2, 50. Sallust. Cat. c. 20.

Aventinum. MS. Bud. *Aventini.* Sed Tacitus accusativum ponit sine praepositione, ut Suet. Tib. c. 15. *Esquilias transmigravit.*

vitavisset. Ed. Spir. *visitasset.*

Tarracinam. Sic MS. Guelf. et edd. Lipsii. — Edd. ante Lipsium *Terrasinam.* cf. not. ad c. 76. — Mox ed. Spir. post *pavoris* non habet *est.*

pudenda latebra. cf. Suet. Vit. c. 16.

Placido. Sic edd. Spir. Lips. sqq. — *Placito* edd. Puteol. sqq. ad Lipsium (cum silentio Victorii).

pone tergum. MSS. Corb. Agr. et ed. Spir. *tergum pone.*

inlacrimante. Sic MS. Flor. (teste Victorio) et ed. Spir. — *illacrimante* MS. Guelf. — *illachrymante* edd. Puteol. sqq.

maturius. Ed. Spir. *maturus.*

ludibrio. Rhenanus e corrupta scriptura MS. Bud. *ludibus* fecit *ludibriis*, quod vulgatur ad hunc diem. Sed quum ceteri libri consentiant in *ludibrio*, non puto eam libri Bud. esse auctoritatem, qua illos superet. Etiam Broterius retinuit *ludibrio.* Ceterum parum interest.

in incerto. MS. Guelf. *i certū*, littera *v* est a secunda manu. — MS. Reg. *in incerta.*

LXXXV. Vitellium infestis mucronibus coactum modo erigere os et offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque Rostra aut Galbae occisi locum contueri: postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini iacuerat, propulere. una vox non degeneris animi excepta, cum tribuno insultanti se tamen imperatorem eius fuisse respondit. ac deinde ingestis vulneribus concidit. et vulgus eadem pravitate insectabatur interfectum, qua foverat viventem.

LXXXVI. Patria illi Luceria. septimum et quinquagesimum aetatis annum explebat. consulatum, sacerdotia, nomen locumque inter primores nulla sua industria, sed cuncta patris claritudine adeptus. principatum ei detulere, qui ipsum non noverant. studia exercitus raro cuiquam bonis artibus quaesita perinde adfuere quam huic per ignaviam. inerat tamen simplicitas ac liberalitas, quae, ni adsit modus, in exitium vertuntur. amicitias, dum magnitudine munerum, non

Cap. 85. *aut Galbae.* Sic MSS. et veteres editiones. — Rhenanus ann. 1544. fortasse operarum lapsu ediderat *et Galbae*, quod mansit usque ad Ryckium. Is e MSS. Flor. et Agr. restituit *aut*.

una vox. Sic MSS. et veteres editiones praeter cod. Bud., unde Rhenanus edidit *vox una*, quomodo legunt ad hunc diem. Cum Broterio malui veterem verborum ordinem restituere.

Cap. 86. *Patria illi Luceria.* Ex emendatione Oberlini, ad quam praeivere codicum MSS. Flor. et Bud. vestigia: *Patrem illi Luceriam.* Nam Luceriam (cf. Strabo 6, p. 284. Plin. 3, 16. Liv. 9, 2. et 41.) fuisse scribendam patriam Vitellii etiam apud Suet. Vit. c. 1. dubitare nequit, quanquam Baumgarten-Crusius Oberlini coniecturam neglexit. cf. Cellar. Geogr. Ant. t. 2. p. 882. — MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *patrem illi Lucerium. septimum* etc. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *pater illi L. Vitellius (nam septimum ... explebat) consulatum* etc., quae Victorio intacta manserunt. Edd. Rhen. sqq. *pater illi L. Vitellius. Septimum* etc. Accedunt virorum doctorum coniecturae: Rhenani: *pater illi L. Nucerin*, vel: *L. Nuceria* pro *a Nuceria. Iam septimum* etc., vel: *patrem illi Nuceria* (intellecto *dedit*). Gruteri: *patria illi Nuceria. Septimum* etc. Pichena *nam*, quod veteres libri ferunt, volebat mutari in *iam.* Bipontini: *peracta illi luce iam septimum* etc.

nomen locumque. Sic edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. — *nomenque* (neglecta altera voce) MS. Guelf. edd. Put. M. et V. — Mox MS. Guelf. *nulla* pro *nulla.*

cuncta patris. Ed. Spir. *patris cuncta.*

ei detulere. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. — *eidem tulere* vel *eidē tulere* MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alciat.

constantia morum continere putat, meruit magis quam habuit. Rei publicae haud dubie intererat Vitellium vinci: sed imputare perfidiam non possunt, qui Vitellium Vespasiano prodidere, cum a Galba descivissent. Praecipiti in occasum die ob pavorem magistratuum senatorumque, qui dilapsi ex urbe aut per domos clientium semet occultabant, vocari senatus non potuit. Domitianum, postquam nihil hostile metuebatur, ad duces partium progressum et Caesarem consalutatum miles frequens utque erat in armis in paternos penates deduxit.

continere putat. Sic veteres libri omnes. Acidalio auctore Bipont. Oberlin. sqq. ediderunt *contineri putat*, cuius mutationis nullam video necessitatem. Non enim de animi sententia Vitellii sermo est, quasi persuasum ipsi fuisset amicitias debere contineri magnitudine munerum, non constantia morum: sed id dicitur, Vitellium ita egisse in amicitiis, ut putaret se eas satis continere magnitudine munerum.

meruit magis quam habuit. H. e. *er stand mehr im Dienste als im Genuss seiner Freundschaften.* Burnouf: *il en acheta plus qu'il n'en eut.*

rei publicae. Haec Rhenanus auctore cod. Bud. deleverat. Restituit Lipsius e MS. Vatic., cum quo ceteri libri veteres consentiunt.

vinci. MS. Flor. teste Victorio *uicinis*, quod vitium puta ortum ex attracta prima littera sequentis vocabuli.

imputare. Sic Phaedr. 1, 22. *noli imputare vanum beneficium mihi.* Ubi vid. Schwabe. cf. Sueton. Tib. c. 53.

praecipiti. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Vatic. (test. Lips.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Micyll. (1557.) Lips. Pichen. sqq. — *praecipite* MSS. Reg. Agr. Corb. ed. Spir. — *praecipitante* MS. Bud. edd. Rhen. Ald.

clientium. Ed. Spir. *cliẽtu.* — Eadem mox *nil* pro *nihil.*

consalutatum. MS. Guelf. *consultatum*; sed in margine *consalutatum.*

C. CORNELII TACITI
HISTORIARUM
LIBER QUARTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Interfecto Vitellio milites Flaviani in urbe saeviunt. 2. Domitianus nomen sedemque Caesaris nactus adulteriis filium principis agit. L. Vitellius interficitur. 3. Campania composita Vespasiano senatus consulatum cum Tito filio, praeturam Domitiano et consulare imperium decernit. 4. Muciani, Antonii, ceterorum honores. Restituendi Capitolii consilium. Libertati consulit Helvidius Priscus, cuius 5. vita et mores, 6—8. et cum Eprio Marcello acre iurgium de legatis ad principem mittendis. 9. De impensis publicis dissensio. 10. Musonius Rufus in P. Celerem invehitur. 11. Mucianus urbem ingressus cuncta in se trahit, Calp. Galerianum caedi curat, Asiaticum libertum servili supplicio tollit.

12. Germanicae cladis fama. Eius belli causa in Batavis 13. duce Claudio Civile. 14—16. Is Batavos Canninefates, Frisios excitat, statim dolo, mox aperta vi Romanos superat. 17. Victoriae huius fama motae Germaniae auxilia offerunt Civili, qui et Galliarum societatem adfectat. 18. Hordeonii Flacci segnitia. Victi Romani in Vetera castra fugiunt. 19. Batavorum et Canninefatium cohortes iussu Vitellii in urbem pergentes corruptae, Civili iunguntur et 20. Bonnensi proelio Romanorum aciem perfringunt. 21. Civilis consilii ambiguus suos in verba Vespasiani adigit, hostilia velans: 22. 23. mox Vetera obsidet frustra. 24. 25. Hordeonius Flaccus seditione conflictatus summam rerum Voculae permittit. 26. 27. Huic additus Herennius Gallus re male gesta verberatur. Nova seditio. 28—30. Civilis immensis auctibus ab universa Germania elatus obsidium Veterum urget, Ubios vexat. Varia certamina.

31. Nunciato Cremonensi proelio auxilia Gallorum a Vitellio desciscunt. Suos quoque Hordeonius in Vespasiani verba adigit haesitantes. 32. Ad Civilem missus Montanus, ut a bello absistere iubeat, ab ipso tentatur. 33. 34. Cum Vocula confligit Civilis vario eventu, non sine utriusque ducis culpa. 35. Vocula male utitur victoria. Vetera obsidione liberat. 36. Civilis Geldubam capit. Romani milites Hordeonium necant. Vocula per tenebras evadit. 37. Mox a Civile superati Voculam denuo sequuntur, quocum obsidione Magontiacum liberant. Treveri nunc fidi, mox rebelles.

38. Vespasianus cum Tito consulatum init. Falsi pavores in urbe et a L. Pisone. 39. Domitianus praetor. Vis penes Mucianum. Is Primi Antonii potentiam infringit. 40. Restituti Galbae honores. Bareae Sorani manibus P. Celere damnato satisfactum. 41. Alii quoque delatores castigati. 42. In his Aquilium Regulum a Messalla fratre defensum Montanus percellit. 43. 44. Idem in Marcellum tentat Helvidius intercedente Caesare abolendam priorum temporum memoriam rato. Itaque in paucos modo saevitum. 45. Senenses ob pulsatum senatorem puniti. Antonius Flamma lege repetundarum damnatus. 46. Militaris seditio a Muciano repressa. 47. Abrogati consulatus, quos Vitellius dederat. Funus censorium Flavio Sabino ductum. 48—50. L. Pisonis Africae proconsulis caedes. Servi eius egregium mendacium. Oeensium Leptitanorumque discordiae compositae. Fusi Garamantes. 51. Parthorum auxilia non recipit Vespasianus. 52. Hunc iratum Domitiano Titus mitigat. 53. Cura restituendi Capitolii in L. Vestinum collata.

54. Audita mors Vitellii duplicaverat bellum per Gallias Germaniasque. Cum incendio Capitolii finis imperio adesse creditus. 55—58. Interfecto Hordeonio conspirant cum Civile et Classico Iulius Tutor et Iulius Sabinus. nutant reliquae Galliae. Romanae quoque legiones tentantur frustra renitente Vocula, quo 59. 60. caeso vinctisque Herennio et Numisio legatis istas pro imperio Galliarum sacramento adigit Civilis, Tutor Agrippinenses, Classicus obsessos ad Vetera. 61. Civilis voti compos crinem deponit. Tum et maior auctoritas Veledae. 62. Captarum legionum maestum silensque agmen. Ala Picentina necem Voculae vindicat. 63—65. Colonia Agrippinensis Transrhenanis gentibus invisa in summum discrimen adducta cum Civile societatem init, Veledae numen donis placat. 66. Civilis Betasios, Tungros, Nervios in fidem accipit. 67. Fusi Lingones a Sequanis, I. Sabinus victus latet. 68. Mucianus cum Domitiano ad bellum accingitur. 69. Remi Gallias in fide Romana conservant exceptis Treveris atque Lingonibus. 70. Sed nec iis nec reliquis civitatibus nec ipsis ducibus satis consilii ac concordiae. Tutor ad Bingium victus. 71. Petilius Cerialis Magontiacum venit, spes Romanorum erigit, Valentinum ducem magna strage adfectum capit. 72. Treveros intrat. Militibus exitium urbis poscentibus resistit. Victas legiones in castra recipit. 73. 74. Treveros et Lingones officii admonet. 75. Civilis et Classicus ad Cerialem litteras mittunt, ad quas ille nihil. 76. Civilis cunctandum, Tutor et Classicus statim pugnandum statuunt. 77. 78. Atrox proelium, quo Cerialis initio victus mox victor castra hostium exscindit. 79. Agrippinenses a Germanis desciscunt. 80. Mucianus Vitellii filium interficit. Antonius primus ad Vespasianum profectus non pro spe excipitur. 81. Multis miraculis coelestis in Vespasianum favor ostensus. Ipse oculorum tabe notum, alium manu aegrum sanitati restituit. 82. Confirmatur omine in templo Serapidis, cuius 83. 84. origo Sinopensis, templum Alexandriae magnificum, nomen. 85. Valentinus supplicio adfectus. 86. Domitianus frustra tentato Ceriale an sibi exercitum imperiumque traditurus foret litterarum studium et amorem carminum simulat. Gesta haec partim eodem anno, partim

IMP. VESPASIANO ITERUM TITO FIL. COSS.

I. Interfecto Vitellio bellum magis desierat quam pax coeperat. armati per urbem victores implacabili odio victos consectabantur. plenae caedibus viae, cruenta fora templaque, passim trucidatis, ut quemque fors obtulerat. ac mox augescente licentia scrutari ac protrahere abditos: si quem procerum habitu et iuventa conspexerant, obtruncare, nullo militum aut populi discrimine. Quae saevitia recentibus odiis sanguine explebatur, dein verterat in avaritiam. nihil usquam secretum aut clausum sinebant Vitellianos occultari simulantes. initium id perfringendarum domuum, vel, si resisteretur, causa caedis. nec deerat egentissimus quisque e plebe et pessimi servitiorum prodere ultro dites dominos: alii ab amicis monstrabantur. Ubique lamenta, conclamationes et fortunae captae urbis, adeo ut Othoniani Vitellianique militis invidiosa antea petulantia desideraretur. Duces partium accendendo civili bello acres, temperandae victoriae impares. quippe in turbas et discordias pessimo cuique plurima vis: pax et quies bonis artibus indigent.

COMMENTARIUS.

Cap. 1. *fors obtulerat.* Sic MS. Corb. edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Ernest. Brot. sqq. — *sors obtulerat* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Alc. Rhen. Ald. sqq. ad Ernestium. cf. not. ad An. 14, 5. Hist. 2, 70.

si quem procerum etc. Nimirum petebantur Germanici milites.

conspexerant. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. Agr. edd. Spir. Iac. Gron. sqq. — *prospexerant* edd. Put. M. et V. Ber. sqq. ad Iac. Gronovium.

nihil usquam. MS. Guelf. *nil usquam.*

e plebe. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Harl. Ies. Corb. ed. Spir., unde restituo. — *ex plebe* edd. Put. sqq. ad hunc diem.

et pessimi. MS. Guelf. *et proximi* in contextu; sed in marg. *et pessimi.* Ceterum coniunge *nec deerat ... prodere.* Nam *prodere* pendet e verbo *deerat.* cf. not. supr. ad 3, 58. *nec deerat ipse . . . elicere.* Edd. Rhen. Ald. Micyll. Lipsii prima, Pich. sqq. pessime ponunt plenam distinctionem post *plebe.*

conclamationes. MS. Guelf. *et conclamationes.*

et fortunae captae urbis. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *et captae urbis fortunae* MS. Agr. — Pro *fortunae* MS. Guelf. et ceterorum MSStorum vulgus cum edd. Put. sqq. ferunt *fortuna,* quod cum loco minus aptum videretur, suadente Vertranio recentiores editores cum Ernestio praetulere *forma.* Nam Ernestius ad h. l. dicit: „*Fortuna captae urbis* ante declarata: sequebatur, ut luctus inde ortus describeretur, quae est

II. Nomen sedemque Caesaris Domitianus acceperat: nondum ad curas intentus sed stupris et adulteriis filium principis agebat. Praefectura Praetorii penes Arrium Varum: summa potentiae in Primo Antonio. is pecuniam familiamque e principis domo quasi Cremonensem praedam rapere: ceteri modestia vel ignobilitate ut in bello obscuri ita praemiorum expertes. Civitas pavida et servitio parata occupari redeuntem Tarracina L. Vitellium cum cohortibus exstinguique reliqua belli postulabat. praemissi Ariciam equites: agmen legionum intra Bovillas stetit. Nec cunctatus est Vitellius seque et cohortes arbitrio victoris permittere. et miles infeli-

species et forma captae urbis, non fortuna." At *fortunae* sunt species et formae singulae fortunae. cf. Phaedr. 4, 16, 1. *Cum de fortunis quidam quereretur suis.* Cic. pro Rosc. A. c. 20. *ut postea neminem alium nisi fortunas vestras accusare possitis.* Id. post red. in senatu c. 14. *bonos viros lugere malui meas fortunas quam suis desperare.* Tacitus voce *fortunae* breviter absolvit illius faciei descriptionem, ut sententia sit: *ubique lamenta, conclamationes et quae sunt formae adversae fortunae in captivitate urbis.* Pro emendatione *forma* adferuntur exempla Hist. 3, 28. *varia pereuntium forma;* Ib. c. 83. *saeva ac deformis urbe tota facies.* Sed hic locus illa mutatione non indiget, quanquam notissimum est saepe permutari in MSS. vocabula *forma* et *fortuna.* cf. Schaefer. ad Plin. ep. 3, 3. — Mox animadverte synonyma *turbas et discordias, pax et quies.* cf. Roth. p. 9.

Cap. 2. *nondum ad curas intentus.* Ernestius ad h. l. scribit: „Qui attente haec leget, animadvertet aliquid esse, quod offendat. Constaret oratio, si esset *agens* pro *agebat*, aut *sed*, quod est post *intentus*, ante *nondum.*" Fallitur. Nam Tacitus e sua dicendi consuetudine in protasi negativa omittit verbum finitum, ut ex apodosi a *sed* incipiente intelligatur. cf. supr. 1, 83. *neque ut animum ad virtutem cohortarer* (int. *veni*), *sed veni* etc. Ita hic *nondum ad curas intentus* dictum est pro non ut iam ad curas intentus fuerit atque ita filium principis egerit, sed stupris etc. Vid. et not. ad c. 4. — Mox ed. Spir. habet *strupris* pro *stupris.*

Varum. MS. Guelf. *Varium.* Ed. Spir. *Varrum.* cf. not. ad An. 13, 9. Hist. 3, 6. 16. 61.

modestia. Hoc deest in ed. Spir.

parata occupari etc. Rhenanus e cod. Bud. ediderat *occupare.* Lipsius ann. 1574. restituit veterem formam. Ante Rhenanum fuere qui male coniungerent *parata occupari, redeuntem.* Ed. Spir. *occupari. Redeuntem* etc.

Tarracina. Sic edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. — *Taracina* ed. Spir. — *Terracina* MS. Guelf. cf. Hist. 3, 2. 60. 76. — Mox ed. Spir. *extingui q̃ reliqui belli.*

postulabat. MS. Agr. *postulabant.*

Ariciam. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *Artiani* ed. Spir. — *Arriani* MS. Corb. — *Ariciani* MS. Bud. — *Aritiam* MS. Ies.

cia arma haud minus ira quam metu abiecit. longus deditorum ordo septus armatis per urbem incessit. nemo supplici vultu, sed tristes et truces et adversum plausus ac lasciviam insultantis vulgi immobiles. paucos erumpere ausos circumiecti pressere. ceteri in custodiam conditi. nihil quisquam locutus indignum et quanquam inter adversa salva virtutis fama. Dein L. Vitellius interficitur, par vitiis fratris, in principatu eius vigilantior, nec perinde prosperis socius quam adversis abstractus.

III. Iisdem diebus Lucilius Bassus cum expedito equite ad componendam Campaniam mittitur, discordibus municipiorum animis magis inter semet quam contumacia adversus principem. viso milite quies: et minoribus coloniis impunitas. Capuae legio tertia hiemandi causa locatur et domus inlustres adflictae, cum contra Tarracinenses nulla ope iuvarentur. Tanto proclivius est iniuriae quam beneficio vicem exsolvere, quia gratia oneri, ultio in quaestu habetur. Solatio fuit servus Verginii Capitonis, quem proditorem Tarracinensium diximus, patibulo adfixus in iisdem annulis, quos

haud minus. Edd. Put. M. et V. *aut minus.*

deditorum. Ed. Spir. *dedicorum.*

armatis. MS. Guelf. *armatus.* Idem mox *supplicii voltu.* Super *o* adscriptum est *u.* Eodem plane modo infr. c. 4.

adversum. Ed. Spir. *adversus.*

pressere. Sic An. 16, 9. *premi a militibus.* An. 14, 5. *pressus.* Correctione Faërni *oppressere* substituentis, quam probat Broterius, locus non indiget.

conditi. Ed. Spir. *traditi.*

fratris. Faërnus malebat *fratri,* quod probavere Ursinus et Broterius. Sed mutandi nulla est necessitas.

in principatu. Ed. Spir. *et principatu.*

Cap. 3. *Lucilius Bassus.* Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *Lucius Bassus* MS. Guelf. — *L. Bussus* edd. Put. Ber. Alc.

legio tertia. Ed. Spir. *legio tertię.*

locatur. MS. Guelf. *mittitur.*

Tarracinenses. Libri variant more solito.

ultio. Ed. Spir. *et ultio.*

Verginii. Sic edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. cf. not. ad Hist. 3, 77. — *Virginii* ed. Put. M. — *Vergenii* ed. Put. V. — *Virgilii* MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Agr. ed. Spir. — Ryckius e MS. Flor. prodidit *Vergilii.*

in iisdem annulis. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *in isdem anulis.* MS. Guelf. *anulis,* erasa altera littera *n.* Edd. Put. sqq. *annulis.* cf. not. ad An. 2, 2.

acceptos a Vitellio gestabat. At Romae senatus cuncta principibus solita Vespasiano decernit laetus et spei certus. quippe sumpta per Gallias Hispaniasque civilia arma, motis ad bellum Germanis, mox Illyrico, postquam Aegyptum, Iudaeam Syriamque et omnis provincias exercitusque lustraverant, velut expiato terrarum orbe cepisse finem videbantur. Addidere alacritatem Vespasiani litterae tanquam manente bello scriptae. ea prima specie forma: ceterum ut princeps loquebatur, civilia de se et rei publicae egregia. nec senatus obsequium deerat. ipsi consulatus cum Tito filio, praetura Domitiano et consulare imperium decernuntur.

IV. Miserat et Mucianus epistolas ad senatum, quae materiam sermonibus praebuere: si privatus esset, cur publice loqueretur? potuisse eadem paucos post dies loco sententiae dici. ipsa quoque insectatio in Vitellium

acceptos a Vitellio. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Micyll. Lips. sqq. — *acceptos Vitellio* MS. Bud. edd. Rhenan. Ald.

at Romae ... decernit. cf. supr. 1, 47. 2, 55.

Illyrico. Sic MSS. et edd. Spir. Put. M. Rhenan. sqq. — *Illyricos* edd. Put. V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc.

omnis provincias. Ed. Spir. *omnes provintias.* Sed cf. not. ad Hist. 2, 74. — Eadem mox cum edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Micyll. *coepisse* pro *cepisse*, quod legitur in MS. Guelf. edd. Ald. Lips. sqq.

ea prima specie forma. De glossemate haec Ernestius suspecta habebat: satis apte tamen videntur adesse. MS. Agr. pro *forma* suppeditat *formidata*, quod Ryckius existimabat a Tacito scriptum. Sed rectius censebimus errori librarii id deberi, cui *litterae tanquam manente bello scriptae* videbantur debuisse formidolosae et minaces esse. At quomodo ita potuerint alacritatem addere non video. Sententia est: litteras illas forma et nomine a Vespasiano esse scriptas non ut a victore adrogante, sed modestiore nomine et forma, quasi res adhuc penderent: unde alacritas addita senatoribus. *Ceterum ut princeps loquebatur* h. e. ipsa litteris contenta principem ostendebant, ut non dubium esset principatum ipsi adpeti.

et rei publicae egregia. MSS. Flor. Bud. *et r. p. egregia*, quod Iac. Gronovius recte accepit pro: *et rei publicae.* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. *et re p. egregia*, quae auctore Mureto Pichena mutavit in *de re publica egregia.* Broterius, Lallemandus, Oberlinus sqq. Iac. Gronovii emendationem in locum receperunt. cf. An. 3, 6. *idque et sibi et cunctis egregium.*

consulare imperium. cf. Sueton. Dom. c. 1. et not. ad An. 1, 14.

Cap. 4. *cur publice.* Ed. Spir. *cum publice.*

in Vitellium. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Corb. edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. —

sera et sine libertate. id vero erga rem publicam superbum, erga principem contumeliosum, quod in manu sua fuisse imperium donatumque Vespasiano iactabat. Ceterum invidia in occulto, adulatio in aperto erant. multo cum honore verborum Muciano triumphalia de bello civili data: sed in Sarmatas expeditio fingebatur. Adduntur Primo Antonio consularia, Cornelio Fusco et Arrio Varo praetoria insignia. Mox Deos respexere: restitui Capitolium placuit. eaque omnia Valerius Asiaticus consul designatus censuit: ceteri vultu manuque, pauci, quibus conspicua dignitas aut ingenium adulatione exercitum, compositis orationibus adsentiebantur. Ubi ad Helvidium Priscum praetorem designatum ventum, prompsit sententiam ut honorificam in bonum principem ita falsa aberant, et studiis senatus attolleba-

in Vitellianos MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. ad Pichenam.

erga rem publicam superbum. Ed. Spir. *erga .P. superbum.*

de bello civili. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Victorii) sqq. — *de bello civilium* MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. ed. Spir., unde Iac. Gronovius censebat legendum *de bello civili non data.* Sed haec veram loci sententiam turbant. Rectius legemus *de bello civium data.* cf. infr. c. 72.

in Sarmatas. Quam fictionem haud dubie adiuvabat Dacorum incursio, de qua dictum est supr. 3, 46. Nam Sarmatae et Daci coniunguntur infr. c. 54.

respexere: restitui etc. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Rhenan. sqq. Eadem inesse codici Flor. testantur Ernestius et Broterius, non invenio qua fide aut auctoritate. Victorius intactam reliquit scripturam: *respicere restituique* etc., quae exstat in MSS. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Beroald. Alc.

Capitolium placuit. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. — *placuit Capitolium* edd. Rhenan. (fortasse lapsu operarum) Ald. sqq. ad hunc diem.

ut honorificam. MS. Reg. *et honorificam.* MS. Vat. 1864. *ut honorificum.*

ita falsa aberant. Sic MS. Agr. edd. Ryck. Ernest. Brot. Oberl. sqq. — A ceteris MSStis et vett. edd. abest *ita*, plena distinctione ante *falsa* posita. Lipsius quaedam deesse ratus volebat: *ut honorificam in bonum principem, ita adulationis expertem: Falsa* etc., cui scripturae inesse tautologiam bene vidit Ernestius. Colerus locum sanabat transpositione sic: *honorificam ut in b. p.* etc. Bipont.: (*falsa aberant*) *item st. s. a.* Frustra et male. Weikertus glossematis suspicionem movit contra verba *ita falsa aberant* uncisque inclusit.

attollebatur. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Pich. Bernegger. sqq. — *attollebantur* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. ad Ryckium.

tur. isque praecipuus illi dies magnae offensae initium et magnae gloriae fuit.

V. Res poscere videtur, quia iterum in mentionem incidimus viri saepius memorandi, ut vitam studiaque eius, et quali fortuna sit usus, paucis repetam. Helvidius Priscus Tarracinae municipio, Cluvio patre, qui ordinem primipili duxisset, ingenium inlustre altioribus studiis iuvenis admodum dedit, non ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior ad-

praecipuus illi dies. MSS. Agr. et Corb. *praecipue illi dies*, ex emendandi studio. *Praecipuus* est *ehrenvoll*. Ita *praecipua servati civis corona* An. 15, 12.

Cap. 5. *quia iterum.* cf. supr. 2, 91. De eodem Helvidio Prisco vide Xiphilin. 66, 12. MS. Agr. habet *quoniam in mentionem* etc.

Tarracinae municipio. Locus nondum sanus. Codd. MSS. et edd. ante Bip. et Oberl. post *Priscus* addunt *regione Italiae*. Lipsius suadentibus Vertranio et Ferreto addiderat numerum *septima*, invitis veteribus libris. In sequentibus vocabulis codices mire variant. Florentinus teste Ryckio *Carecinae municipio*. Pichena adnotaverat de oppido *Tarracinae* Florentinum consentire. Victorius etiam intactum reliquit *Tarracinae*. Vatic. Lipsii *Tarentium municipio*; Farnes. et Corb. *Tarentinae municipio*; Guelf. in marg. *tarantine*; Agr. et ed. Spir. *Tarentino oppido*. Ceteri libri conspirant in *Tarracinae municipio*. Iam interpretes bene viderunt vocabulum *regionis* ab hoc loco alienum esse. Quare Bipontini et Oberlinus verba *regione Italiae* tanquam glossema abiecere. At sic locum nondum persanarunt. Nam vocabulum *Tarracinae* infirma esse fide satis apparet e codicum vestigiis. Nimis etiam faciles fuere in suspicionem glossematis. Mihi satis persuasum est in vocabulo *regione* latere nomen municipii plane diversi a Tarracina (quale sit non invenio), verba sequentia poni in adpositione veramque esse scripturam codicis Flor. *Italiae Carecinae municipio*. Nam *Caricini* sive *Careçini* sunt pars Samnitium. cf. Cellar. Geogr. Ant. lib. 2. c. 9. p. 862.

Cluvio. Ed. Spir. *Clunio.*

non ut plerique, ut nomine etc. Sic codd. MSS. Guelf. aliique, edd. Put. M. et V. Beroald. sqq. — Alterum *ut* ante *nomine* omittunt MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Corb. Agr. Bud. edd. Spir. et Ryck. Et Ryckius quidem censebat eam particulam posse intelligi. Aliam viam iniit Sellingius in Observv. p. 18. Is primum *ut* ante *plerique* accipit duplici significatu (cf. not. ad An. 2, 33.), quasi scriptum esset: *non ut, ut plerique, nomine* etc. Quam dicendi rationem vix spero idoneis exemplis probatum iri: nam alia plane est indoles locorum, ad quos provocant. An commode *ut* ante *nomine* omitti possit, ut intelligatur e sequenti particula *quo*, nondum satis persuasum habeo. Solent sane et aliae particulae in priore membro omitti, ut intelligantur ex altero membro, ut *sive*, *modo* aliaque. Sed fortasse Tacitus scripsit: *ne ut plerique nomine* etc. Nam *ne* pro *ut non* saepius Nostro dicitur. cf. An. 2, 29. 12, 32. 14, 7. 16, 16. Nec desunt exempla eius confusionis, qua compendia *nō* et *ne* permutantur.

versus fortuita rem publicam capesseret. doctores sapientium secutus est, qui sola bona quae honesta, mala tantum quae turpia, potentiam, nobilitatem ceteraque extra animum neque bonis neque malis adnumerant. quaestorius adhuc a Paeto Thrasea gener delectus e moribus soceri nihil aeque ac libertatem hausit: civis, senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitae officiis aequabilis, opum contemptor, recti pervicax, constans adversus metus.

VI. Erant quibus adpetentior famae videretur, quando etiam sapientibus cupido gloriae novissima exuitur. Ruina soceri in exsilium pulsus ut Galbae principatu rediit, Marcellum Eprium delatorem Thraseae accusare adgreditur. ea ultio, incertum maior an iustior, senatum in studia diduxerat. nam si caderet Marcellus, agmen reorum sternebatur. Primo minax certamen et

rem publicam capesseret. Ed. Spir. *rep. capesceret.* Formam *capesceret* retinet ed. Ald.

sapientium. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. — *sapientum* MS. Bud. ed. Spir. — *sapientiae* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad hunc diem. Sequor meliorum librorum scripturam, quae videtur exquisitior. Coniunge *sapientium . . . qui*, ut sententia sit, Helvidium esse secutum doctores ex illorum philosophorum ordine, qui etc.

mala tantum. MS. Guelf. *mala tamen.*

potentiam. Hoc abest ab edd. Put. M. et V. In MS. Guelf. altera manus id vocabulum addidit in margine.

ceteraque extra animum. MS. Agr. *ceteraque quae* etc.

adhuc. MS. Guelf. *adhec.*

gener delectus. cf. An. 16, 28. Ed. Spir. post *delectus* addit *est*, omittit vero *e* ante *moribus*, ea confusione qua saepius praepositio *e* abiit in compendium ẽ (h. e. *est*).

libertatem. Xiphil. 66, 12. τὴν τοῦ Θρασέου παῤῥησίαν οὐ σὺν καιρῷ μιμούμενος κ. τ. λ.

civis. MS. Guelf. *quoius* (h. e. *cuius*), facili errore.

pervicax. Ed. Spir. *parvicax.*

Cap. 6. *Erant quibus.* MS. Guelf. a secunda manu et ed. Spir. *erat quibus*, sublata distinctionis nota post *metus.*

adpetentior. Sic ed. Spir. — *appetentior* edd. Put. sqq.

quando . . . exuitur. De sententia cf. Plato apud Athen. 11, p. 250. Valer. Flacc. 1, 76. Tacit. Agr. c. 9.

in exsilium pulsus. cf. An. 16, 33.

ut Galbae principatu. Ed. Spir. *ut Galbae principatus.*

delatorem Thraseae. cf. An. 16, 22. extr. et c. 28. — Mox ed. Spir. *senatus* pro *senatum.*

egregiis utriusque orationibus testatum. mox dubia voluntate Galbae, multis senatorum deprecantibus, omisit Priscus, variis, ut sunt hominum ingenia, sermonibus moderationem laudantium aut constantiam requirentium. Ceterum eo senatus die, quo de imperio Vespasiani censebant, placuerat mitti ad principem legatos. hinc inter Helvidium et Eprium acre iurgium. Priscus eligi nominatim a magistratibus iuratis, Marcellus urnam postulabat, quae consulis designati sententia fuerat.

VII. Sed Marcelli studium proprius rubor excitabat, ne aliis electis posthabitus crederetur. paulatimque per altercationem ad continuas et infestas orationes provecti sunt, quaerente Helvidio quid ita Marcellus iudicium magistratuum pavesceret? esse illi pecuniam et eloquentiam, quis multos anteiret, ni memoria flagitiorum urgeretur. Sorte et urna mores non discerni:

utriusque. Muretus frustra coniecit *utrinque.* Rhenanus e MS. Bud. hunc verborum ordinem instituerat: *egregiis orationibus utriusque.* Ryckius veterem ordinem revocavit e MSS. Flor. Agr. edd. ante Rhenanum, cum quibus conspirant MSS. Reg. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Corb.

testatum. MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. Micyll. *certatum.* Lipsius veterem scripturam restituit. Intellige certaminis illius testimonia superfuisse in egregiis utriusque orationibus, quae adessent Tacito.

eo senatus die. Ernestius hoc factum credit alio die et conventu senatus quam de quo Noster dixit supra c. 3. Contra Bipontinis et Oberlino videntur gesta unius diei hucusque procurrere. Recte. Nam si vera esset Ernestii opinio, Tacitus scripsisset *censerent*, non *censebant.* Dum hoc ponit, aperte respicit ad ante dicta. cf. not. ad An. 2, 26 sub vv. *consultum est* et 3, 69 sub v. *vulgabantur.*

hinc. MS. Guelf. *hoc*; in marg. *hinc.*

a magistratibus. MS. Guelf. *a magistribus.*

urnam. Ed. Spir. *in urnam.*

postulabat, quae. MSS. Corb. et Agr. *postulabat et quae.*

Cap. 7. *posthabitus.* MS. Bud. *prehabitus.* In Guelf. litterae *ost* sunt a secunda manu et in litura. Varietas originem traxit e compendio scripturae. cf. not. ad An. 14, 56. sub v. *postponis.*

per altercationem ad continuas. Ed. Spir. *per alterationem in continuas.* Eadem mox *Marcellius.*

quaerente. MS. Guelf. *querente.* Idem liber mox *q. ita* pro *quid ita*

urgeretur. Sic MSS. Flor. (ibi est *urgueretur* teste Vict.) Reg. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. — *urgeret* MS. Corb. edd. Spir. Lips. Gruter. — Pichena restituit *urgeretur.*

suffragia et existimationem senatus reperta, ut in cuiusque vitam famamque penetrarent. pertinere ad utilitatem rei publicae, pertinere ad Vespasiani honorem occurrere illi, quos innocentissimos senatus habeat, qui honestis sermonibus aures imperatoris imbuant. Fuisse Vespasiano amicitiam cum Thrasea, Sorano, Sentio: quorum accusatores, etiamsi puniri non oporteat, ostentari non debere. hoc senatus iudicio velut admoneri principem, quos probet, quos reformidet. nullum maius boni imperii instrumentum, quam bonos amicos. Esse satis Marcello, quod Neronem in exitium tot innocentium impulerit. frueretur praemiis et impunitate: Vespasianum melioribus relinqueret.

VIII. Marcellus non suam sententiam impugnari, sed consulem designatum censuisse dicebat secundum vetera exempla, quae sortem legationibus posuissent,

existimationem. Ed. Spir. *extimationem.* cf. not. ad An. 13, 17.

ut in cuiusque. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Bodl. (a secunda manu) edd. Spir. Pich. Lips. (1607.) Grut. sqq. — *ut uniuscuiusque* MSS. Guelf. Harl. Bodl. (a prima manu) Ies. Corb. Bud. edd. Put. sqq. ad Pichenam.

vitam famamque. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. edd. Spir. Put. M. Rhenan. sqq. — *vitam famam* edd. Put. V. Ber. (cum sil. Vict.) Alciat. — In edit. Gronoviorum (1672.) Pichenae adnotatio e MS. Flor. fert *vita famamque*, scilicet per vitium typographicum. Ernestius id vitium propagavit, et cum eo alii.

ad utilitatem rei publicae. Ed. Spir. *rep.*

imbuant. Ed. Spir. *imbuerent.*

Sentio. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Vaticc. 1863. et 1864. Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Lips. (in margine) Pich. Grut. sqq. — *Senecio* MSS. Guelf. Ies. — *Senetio* MSS. Vat. 1958. Harl. Agr. — *Senetione* MS. Bodl., sed in margine *Seneca.* Etiam in MS. Vat. 1958. vocabula *Senetione* et *Seneca* inveniuntur addita. — *Senecione* edd. Put. sqq. ad Pichenam. Broterio placebat *Seneca.*

quos probet. Ed. Spir. *quis probet.*

quam bonos amicos. Esse satis etc. Veteres libri interpungunt: *quam bonos amicos esse. Satis* etc., quam rationem et Ryckius, Broterius, Lallemandus secuti sunt. Rhenani interpunctionem, quam edimus, praeferunt Ernestius, Bip., Oberl., Bekkerus. — In utramque partem probabiliter disputari potest. MS. Guelf. in margine habet *non*, ut legas: *Non satis Marcello* etc. cum interrogatione.

Cap. 8. *secundum vetera exempla.* Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Corb. edd. Rhen. Ald. sqq. Sed quia in cod. Flor. vocabulum *secundum* scribitur per compendium *sec̄* (test. Vict.), MSS. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. pro *secundum* ferunt *sed.* In Guelf. secunda manus margini addidit *secundum*, ut legas *sed secundum*, uti est in MS. Harl. a secunda manu, edd. Spir. Beroald. Alc. — Mar-

ne ambitioni aut inimicitiis locus foret. Nihil evenisse, cur antiquitus instituta exolescerent aut principis honor in cuiusquam contumeliam verteretur. sufficere omnes obsequio. id magis vitandum, ne pervicacia quorundam inritaretur animus novo principatu suspensus et vultus quoque ac sermones omnium circumspectans. Se meminisse temporum, quibus natus sit, quam civitatis formam patres avique instituerint: ulteriora mirari, praesentia sequi: bonos imperatores voto expetere, qualescunque tolerare. Non magis sua oratione Thraseam quam iudicio senatus adflictum. saevitiam Neronis per huiusmodi imagines inlusisse. nec minus sibi anxiam talem amicitiam quam aliis exsilium. Denique constantia, fortitudine Catonibus et Brutis aequaretur Helvidius: se unum esse ex illo senatu, qui simul servierit. Suadere etiam Prisco, ne supra principem scanderet: ne

cellus dicit: non suam sententiam impugnari, sed vetera exempla; nam secundum vetera exempla censuisse consulem designatum, cuius illa sit sententia. Haec Tacitus more suo in brevius contrahit, quia e praecedentibus satis constat eandem consulis designati fuisse sententiam. Diversa interpungendi ratione utitur Bekkerus, qui habet: *sed consulem designatum censuisse dicebat, secundum vetera exempla* etc.

ne ambitioni. MS. Guelf. *nec ambitio.*

aut inimicitiis. MS. Corb. *aut inimicitiae.* Ed. Spir. *et municipiis.*

aut principis. MS. Guelf. *at principis.*

contumeliam. Ed. Spir. *iniuriam.*

obsequio. Ed. Spir. *obsequi.*

vitandum. Hoc verbum non est in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. Addidit secunda manus in marg. Guelf. et Harl. Rhenanus censuit *vitandum* posse intelligi, cui opinioni Ernestius recte adversatus est.

quorundam. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Rhenan. sqq. — *cuiusquam* MSS. Guelf. (ibi *quoiusquam*) Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

inritaretur. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *irritaretur* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

omnium. MS. Guelf. *hominum.*

se meminisse. MS. Corb. *se monuisse.* Rhenanus non satis feliciter coniiciebat *meminisset*, expuncta vocula *se*, ut ita *meminisset* intelligeretur etiam ad verba *ulteriora mirari.*

quam civitatis. MS. Guelf. *quam ci vitatis.*

voto. Ed. Spir. *vota.* Mox MS. Guelf. *tollerare.*

adflictum. Sic MS. Flor. teste Victorio. *afflictum* MS. Guelf. edd. vett. Et ed. Spir. pergit: *afflictum per seuiciam Neronis: per eius imagines inlusisse.* MSS. Corb. et Agr. *per eiusmodi.*

inlusisse. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum aliis) Farnes. Vat. Corb. Bud. Reg. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Lips. sqq., nisi quod ali

Vespasianum, senem triumphalem, iuvenum liberorum patrem, praeceptis coerceret. Quomodo pessimis imperatoribus sine fine dominationem, ita quamvis egregiis modum libertatis placere. Haec magnis utrimque contentionibus iactata diversis studiis accipiebantur. vicit pars, quae sortiri legatos malebat, etiam mediis patrum adnitentibus retinere morem. et splendidissimus quisque eodem inclinabat metu invidiae, si ipsi eligerentur.

IX. Secutum aliud certamen. Praetores aerarii (nam tum a praetoribus tractabatur aerarium) publicam paupertatem questi modum impensis postulaverant. eam curam consul designatus ob magnitudinem oneris et remedii difficultatem principi reservabat. Helvidius arbitrio senatus agendum censuit. Cum perrogarent sententias consules, Vulcatius Tertullinus tribunus plebis intercessit, ne quid super tanta re principe absente statue-

cum Flor. et Vatic. habent *inlusisse*, alii *illusisse*. — *illusisse* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. ad Lipsium, nulla idonea sententia. Sed similis prorsus varietas est An. 16, 1. ubi vid. not.

iuvenum. MS. Guelf. *iuvenem*. Idem liber mox *magis* pro *magnis*.

contentionibus. MS. Agr. *concertationibus*. Sic *concertator* An. 14, 29.

sortiri legatos. Ed. Spir. *legatos sortiri*.

adnitentibus. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *annitentibus* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

Cap. 9. *praetores aerarii*. cf. not. ad An. 1, 75.

(nam tum ... aerarium). Haec suspecta sunt Ernestio et Baumgarten-Crusio ad Sueton. Claud. c. 24. „Quorsum enim, ait ille, hoc additur, quum non additum sit An. 1, 75., quum res nota esset ex ipsius traditione An. 13, 28., quae et ad Traianum usque duravisset." At post Historias demum prodierunt Annales, nec inepte illa verba adduntur, quia variae huius rei fuerunt mutationes. Intererat igitur, ut scriptor doceret tum curam aerarii non amplius fuisse apud quaestores, sed apud praetores. Simile additamentum, quod post editos Annales inutile fuisset, legitur infra c. 15. *Transrhenana gens est*.

impensis. MS. Guelf. *impensius*.

oneris. Ed. Spir. *honoris*.

perrogarent. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Harl. Bodl. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *prorogarent* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. — *prorogaret* MS. Ies. Vulgaris haec confusio e compendio scripturae exorta invenitur etiam Sueton. Oct. c. 35.

Vulcatius Tertullinus. Sic edd. Lipsii sqq. — *Vulcatius Tertulinus* MS. Guelf. edd. Put. sqq. (cum silentio Victorii). — *Vulcanius Tetralinus* MS. Reg. — *Vulcanius teturlinus* ed. Spir.

intercessit. Hoc verbum abest a MS. Guelf. Mox ibidem deest vocabulum *Helvidius*. — In ed. Spir. non apparet *publice* nec *silentio*. In MS. Guelf. scribitur *transmisit*.

ne ambitioni aut inimicitiis locus foret. Nihil evenisse, cur antiquitus instituta exolescerent aut principis honor in cuiusquam contumeliam verteretur. sufficere omnes obsequio. id magis vitandum, ne pervicacia quorundam inritaretur animus novo principatu suspensus et vultus quoque ac sermones omnium circumspectans. Se meminisse temporum, quibus natus sit, quam civitatis formam patres avique instituerint: ulteriora mirari, praesentia sequi: bonos imperatores voto expetere, qualescunque tolerare. Non magis sua oratione Thraseam quam iudicio senatus adflictum. saevitiam Neronis per huiusmodi imagines inlusisse. nec minus sibi anxiam talem amicitiam quam aliis exsilium. Denique constantia, fortitudine Catonibus et Brutis aequaretur Helvidius: se unum esse ex illo senatu, qui simul servierit. Suadere etiam Prisco, ne supra principem scanderet: ne

cellus dicit: non suam sententiam impugnari, sed vetera exempla; nam secundum vetera exempla censuisse consulem designatum, cuius illa sit sententia. Haec Tacitus more suo in brevius contrahit, quia e praecedentibus satis constat eandem consulis designati fuisse sententiam. Diversa interpungendi ratione utitur Bekkerus, qui habet: *sed consulem designatum censuisse dicebat, secundum vetera exempla* etc.

ne ambitioni. MS. Guelf. *nec ambitio.*

aut inimicitiis. MS. Corb. *aut inimicitiae.* Ed. Spir. *et municipiis.*

aut principis. MS. Guelf. *at principis.*

contumeliam. Ed. Spir. *iniuriam.*

obsequio. Ed. Spir. *obsequi.*

vitandum. Hoc verbum non est in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. Addidit secunda manus in marg. Guelf. et Harl. Rhenanus censuit *vitandum* posse intelligi, cui opinioni Ernestius recte adversatus est.

quorundam. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Rhenan. sqq. — *cuiusquam* MSS. Guelf. (ibi *quoiusquam*) Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

inritaretur. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *irritaretur* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

omnium. MS. Guelf. *hominum.*

se meminisse. MS. Corb. *se monuisse.* Rhenanus non satis feliciter coniiciebat *meminisset*, expuncta vocula *se*, ut ita *meminisset* intelligeretur etiam ad verba *ulteriora mirari.*

quam civitatis. MS. Guelf. *quam ei vitatis.*

voto. Ed. Spir. *vota.* Mox MS. Guelf. *tollerare.*

adflictum. Sic MS. Flor. teste Victorio. *afflictum* MS. Guelf. edd. vett. Et ed. Spir. pergit: *afflictum per seuiciam Neronis: per eius imagines inlusisse.* MSS. Corb. et Agr. *per eiusmodi.*

inlusisse. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum aliis) Farnes. Vat. Corb. Bud. Reg. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Lips. sqq., nisi quod ali

Vespasianum, senem triumphalem, iuvenum liberorum patrem, praeceptis coerceret. Quomodo pessimis imperatoribus sine fine dominationem, ita quamvis egregiis modum libertatis placere. Haec magnis utrimque contentionibus iactata diversis studiis accipiebantur. vicit pars, quae sortiri legatos malebat, etiam mediis patrum adnitentibus retinere morem. et splendidissimus quisque eodem inclinabat metu invidiae, si ipsi eligerentur.

IX. Secutum aliud certamen. Praetores aerarii (nam tum a praetoribus tractabatur aerarium) publicam paupertatem questi modum impensis postulaverant. eam curam consul designatus ob magnitudinem oneris et remedii difficultatem principi reservabat. Helvidius arbitrio senatus agendum censuit. Cum perrogarent sententias consules, Vulcatius Tertullinus tribunus plebis intercessit, ne quid super tanta re principe absente statue-

cum Flor. et Vatic. habent *inlusisse*, alii *illusisse*. — *illuxisse* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. sqq. ad Lipsium, nulla idonea sententia. Sed similis prorsus varietas est An. 16, 1. ubi vid. not.

iuvenum. MS. Guelf. *iuvenem.* Idem liber mox *magis* pro *magnis.*

contentionibus. MS. Agr. *concertationibus.* Sic *concertator* An. 14, 29.

sortiri legatos. Ed. Spir. *legatos sortiri.*

adnitentibus. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *annitentibus* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

Cap. 9. *praetores aerarii.* cf. not. ad An. 1, 75.

(nam tum ... aerarium). Haec suspecta sunt Ernestio et Baumgarten-Crusio ad Sueton. Claud. c. 24. „Quorsum enim, ait ille, hoc additur, quum non additum sit An. 1, 75., quum res nota esset ex ipsius traditione An. 13, 28., quae et ad Traianum usque duravisset." At post Historias demum prodierunt Annales, nec inepte illa verba adduntur, quia variae huius rei fuerunt mutationes. Intererat igitur, ut scriptor doceret tum curam aerarii non amplius fuisse apud quaestores, sed apud praetores. Simile additamentum, quod post editos Annales inutile fuisset, legitur infra c. 15. *Transrhenana gens est.*

impensis. MS. Guelf. *impensius.*

oneris. Ed. Spir. *honoris.*

perrogarent. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Harl. Bodl. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *prorogarent* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. — *prorogaret* MS. Ies. Vulgaris haec confusio e compendio scripturae exorta invenitur etiam Sueton. Oct. c. 35.

Vulcatius Tertullinus. Sic edd. Lipsii sqq. — *Vulcatius Tertulinus* MS. Guelf. edd. Put. sqq. (cum silentio Victorii). — *Vulcanius Tetralinus* MS. Reg. — *Vulcanius teturlinus* ed. Spir.

intercessit. Hoc verbum abest a MS. Guelf. Mox ibidem deest vocabulum *Helvidius.* — In ed. Spir. non apparet *publice* nec *silentio.* In MS. Guelf. scribitur *transmissit.*

retur. Censuerat Helvidius, ut Capitolium publice restitueretur, adiuvaret Vespasianus. eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit: fuere qui et meminissent.

X. Tum invectus est Musonius Rufus in Publium Celerem, a quo Baream Soranum falso testimonio circumventum arguebat. ea cognitione renovari odia accusationum videbantur. sed vilis et nocens reus protegi non poterat. quippe Sorani sancta memoria: Celer professus sapientiam, dein testis in Baream, proditor corruptorque amicitiae, cuius se magistrum ferebat. Proximus dies causae destinatur. nec tam Musonius aut Publius quam Priscus et Marcellus ceterique motis ad ultionem animis exspectabantur.

XI. Tali rerum statu cum discordia inter patres, ira apud victos, nulla in victoribus auctoritas, non le-

Cap. 10. *Tum invectus est.* Ed. Spir. *tunc invectus est.*

protegi. MS. Agr. *eripi.*

quippe Sorani. MS. Guelf. *quippe Soranus.*

corruptorque. MS. Corb. et ed. Spir. negligunt copulam *que.*

amicitiae, cuius se magistrum ferebat. Vocabulum *amicitiae* exstat in vett. libris omnibus intactumque mansit Victorio. Pro *cuius* MS. Bud. habet *eius.* MS. Reg. et ed. Spir. *cuius se ingratum ferebat.* Ed. Spir. vocabulo *amicitiae* adnectit copulam *que*, quam omiserat ad vocem *corruptor.* E Lipsii coniectura Pichena, Bernegg. sqq. ediderunt: *amici et cuius.* Lipsius hausit haec e Iuvenal. Sat. 3, 116. *Stoicus occidit Baream, delator amicum discipulumque senex.* Sed eadem plane sententia prodit e scriptura veterum librorum. Nam *amicitia* ibi non in universum dicitur, sed de ea amicitia, quae fuit inter Soranum et Celerem: et hic dicitur proditor corruptorque amicitiae (*einer Freundschaft*), cuius se magistrum ferebat h. e. ad quam institutione sua Sorano auctorem se exstitisse ferebat. Nam cum virtus amicitiam faciat, is tibi magister amicitiae erit, cuius institutione talis evadis, ut par sis amicitiae colendae atque praestandae. Iam vocabulum *corruptor* egregie convenit *amicitiae*: amici autem corruptor non intelligi potest nisi is qui animum moresque amici depravat, quod ab hoc loco alienum est. Quare Heinsius Lipsii emendationem ita adiuvabat, ut legendum censeret *correptor*, adprobante Oberlino.

motis ad ultionem animis. Sic e Lipsii emendatione edd. Lips. sqq. — *motis adulationi animis* MSS. Vat. Reg. Corb. ed. Spir. — *motis adulationibus animis* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Lipsium.

Cap. 11. *inter patres.* Sic MS. Guelf. et e Merceri emendatione edd. Lips. (1607.) Pich. Grut. sqq. — *inter partes* vulgo MSS. et vett. editiones. Sed scriptor aperte respicit ad proxime narrata.

ges, non princeps in civitate essent, Mucianus urbem ingressus cuncta simul in se traxit. fracta Primi Antonii Varique Arrii potentia male dissimulata in eos Muciani iracundia, quamvis vultu tegeretur. sed civitas rimandis offensis sagax verterat se transtuleratque. ille unus ambiri, coli. nec deerat ipse stipatus armatis domos hortosque permutans adparatu, incessu, excubiis vim principis amplecti, nomen remittere. Plurimum terroris intulit caedes Calpurnii Galeriani. is fuit filius C. Pisonis, nihil ausus, sed nomen insigne et decora ipsi iuventa rumore vulgi celebrabantur, erantque in civitate adhuc turbida et novis sermonibus laeta qui principatus inanem ei famam circumdarent. iussu Muciani custodia militari cinctus, ne in ipsa urbe conspectior mors foret, ad quadragesimum ab urbe lapidem via Appia fuso per venas sanguine exstinguitur. Iulius Priscus praetoriarum sub Vitellio cohortium praefectus

non princeps. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Ies. Bud. edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Pich. Lips. (1607.) Gruter. sqq. — *non principes* MSS. Reg. Bodl. edd. Spir. Put. M. et V. Alc. sqq. ad Pichenam.

Mucianus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Lipsii sqq. — *Mutianus* editiones veteres. cf. not. ad Hist. 1, 10.

Varique Arrii. In MSS. Reg. Bud. ed. Spir. omittitur *Varique*, legitur *Arriique.* MS. Flor. cum ceteris libris tuetur vulgatam scripturam, quam Pichena restituit, postquam Rhenanus et sequentes editores dederant *Varique potentia.*

stipatus. Ed. Spir. *stipatis.*

nec deerat ipse .... amplecti etc. H. e. *non deerat .... quin amplecteretur* etc. cf. not. ad Hist. 3, 58. 4, 1. Vulgo interpungunt: *nec deerat ipse: stipatus* etc.

amplecti. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ernest. Brot. sqq. — *complecti* MSS. Guelf. Bud. edd. Put. sqq. ad Ernestium. cf. not. supr. ad 3, 84.

caedes Calpurnii Galeriani. Pro *caedes* MS. Corb. habet *caede.* — *Calpurnii* MS. Flor. (teste Victorio) edd. Lipsii sqq. — *Calphurnii* MS. Guelf. et sic vulgo MSS. et edd. ante Lipsium. cf. not. ad An. 15, 20. Pro *Galeriani* ed. Spir. fert *galerani.*

decora ipsi iuventa. Strombeckius: *ehrenvolle Jugend.* Rectius Gutmannus: *jugendliche Schönheit.* Ricklefsius: *schöne Jugend.* cf. infr. c. 14. *procera pueritia.* Pro *ipsi* ed. Spir. habet *ipsius.* — Mox eod. Guelf. *celebrebantur.* Ed. Spir. *celebrantur.* Eadem omittit *ei* ante *famam.*

in ipsa urbe. MS. Guelf. negligit praepositionem, quae per compendium *i* scripta periit in proximo *i.*

conspectior. Ed. Beroald. *conspector*, quod Victorius corr. *conspectior.* — Mox in ed. Spir. vocabulum *cohortium* non comparet.

se ipse interfecit pudore magis quam necessitate. Alphenus Varus ignaviae infamiaeque suae superfuit. Asiaticus enim (is libertus) malam potentiam servili supplicio expiavit.

XII. Iisdem diebus crebrescentem cladis Germanicae famam nequaquam maesta civitas excipiebat. caesos exercitus, capta legionum hiberna, descivisse Gallias non ut mala loquebantur. Id bellum quibus causis ortum, quanto externarum sociarumque gentium motu flagraverit altius expediam. Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum: seditione domestica pulsi extrema Gallicae orae vacua cultoribus simulque insulam

se ipse. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gron.) Harl. Bodl. Ies. Guelf. (a prima manu) Corb. edd. Ryck. Iac. Gron. sqq. — *se ipsum* MSS. Guelf. (a secunda manu) Reg. edd. Spir. Put. Beroald. (cum silentio Vict.) sqq. ad Ryckium. cf. Ramshorn. Gr. §. 158. p. 835. d.)

interfecit. MS. Reg. *interficit.*

Asiaticus enim (is libertus) etc. Ita locum distinguunt scribuntque edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Micyll. et nuper Bipont. Oberl. sqq. — *Asiaticus (enim is libertus)* edd. Lipsii (1574. sqq.) Pich. Grut. Bernegg. Gronov. (1672.) Ryck. Iac. Gronovii. — *Asiaticus enim libertus* MSS. Reg. Corb. edd. Spir. Ernest. Brot., deleta vocula *is*, quam retinent MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. et Flor. — Pro *enim* MS. Agr. ex emendandi studio exhibet *etiam*, omisso pronomine *is*. Broterius pro *enim* vult *autem*. Bipontini adfirmant *enim* poni pro *autem*, et ita nostrates locum interpretantur. Exempla adferunt e Caes. B. G. 5, 7. et B. C. 2, 32. Plaut. Mostell. 5, 2, 12. At tu accipe *enim* positum pro *enim*. Nimirum particula ista ubique rationem reddit praecedentis sententiae sive diserte expressae sive intelligendae: et hic per *enim* ratio redditur verbi *superfuit*, in quo latet sententia Alphenum Varum e potentibus aulae Vitellianae solum vita superasse principatus mutationem, ut frueretur infamia ignaviae suae (*er blieb für die Schande seiner Feigheit übrig*, non *er überlebte*, uti vulgo interpretantur). Nam *ignaviae infamiaeque* est ἓν διὰ δυοῖν. Quare aptissime additur *enim* post *Asiaticus*. De Asiatico cf. supr. 2, 57. 95.

Cap. 12. *iisdem.* MS. Guelf. *isdem.* Ed. Spir. *hisdem.*

crebrescentem. MSS. Reg. Ies. edd. Spir. Ald. *crebescentem.* cf. not. ad An. 2, 39. Hist. 2, 67.

hiberna. MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. *castra hyberna.* Pichena auctore cod. Flor. expunxit *castra*, quod a ceteris libris abest omnibus.

ut mala. Ed. Spir. *ut male.* Mox MS. Bud. *quantum* pro *quanto*; MS. Agr. *agitabant* pro *agebant.*

Cattorum. Sic edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *Cathorum* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. cf. not. ad An. 1, 55.

inter vada sitam occupavere, quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit; nec opibus Romanis societate validiorum attriti

inter vada sitam. Sic MSS. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M et V. Ber. Alc. Rhen. sqq. — *iuuata sitam* MS. Flor. test. Victorio cum Iac. Gronovio. Ryckius falso inde prodidit *inuata*. Sed ut sit, corrupta illa scriptura originem traxit e compendio, quo exprimeretur praepositio *inter*. Permutatio litterarum *d* et *t* etiam in cod. Flor. frequens est. Cum Flor. consentit Bud. — *vocatam sitam* MSS. Vatic. 1863. Reg. — *vocatam sitan* ed. Spir. — *vata sitam* MSS. Vatic. 1864. Corb. Agr. Spinae et Vatic. 1863. in margine. Lipsius in vett. libris etiam vidit *Vacasitam*. In hac librorum corruptela latus patuit campus coniectandi. Lipsius volebat: *insulam Vahali assitam*. Rhenanus: *insulam sub vada sitam*. Colerus: *insulam Batavam occupavere*. Probat Ryckius, qui tamen mallet *Bataviam*. cf. Dio 55, 24. ξένοι τε ἱππεῖς ἐπίλεκτοι, οἷς τὸ τῶν Βαταούων ἀπὸ τῆς Βαταούας (al. Βαταουΐας) τῆς ἐν τῷ Ῥήνῳ νήσου ὄνομα. Vid. id. 54, 32. τὴν τῶν Βαταούων νῆσον. Noster infr. c. 18. *Batavorum insula*. Grotius: *insulam vacantem occupavere*. Heinsius: *in Vahali sitam*. Bipontini: *insulam Batavam a se dictam*. Oberlinus coniecit edidit-que: *insulam: nunc Bataviam*. Ricklefsius: *insulam occupavere, quam* etc., abiecta voce dubia ut insititia. Bekkerus revocavit Puteolani scripturam. Recte. Nam facile eadem e MS. Flor. vestigiis potest extricari: nec omnia, quae praeter Florentinum ceteri codices ferunt, inepta sunt, licet debeantur coniecturae. Describitur insula palustris humilisque. cf. infr. 5, 23. Nam verba: *inter vada sitam* non spectant ad insulae terminos, sed praepositio *inter* ut saepe denotat id quod alicui rei interest, ut *insula inter vada sita* sit insula, quam vada interiacent, vel insula ita sita, ut vada intersint.

mare Oceanum. Sic MSS. Guelf. Harl. (a prima manu) edd. Spir. Put. M. et V. (ibi *occeanum*) Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *mare Oceanus* MSS. Reg. Harl. (a secunda manu) edd. Brot, Ernest. sqq. Bekkerus revocavit *Oceanum*, et plura sunt veterum librorum testimonia de vocabulo *Oceani* pro adiectivo posito quam ut illa forma librariorum oscitantiae tribui possit. cf. interpretes ad Iuven. Sat. 11, 94. ad Catull. 63, 7. ad Venant. Fortunat. 8, 7, 4. Caes. B. G. 3, 7.

amnis. Hoc non legitur in MS. Corb.

nec opibus Romanis societate validiorum attriti. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. sqq. — *nec opibus romanis societateve aliorum astrieti.* MSS. Vat. (test. Lips.) Reg. (test. Brot.) Harl. (a secunda manu) et ed. Spir. — Teste Lallemando Reg. habet *valentiorum* pro *validiorum*. MSS. Ies. Guelf. *validorum atteriti*. Colerus tradidit in cod. Vatic. deesse vocem *Romanis*. MS. Agr. *societateve validiorum attriti*. Quae codicum vestigia quum viderentur incerta, viri docti varia coniecerunt. Pichena: *nec opibus, Romanorum societate vel aliorum attriti*. Vertranius: *nec opibus a Romanis* etc., ut sententia esset: nec opibus a Romanis attriti Batavi, qui socii validiores essent. Bipontini: *nec operibus Romanis societateve alienorum attriti*. Etenim *opera Romana* illis sunt munitiones, labor muniendi; *alienos* intelligunt publicanos. cf. Germ. c. 29. Agr. c. 8. Oberlinus e Coleri sententia edidit: *nec opibus, societate validiorum attriti*, addiditque: „*validiores* vel *valentiores* esse Romanos res ipsa docet." Ricklefsius: *nec opibus societate validiorum attriti* (*und*

viros tantum armaque imperio ministrant. diu Germanicis bellis exerciti: mox aucta per Britanniam gloria transmissis illuc cohortibus, quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant. erat et domi delectus eques, praecipuo nandi studio, arma equosque retinens integris turmis Rhenum perrumpere.

XIII. Iulius Paullus et Claudius Civilis regia stirpe multo ceteros anteibant. Paullum Fonteius Capito falso rebellionis crimine interfecit. iniectae Civili catenae missusque ad Neronem et a Galba absolutus sub Vitellio rursus discrimen adiit flagitante supplicium eius exercitu. inde causae irarum spesque ex malis nostris. Sed Civi-

nicht durch das Bündnifs mit Mächtigeren an Macht erschöpft). Bekkerus bene revocavit veterem scripturam. Tacitus concise loquitur. Alter ablativus *opibus Romanis* stricte pendet e verbo *attriti*; alter *societate validiorum* explicandi causa adponitur, ut appareat, quo sensu opibus Romanis non attriti illi dicantur, scilicet licet ea esset societas validiorum, qua atteri solent populi.

viros tantum. MS. Guelf. *viros tamen.*

exerciti. Ed. Spir. *exercitos.*

mox aucta per Br. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. Guelf. (in marg.) Harl. Bodl. (in utroque a secunda manu) Reg. Corb. edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. — Vocabulum *aucta* non legitur in edd. Put. M. et V. Ber. Alc., neque in MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. a prima manu.

vetere. Ed. Spir. *veteri.*

erat et domi delectus eques. Sic MSS. Reg. Harl. Ies. (a secunda manu) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. At Iac. Gronov. in MS. Flor. pro *erat* vidit *erant*, quod exstat etiam in MSS. Bud. Guelf. Bodl. Ies. (a prima manu) Corb. Quam scripturam ita defendi posse censeo, ut locus distinguatur sic: *Erant et domi delectus*: *eques* etc. h. e. praeter auxilia Romanis suppeditata apud Batavos fiebant etiam delectus ad proprium exercitum constituendum. Tum scriptor addit quod memoratu dignum videbatur de equite.

praecipuo nandi studio. MS. Reg. ed. Spir. *praecipuus nandi studio.*

arma equosque retinens. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *arma quoque retinens*, ex intempestivo emendandi studio. Sed cf. Agr. c. 18. *patrius nandi usus, quo simul seque et arma et equos regunt.* MS. Bud. *arma quosque retinens.*—Pro *perrumpere* MSS. Reg. Corb. Bud. ed. Spir. ferunt *perrupere.* At non de facto quodam singulari, immo de consuetudine sermo est, pendetque infinitivus e notione, quae latet in loco; describitur eques qualis fuerit, nempe factus, suetus, doctus *perrumpere.*

Cap. 13. *anteibant.* MS. Guelf. ed. Spir. *anteibat.*

iniectae Civili. MS. Bud. *iniectae illi.*

absolutus. Ed. Spir. *solutus.*

adiit. Sic MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. — *adit* MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. et ita vulgo MSS. teste Broterio. Recepta a Rhenano forma haud dubie loco aptior est et

lis ultra quam barbaris solitum ingenio sollers et Sertorium se aut Hannibalem ferens, simili oris dehonestamento, ne ut hosti obviam iretur, si a populo Romano palam descivisset, Vespasiani amicitiam studiumque partium praetendit, missis sane ad eum Primi Antonii litteris, quibus avertere accita Vitellio auxilia et tumultus Germanici specie retentare legiones iubebatur. Eadem Hordeonius Flaccus praesens monuerat inclinato in Vespasianum animo et rei publicae cura, cui excidium adventabat, si redintegratum bellum et tot armatorum millia Italiam inrupissent.

XIV. Igitur Civilis desciscendi certus occultato interim altiore consilio cetera ex eventu iudicaturus novare

saepius in vett. libris per contractionem simplex *i* scribitur pro *ii*.

simili oris dehonestamento. cf. Liv. 22, 2. et Plutarch. Sertorio ab init.

descivisset. Ed. Spir. *descivisset*.

avertere. Sic MSS. Oxonn. (si fides est habenda silentio Broterii) et Guelf. (a prima manu) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *averteret* MSS. Flor. (test. Gronov.) Reg. Bud. Guelf. (a secunda manu) ed. Spir. et ita voluit Rhenanus, sed operae non paruerunt. Ob sequens *retentare* concinnius est *avertere*. Ryckius e MS. Flor. falso prodiderat *adverteret*, quod legitur in MSS. Corb. et Agr., nisi forte mendum est in adnotatione Ryckii.

accita Vitellio. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Bud. Corb. edd. Spir. Ernest. Brot. sqq. — *accita a Vitellio* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Agr. edd. Puteol. sqq. ad Ernestium. Rhenanus in castigatt. dicit se sustulisse praepositionem: sed mansit ea in eiusdem editione.

iubebatur. MS. Guelf. ed. Spir. *videbatur*.

Hordeonius Flaccus. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Ald. Lips. sqq. — *Ordeonius Flaccus* edd. Put. sqq. — *Ordonius flaccus* MS. Guelf. ed. Spir. (Guelf. *flachus*).

redintegratum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. Harl. (a sec. manu) edd. Rhenan. Ald. sqq. — *reintegratum* MS. Reg. ed. Spir. — *redintegrandum* MSS. Harl. (a prima manu) Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

inrupissent. Sic MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. — *irrupissent* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

Cap. 14. *desciscendi certus*. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. Ald. (haec *esciscendi*) Micyll. et deinde Pich. Bernegg. sqq. — *dissidii certus* edd. Rhen. Lips. Grut., auctoritate codicis Bud., qui habet *discidii*. Rhenanus autem locum ita accepit atque edidit: *Igitur civilis dissidii* (h. e. belli civilis, quod Romae erat) *certus* (int. Claudius Civilis). Lipsius scripsit: *Igitur Civilis*. Rhenani adnotationem neque Ernestius neque Oberlinus recte percepit.

interim. Sic edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *adhuc* MS. Guelf. edd. Put. M. et V.

res hoc modo coepit. iussu Vitellii Batavorum iuventus ad delectum vocabatur, quem suapte natura gravem onerabant ministri avaritia ac luxu senes aut invalidos conquirendo, quos pretio dimitterent. rursus impubes, sed forma conspicui (et est plerisque procera pueritia) ad stuprum trahebantur. Hinc invidia: et compositae seditionis auctores perpulere, ut delectum abnuerent. Civilis primores gentis et promptissimos vulgi specie epularum sacrum in nemus vocatos ubi nocte ac laetitia incaluisse videt, a laude gloriaque gentis orsus iniurias et raptus et cetera servitii mala enumerat. Neque societatem ut olim, sed tanquam mancipia haberi. quando legatum gravi quidem comitatu et superbo cum imperio

coepit. Sic editiones veteres et recentiores. — *cœpit* MS. Flor. teste Victorio. — *cepit* MS. Guelf.

Vitellii. MS. Guelf. *Vitelli.* — Idem liber *Bactavorum.*

delectum. MS. Flor. (test. Vict.) *dilectum*, hic et infra bis.

ac luxu. Ed. Spir. *et luxu.*

aut invalidos conquirendo. MS. Guelf. *aũt* (h. e. *autem*) *invalidos conquirendos.*

pretio. Sic MS. Flor. teste Victorio. *precio* editiones veteres.

impubes. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Vaticc. 1863. et 1864. Reg. Corb. Bud. Bodl. (in margine) Vatic. 1958. (a sec. manu) edd. Spir. Pichen. Bernegg. sqq. Non tacebo in cod. Flor. (test. Vict.) legi *inpubes.* — *impuberes* MSS. Guelf. Harl. Ies. Bodl. (a prima manu) Vatic. 1958. (a pr. manu) edd. Puteol. sqq. ad Pichenam. cf. not. ad Hist. 3, 25.

et est plerisque. MSS. Corb. Agr. Guelf. (a sec. manu) ed. Spir. *et ex plerisque.* Heinsius volebat: *ut est plerisque.* Frustra. Verba *ad stuprum* in contextu codicis Guelferbyt. omissa adponuntur ibi in margine.

compositae seditionis. Sic MS. Reg. edd. Spir. Ernest. Lallemand. Broter. sqq. — *compositi seditionis* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. ad Ernestium. Utrumque dici potest. Namque *compositi s. ductores* sunt pactione ad excitandam seditionem parati, destinati.

perpulere. Ed. Spir. *pepulere.*

vulgi. MS. Flor. teste Victorio *volgi.*

specie epularum. MS. Guelf. *spem* pro *specie*, vulgari vitio. Ed. Spir. *epulare* pro *epularum.*

nocte ac laetitia. Ἓν διὰ δυοῖν.

servitii mala. Ed. Alciati vitio operarum *servitia mala.* Rhenanus correxit errorem.

quando legatum ... venire? MS. Reg. et ed. Spir. pro *quando* ferunt *quendam.* Ceteris libris inest *quando.* MS. Agr. post *venire* addit *parum*, probante Ryckio. Frustra. Praestat vulgata scriptura, si ex Lipsii sententia legitur cum interrogatione. Queritur ille: *quando legatum ... venire?* h. e. raro legatum venire, cui possint querelas suas ferre, quocum possint agere de iuribus suis atque pacisci de iusta societate: immo tradi se praefectis centurionibusque etc. Interponit: *gravi quidem comitatu et superbo cum imperio*, quibus verbis ita temperat querelam, ut

venire? tradi se praefectis centurionibusque, quos ubi spoliis et sanguine expleverint, mutari exquirique novos sinus et varia praedandi vocabula. instare delectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus velut supremum dividantur. Nunquam magis adflictam rem Romanam, nec aliud in hibernis quam praedam et senes. attollerent tantum oculos et inania legionum nomina ne pavescerent. at sibi robur peditum equitumque: consanguineos Germanos: Gallias idem cupientes: ne Romanis quidem ingratum id bellum, cuius ambiguam fortunam Vespasiano imputaturos: victoriae rationem non reddi.

XV. Magno cum adsensu auditus barbaro ritu et patriis exsecrationibus universos adigit. missi ad Can-

cognoscas ne in legati quidem adventu omnia esse laeta atque exoptata; immo molestum illum gravi comitatu et superbo imperio. Plenius Tacitus scripsisset: quando legatum venire: quanquam legatum quoque molestum gravi comitatu et superbo imperio: sed ne venire quidem; tradi se etc. Quam loci sententiam quum Ernestius non percepisset, repudiata Lipsii interpunctione veterem interpunctionem revocaverat. *Quando* ille accipiebat pro *quippe:* particula *quidem* tamen ita frigere ipsi videbatur. Dureau de Lamalle sublato etiam signo interrogandi *quando* exponit *aliquando.*

centurionibusque. Copula *que* in MSS. Guelf. Bodl. Ies. non apparet. Harl. eam habet a secunda manu.

expleverint. Hoc non legitur in MS. Guelf.

exquirique novos sinus. Scilicet in quos acciperentur spolia, postquam priores essent expleti. cf. supr. 2, 92. *ambitiosos sinus;* 3, 19. *Cremonensium opes in sinu praefectorum legatorumque fore.* ibid. cap. 69. Ed. Spir. *exequique* pro *exquirique.*

nunquam. MS. Guelf. q̃ q̃ h. *quanquam.*

at sibi robur. Sic MS. Flor. (test. Vict. et quidem auctore Ryckio *at* a sec. manu) edd. Bipont. Oberl. sqq. — *et sibi robur* MS. Bud. — *sibi robur* (neglecta particula) MSS. Reg. Corb. ed. Spir. — *esse sibi robur* codd. MSS. Guelf. aliique et edd. Put. sqq. ad Bipontinos.

Germanos. Hoc abest a MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. In Harl. Guelf. secunda manus *Germanos* adposuit margini.

Gallias. In MS. Vatic. 1958. superscribitur *Gallos.*

ne Romanis quidem. Ed. Spir. *nec* pro *ne.* MS. Guelf. *romanos* pro *Romanis.*

imputaturos. Intell. *se.* Hoc supplendum esse satis intelligitur e seqq. *victoriae rationem non reddi.*

Cap. 15. *adsensu.* Sic MS. Flor. teste Victorio. — *assensu* MS. Guelf. et editiones veteres.

exsecrationibus. MS. Guelf. *exercitationibus:* in margine *execrationibus.* — Mox veteres libri mei *Caninefates.* cf. not. ad An. 4, 73.

res hoc modo coepit. iussu Vitellii Batavorum iuventus ad delectum vocabatur, quem suapte natura gravem onerabant ministri avaritia ac luxu senes aut invalidos conquirendo, quos pretio dimitterent. rursus impubes, sed forma conspicui (et est plerisque procera pueritia) ad stuprum trahebantur. Hinc invidia: et compositae seditionis auctores perpulere, ut delectum abnuerent. Civilis primores gentis et promptissimos vulgi specie epularum sacrum in nemus vocatos ubi nocte ac laetitia incaluisse videt, a laude gloriaque gentis orsus iniurias et raptus et cetera servitii mala enumerat. Neque societatem ut olim, sed tanquam mancipia haberi. quando legatum gravi quidem comitatu et superbo cum imperio

coepit. Sic editiones veteres et recentiores. — *cœpit* MS. Flor. teste Victorio. — *cepit* MS. Guelf.

Vitellii. MS. Guelf. *Vitelli.* — Idem liber *Bactavorum.*

delectum. MS. Flor. (test. Vict.) *dilectum*, hic et infra bis.

ac luxu. Ed. Spir. *et luxu.*

aut invalidos conquirendo. MS. Guelf. *aūt* (h. e. *autem*) *invalidos conquirendos.*

pretio. Sic MS. Flor. teste Victorio. *precio* editiones veteres.

impubes. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Vaticc. 1863. et 1864. Reg. Corb. Bud. Bodl. (in margine) Vatic. 1958. (a sec. manu) edd. Spir. Pichen. Bernegg. sqq. Non tacebo in cod. Flor. (test. Vict.) legi *inpubes.* — *impuberes* MSS. Guelf. Harl. Ies. Bodl. (a prima manu) Vatic. 1958. (a pr. manu) edd. Puteol. sqq. ad Pichenam. cf. not. ad Hist. 3, 25.

et est plerisque. MSS. Corb. Agr. Guelf. (a sec. manu) ed. Spir. *et ex plerisque.* Heinsius volebat: *ut est plerisque.* Frustra. Verba *ad stuprum* in contextu codicis Guelferbyt. omissa adponuntur ibi in margine.

compositae seditionis. Sic MS. Reg. edd. Spir. Ernest. Lallemand. Broter. sqq. — *compositi seditionis* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. ad Ernestium. Utrumque dici potest. Namque *compositi s. ductores* sunt pactione ad excitandam seditionem parati, destinati.

perpulere. Ed. Spir. *pepulere.*

vulgi. MS. Flor. teste Victorio *volgi.*

specie epularum. MS. Guelf. *spem* pro *specie*, vulgari vitio. Ed. Spir. *epulare* pro *epularum.*

nocte ac laetitia. Ἓν διὰ δυοῖν.

servitii mala. Ed. Alciati vitio operarum *servitia mala.* Rhenanus correxit errorem.

quando legatum ... venire? MS. Reg. et ed. Spir. pro *quando* ferunt *quendam.* Ceteris libris inest *quando.* MS. Agr. post *venire* addit *parum*, probante Ryckio. Frustra. Praestat vulgata scriptura, si ex Lipsii sententia legitur cum interrogatione. Queritur ille: *quando legatum ... venire?* h. e. raro legatum venire, cui possint querelas suas ferre, quocum possint agere de iuribus suis atque pacisci de iusta societate: immo tradi se praefectis centurionibusque etc. Interponit: *gravi quidem comitatu et superbo cum imperio*, quibus verbis ita temperat querelam, ut

venire? tradi se praefectis centurionibusque, quos ubi spoliis et sanguine expleverint, mutari exquirique novos sinus et varia praedandi vocabula. instare delectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus velut supremum dividantur. Nunquam magis adflictam rem Romanam, nec aliud in hibernis quam praedam et senes. attollerent tantum oculos et inania legionum nomina ne pavescerent. at sibi robur peditum equitumque: consanguineos Germanos: Gallias idem cupientes: ne Romanis quidem ingratum id bellum, cuius ambiguam fortunam Vespasiano imputaturos: victoriae rationem non reddi.

XV. Magno cum adsensu auditus barbaro ritu et patriis exsecrationibus universos adigit. missi ad Can-

cognoscas ne in legati quidem adventu omnia esse laeta atque exoptata; immo molestum illum gravi comitatu et superbo imperio. Plenius Tacitus scripsisset: quando legatum venire: quanquam legatum quoque molestum gravi comitatu et superbo imperio: sed ne venire quidem; tradi se etc. Quam loci sententiam quum Ernestius non percepisset, repudiata Lipsii interpunctione veterem interpunctionem revocaverat. *Quando* ille accipiebat pro *quippe:* particula *quidem* tamen ita frigere ipsi videbatur. Dureau de Lamalle sublato etiam signo interrogandi *quando* exponit *aliquando.*

centurionibusque. Copula *que* in MSS. Guelf. Bodl. Ies. non apparet. Harl. eam habet a secunda manu.

expleverint. Hoc non legitur in MS. Guelf.

exquirique novos sinus. Scilicet in quos acciperentur spolia, postquam priores essent expleti. cf. supr. 2, 92. *ambitiosos sinus;* 3, 19. *Cremonensium opes in sinu praefectorum legatorumque fore.* ibid. cap. 69. Ed. Spir. *exequique* pro *exquirique.*

nunquam. MS. Guelf. q̃ q̃ h. *quanquam.*

at sibi robur. Sic MS. Flor. (test. Vict. et quidem auctore Ryckio *at* a sec. manu) edd. Bipont. Oberl. sqq. — *et sibi robur* MS. Bud. — *sibi robur* (neglecta particula) MSS. Reg. Corb. ed. Spir. — *esse sibi robur* codd. MSS. Guelf. aliique et edd. Put. sqq. ad Bipontinos.

Germanos. Hoc abest a MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. Bud. In Harl. Guelf. secunda manus *Germanos* adposuit margini.

Gallias. In MS. Vatic. 1958. superscribitur *Gallos.*

ne Romanis quidem. Ed. Spir. *nec* pro *ne.* MS. Guelf. *romanos* pro *Romanis.*

imputaturos. Intell. *se.* Hoc supplendum esse satis intelligitur e seqq. *victoriae rationem non reddi.*

Cap. 15. *adsensu.* Sic MS. Flor. teste Victorio. — *assensu* MS. Guelf. et editiones veteres.

exsecrationibus. MS. Guelf. *exercitationibus:* in margine *execrationibus.* — Mox veteres libri mei *Caninefates.* cf. not. ad An. 4, 73.

ninefates qui consilia sociarent. Ea gens partem insulae colit, origine, lingua, virtute par Batavis: numero superantur. Mox occultis nuntiis pellexit Britannica auxilia, Batavorum cohortes missas in Germaniam, ut supra rettulimus, ac tum Magontiaci agentes. Erat in Canninefatibus stolidae audaciae Brinno claritate natalium insigni. pater eius multa hostilia ausus Caianarum expeditionum ludibrium impune spreverat. igitur ipso rebellis familiae omine placuit, impositusque scuto more gentis et sustinentium humeris vibratus dux deligitur. statimque accitis Frisiis (transrhenana gens est) duarum cohortium hiberna proxima occupatu Oceano

lingua, virtute. Ed. Spir. *virtute lingua.* — Mox MS. Guelf. *Battavis, Battavorum.*

ut supra rettulimus. cf. Hist. 2, 69.

ac tum Magontiaci agentes. Sic edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *Moguntiaci* MS. Guelf. — *Mogontiaci* MSS. Vaticc. 1863. 1864. et 1958. Bodl. — Ed. Spir. nugatur: *At tum maguntiana gens erat nicaninefatus stolidae* etc. E MS. Reg. quoque adferunt *Magontiana gens*: qui codex an sit sanior in reliquis verbis tacetur.

Brinno. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Harl. Bodl. Ies. Agr. edd. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *Brino* MS. Guelf. — *Brinio* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. ad Ryckium. — *Brenno* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — *Bruno* MS. Reg. et ed. Spir. — Mox c. 16. ed. Spir. *Brinonem.* MS. Reg. *Brinnonem.* MS. Bud. *Brimionem.* Edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. *Brenonem*, Rhenanus et Lipsius coniecerunt scribendum *Bruno.*

Caianarum expeditionum ludibrium. cf. Sueton. Cal. c. 43. sqq. Dio 59, 21. Ed. Spir. *galanarum* pro *Caianarum.*

rebellis familiae omine. Pro *rebellis* ed. Spir. *rebelle.* MSS. Reg. Corb. *rebelle.* Ceteri libri tuentur scripturam *rebellis.* Pro *omine* — quod exstat in MSS. Guelf. (adfirmo contra Ernestium, qui inde prodidit *nomine*) Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhenan. Ald. Micyll. et Brot. — *homine* MS. Bud. ed. Spir., quod eodem redit: nam ita saepe adspiratio litteris vocalibus ab initio perperam additur. Lipsius tamen ann. 1574. *omine* vertit in *nomine*, ut ipsi videbatur, sententia manu ducente. cf. Lips. ed. 1574. p. 682. Lipsii emendationem deinde omnes fere editores retinuere, quanquam ipse in posterioribus adnotationibus aeque bonum *omine* iudicavit. Recte: nam in nomine est omen (cf. Wolf. ad An. 1, 35.) et multo significantior videtur esse scriptura *omine.* Quare nihil cunctatus eam restitui auctoritate veterum librorum nixus. Verbum *placuit* a Rhenano (duce cod. Bud.) sublatum bene restituit Lipsius (ann. 1574.).

humeris. MS. Flor. teste Victorio *umeris.*

accitis. Acidalius malebat *adscitis.* Sed vulgatum melius convenit vocabulo *statim.*

proxima occupatu Oceano irrumpit. MS. Flor. (teste Pichena) ed. Spir. ferunt *proxima occupata*, unde Lipsius fecit, Pichena edidit

inrumpit. Nec praeviderant impetum hostium milites, nec, si praevidissent, satis virium ad arcendum erat. capta igitur et direpta castra. dein vagos et pacis modo effusos lixas negotiatoresque Romanos invadunt. Simul excidiis castellorum imminebant, quae a praefectis cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant. signa vexillaque et quod militum in superiorem insulae partem congregantur duce Aquilio primipilari, nomen magis exercitus quam robur. quippe viribus cohortium abductis Vitellius e proximis Nerviorum Germanorumque pagis segnem numerum armis oneraverat.

XVI. Civilis dolo grassandum ratus incusavit ultro praefectos, quod castella deseruissent. se cum

scripturam hodie vulgatam. Nam MSS. Farnes. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Corb. Agr. Bud. ed. Put. M. *proximo occupata.* Edd. Put. V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat. Rhenan. sqq. *proximo occupato.* Dottevillius e codice suo prodidit: *uni hiberna proximo occupata Oceano.* Acidalius malebat: *qua proxima occupatu.* Ceterum *Oceano* indicat viam, qua ille *inrupit.* cf. not. ad An. 1, 60. — Pro *inrumpit*, quod ita exstat in cod. Flor. test. Vict., ed. Spir. habet *inrupit;* MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. *irrumpit.*

praeviderant. Ed. Spir. *providerant;* sed mox *previdissent.*

et direpta. Ed. Spir. *ac direpta.* Eadem mox *deinde* pro *dein.*

defendi. MS. Guelf. *defendendi.*

quod militum. Ed. Spir. *quod militem.*

in superiorem insulae partem. Sic MSS. Bud. Corb. edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. — *in superiore insulae parte* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — Pichena et Iac. Gronovius de cod. Flor. tacent, dum edunt *in superiorem* etc.

congregantur. Ed. Spir. *congregabantur.*

Aquilio. Sic libri veteres. Nuper nonnulli cum Oberlino scripserunt *Aquillio.*

quam robur. quippe viribus cohortium abductis. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. Harl. (a secunda manu) edd. Micyll. (1557.) Lips. (1574.) sqq. Et Lipsius haec restituit auctoribus libris (Vaticano, puto). — *quam robur quippe viribus cohortis adductis* edd. Puteol. Beroald. Alciat. — In ed. Put. M. est *abductis.* Ed. Spir.: *quam robur. quibus viribus cohortium adductis Vitelliis ex primis nerviorum* etc. MS. Bud.: *quam robur cohortium abductis*, neglectis vocabulis duobus. Hinc Rhenanus fecit: *quam robur, cohortibus abductis.* Eadem habet Aldus. — *quam robur cohortium, abductum* etc. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies.

e proximis. MS. Corb. *ex proximis.* MS. Reg. cum ed. Spir. *ex primis.*

Germanorumque. Intellige cis Rhenum colentium. cf. An. 1, 56.

armis oneraverat. Ed. Spir. et MS. Vatic. 1868. *ornaverat armis.*

Cap. 16. *dolo grassandum.* Ed. Spir. *bello grassande.* MS. Guelf. *bello* fert in margine.

cohorte, cui praeerat, Canninefatem tumultum compressurum: illi sua quisque hiberna repeterent. Subesse fraudem consilio et dispersas cohortes facilius opprimi, nec Brinnonem ducem eius belli, sed Civilem esse patuit, erumpentibus paulatim indiciis, quae Germani, laeta bello gens, non diu occultaverant. Ubi insidiae parum cessere, ad vim transgressus Canninefates, Frisios, Batavos propriis cuneis componit. directa ex diverso acies haud procul a flumine Rheno et obversis in hostem navibus, quas incensis castellis illuc adpulerant. nec diu certato Tungrorum cohors signa ad Civi-

tumultum. MS. Bud. *tumulum*, vulgari vitio. cf. not. ad An. 2, 7.

compressurum. Sic MSS. Reg. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *oppressurum* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat. Sed cf. An. 1, 48. 46. 69. Varietas originem traxit e compendio *opressurum.*

nec Brinnonem ducem eius belli etc. Ed. Spir. *nec Brinonem esse ducem belli: sed Civilem eis patuit.* Ita et MSS. Reg. et Agr. — MS. Guelf.: *nec Brinonem ducem eius esse belli, sed Civilem esse patuit.* Prius *esse* ibi scribitur per compendium *ēē* et in litura a secunda manu. MS. Bud. *eius patuit.* Ernestio *eius* ante *belli* videbatur languere. At satis apte adest, ut vocabulum *belli* spectet ad *tumultum Canninefatem* ante dictum. Dixerat enim Civilis se compressurum illum tumultum: verum satis patuit ipsum Civilem nec Brinnonem eiusdem tumultus esse auctorem.

indiciis. Ed. Spir. *iudiciis*, vulgari vitio.

Frisios. Edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) *Frixios.*

directa ex diverso acies. MSS. Reg. Bud. et ed. Spir. *detecta* pro *directa.* Pichena putabat legendum *acie* ob sequentia: *et obversis in hostem navibus.* Placebat ea coniectura Ernestio. At falsi sunt. Nam copula *et* non coniungit *directa acies* et *obversis* ... *navibus*, sed *haud procul a f. Rheno* et *obversis* ... *navibus.* Strombeckio hic locus obscurus et depravatione laborare videtur. Nihil tamen tenebrarum video. Male autem *ex diverso* interpretantur *gegenüber* Strombeck. et Gutmann.; *vorüber* Rickleſsius. Immo *ex diverso* indicat partem Civili hostilem: *auf Seiten des Gegentheils ward die Schlachtordnung aufgestellt nicht fern vom Rheinstrom und die Schiffe gegen den Feind gewendet.* cf. infr. c. 46. *quum ex diverso velut aciem ... aspicerent.* An. 13, 57. *diversam aciem.* ibid. 14, 30.

quas incensis c. MS. Bud. et ed. Spir. *quasi incensis c.*, facili vitio. Placebat tamen ea scriptura Rhenano.

adpulerant. Edd. Rhenan. Ald. *appulerat.* Lipsius id vitium sustulit. Micyllus (1557.) retinuit *appulerant.*

Tungrorum. Sic edd. Put. sqq. (cum sil. Vict.) — *Turingorum* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. ed. Spir., eodem vitio quod vidimus supra 2, 14. — Mox vocabulum *milites* in ed. Spir. non legitur.

lem transtulit: perculsique milites improvisa proditione a sociis hostibusque caedebantur. Eadem etiam navibus perfidia. pars remigum e Batavis tanquam imperitia officia nautarum propugnatorumque impediebant. mox contra tendere et puppes hostili ripae obiicere. ad postremum gubernatores centurionesque nisi eadem volentis trucidant, donec universa quattuor et viginti navium classis transfugeret aut caperetur.

XVII. Clara ea victoria in praesens, in posterum usui: armaque et naves, quibus indigebant, adepti magna per Germanias Galliasque fama libertatis auctores celebrabantur. Germaniae statim misere legatos auxilia offerentes. Galliarum societatem Civilis arte donisque adfectabat captos cohortium praefectos suas in civitates remittendo, cohortibus abire an manere mallent data potestate. manentibus honorata militia, digredientibus spolia Romanorum offerebantur. Simul secretis sermonibus admonebat malorum, quae tot annis perpessi miseram servitutem falso pacem vocarent. Batavos quanquam tributorum expertes arma contra communes dominos cepisse. prima acie fusum victumque Romanum: quid, si Galliae iugum exuant? quantum in Italia reliquum? provinciarum sanguine provincias vinci. Ne Vindicis aciem cogitarent. Batavo equite

caedebantur. MS. Guelf. *excedebantur.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *cedebantur,* vulgari vitio.

propugnatorumque. Ed. Spir. *pugnatorumque.*

obiicere. Ed. Spir. *obiecere.* MS. Guelf. *adiicere.*

volentis. Sic MS. Bud. et vett. editiones, excepta editione Spir., quae habet *volentes,* quod nuper nonnulli maluere. In MS. Guelf. verba: *centurionesque nisi eadem volentes* in contextu omissa adponuntur in margine.

Cap. 17. *armaque.* Ed. Spir. *armisque* et mox *adepti* pro *adepti.* MS. Guelf. *adeptis.* Eadem ed. Spir. *per Gallias Germaniasque* et mox *liberalitatis* pro *libertatis.*

celebrabantur. MS. Harl. et ed. Spir. *celebrantur.* MS. Guelf. *celebrebabantur.* Mox in ed. Spir. non legitur vocabulum *Civilis.* Ibidem est *honerata* pro *honorata.*

spolia Romanorum. MS. Agr. et ed. Spir. *spolia romana.* Deinde eadem *simulque* pro *simul.*

cepisse. Sic MS. Guelf. edd. Ald. Lips. sqq. — *coepisse* edd. ante Aldum et ed. Micylli.

Vindicis. Hoc vocabulum non legitur in MS. Bud., spatio relicto.

protritos Aeduos Arvernosque. fuisse inter Virginii auxilia Belgas: vereque reputantibus Galliam suismet viribus concidisse. Nunc easdem omnium partes, addito si quid militaris disciplinae in castris Romanorum viguerit. esse secum veteranas cohortes, quibus nuper Othonis legiones procubuerint. Servirent Syria Asiaque et suetus regibus Oriens: multos adhuc in Gallia vivere ante tributa genitos. Nuper certe caeso Quintilio Varo pulsam e Germania servitutem. nec Vitellium principem, sed Caesarem Augustum bello provocatum. Libertatem natura etiam mutis animalibus datam. virtutem proprium hominum bonum. deos fortioribus adesse. Proinde adriperent vacui occupatos, integri fessos. dum alii Vespasianum, alii Vitellium foveant, patere locum adversus utrumque.

XVIII. Sic in Gallias Germaniasque intentus, si destinata provenissent, validissimarum ditissimarumque nationum regno imminebat. At Flaccus Hordeonius

Arvernosque. Ed. Spir. *arūpnosque.*

Verginii. MS. Guelf. *Virginii.* Idem liber mox *partis* pro *partes.*

quibus nuper. Ed. Spir. *quibus nunc.* Eadem mox *Asia: siriaque.*

multos ... genitos. Nam Augustus septimo suo consulatu censum tributumque instituerat, quod penderent Galli. cf. Dio 53, 22. *καὶ ἐξώρμησε μὲν ὡς καὶ ἐς τὴν Βρεττανίαν στρατεύσων, ἐς δὲ δὴ τὰς Γαλατίας ἐλθὼν ἐνταῦθα διέτριψεν. ἐκεῖνοί τε γὰρ ἐπικηρυκεύσασθαι οἱ ἐδόκουν, καὶ τὰ τούτων ἀκατάστατα ἔτι, ἅτε τῶν ἐμφυλίων πολέμων εὐθὺς ἐπὶ τῇ ἁλώσει σφῶν ἐπιγενομένων, ἦν. καὶ αὐτῶν καὶ ἀπογραφὰς ἐποιήσατο καὶ τὸν βίον τήν τε πολιτείαν διεκόσμησε.*

in Gallia. Ed. Spir. *in Gallias.*

Quintilio. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium, qui instituit vulgatam hodie scripturam *Quinctilio.* cf. not. ad An. 1, 3. — Ed. Spir. *Varro* pro *Varo.*

mutis animalibus. MSS. Reg. Guelf. (ubi littera *l* a secunda manu supra adscripta) ed. Spir. *multis animalibus.* Acidalius volebat *brutis.* Frustra.

hominum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Reg. Agr. Bud. edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. — *hominis* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Iac. Gronovium.

proinde. Ed. Spir. *prouide.*

Cap. 18. *Sic in Gallias Germaniasque.* MS. Guelf. *sicut* pro *sic.* Ed. Spir. *germanias,* neglecta copula. Mox eadem *ditissimarum* sine *que.* MS. Guelf. *regnoque* pro *regno.*

Hordeonius. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Ald. Lips. sqq. — *Ordeonius* edd. Spir. Put. Beroald. Alc. Rhen. Micyll. — *Ordeoneus* MS. Guelf. cf. not. supr. ad c. 13.

primos Civilis conatus per dissimulationem aluit. Ubi expugnata castra, deletas cohortes, pulsum Batavorum insula Romanum nomen trepidi nuntii adferebant, Mummium Lupercum legatum (is duarum legionum hibernis praeerat) egredi adversus hostem iubet. Lupercus legionarios e praesentibus, Ubios e proximis, Treverorum equites haud longe agentis raptim transmisit addita Batavorum ala, quae iam pridem corrupta fidem simulabat, ut proditis in ipsa acie Romanis maiore pretio fugeret. Civilis captarum cohortium signis circumdatus, ut suo militi recens gloria ante oculos et hostes memoria cladis terrerentur, matrem suam sororesque, simul omnium coniuges parvosque liberos consistere a tergo iubet, hortamenta victoriae vel pulsis pudorem. Ut virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies, nequaquam par a legionibus cohortibusque redditur clamor. Nudaverat sinistrum cornu Batavorum ala transfugiens statimque in nos versa. sed legionarius miles quanquam rebus trepidis arma ordinesque retinebat. Ubiorum Treverorumque auxilia foeda fuga dispersa

aluit. Ed. Spir. *maluit*, adhaerente postrema littera praecedentis vocabuli.

deletas. MS. Guelf. *delectas.* — Mox MS. Flor. teste Victorio *adferebant*; alii *offerebant.*

Mummium. Sic edd. Ryck. Ernest. Brot. sqq. e MS. Agr. et lapidibus Capitolinis. — *Munium* edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Ryckium et postea ed. Iac. Gronovii. cf. not. ad An. 4, 43. et 14, 21. — *Munium* MSS. Flor. (test. Vict.) Vatic. 1958. Guelf. Harl. Bodl. Bud. — *munivit* MS. Vatic. 1863. et ed. Spir. cf. not. ad cap. 22. et 61.

Ubios e proximis. Ed. Spir. pro *Ubios* habet *transmisit*, quod e seqq. huc inrepsit. Deinde *ex* pro *e.* MS. Agr. *Ulbiorum e proximis.* Ryckio placebat *Ubiorum e proximis.*

Treverorum. Sic edd. Lips. sqq. *Trevirorum* MS. Guelf. et edd. veteres. cf. An. 1, 41. 3, 40. Hist. 1, 53. et not. ad Hist. 2, 14. et 28.

agentis. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *agentes* edd. Rhen. Ald. sqq. — *agentibus* ed. Spir.

fugeret. MS. Bud. *fungeretur.*

ante oculos et hostes. Bipontini frustra: *ante oculos esset, hostes.* Nam eiusmodi ellipses frequentes sunt apud Nostrum. cf. not. ad An. 1, 32.

feminarum. MS. Bodl. *feminarumque.*

cornu. MS. Flor. teste Victorio *cornū*, de qua forma cf. Ramshorn. Gr. p. 51. D. 5).

Ubiorum Treverorumque. MS Guelf. *Treviorumque.* Ed. Spir. *ubiorum treuirorumque.* Edd Put. sqq. *Treuirorumque.* cf. not. supra.

totis campis palantur. illuc incubuere Germani. et fuit interim effugium legionibus in castra, quibus Veterum nomen est. Praefectus alae Batavorum Claudius Labeo, oppidano certamine aemulus Civili, ne interfectus invidiam apud populares vel, si retineretur, semina discordiae praeberet, in Frisios avehitur.

XIX. Iisdem diebus Batavorum et Canninefatium cohortes, cum iussu Vitellii in urbem pergerent, missus a Civile nuntius adsequitur. Intumuere statim superbia ferociaque et pretium itineris donativum, duplex stipendium, augeri equitum numerum promissa sane a Vitellio postulabant, non ut adsequerentur, sed causam seditioni. et Flaccus multa concedendo nihil aliud effecerat quam ut acrius exposcerent, quae sciebant negaturum. Spreto Flacco inferiorem Germaniam petivere, ut Civili iungerentur. Hordeonius adhibitis tribunis centurionibusque consultavit, num obsequium abnuentes vi coerceret. mox insita ignavia et trepidis ministris, quos ambiguus auxiliorum animus et subito delectu suppletae legiones angebant, statuit continere intra castra militem. dein poenitentia et arguentibus

palantur. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Rhen. sqq. — *pallantur* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alciat. — Mox ed. Spir. *et fuit interim legionibus effugium in castris.*

Claudius Labeo. Haec vocabula non leguntur in MS. Bud.; Guelf. ea habet in margine.

oppidano. MSS. Vatic. 1958. et Guelf. *oppidanorum.*

Civili. Hoc abest ab ed. Spir. Eadem mox: *ne interfectus esset, invidia apud p.* etc. et idem MSS. Reg. Agr., unde Ryckius coniecit *invidiae.* MS. Bud. *invidia.*

avehitur. Sic MSS. Guelf. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. — *advehitur* MS. Reg. edd. ante Rhenanum (cum silentio Victorii). cf. not. ad An. 16, 2.

Cap. 19. *Iisdem.* Ed. Spir. *hisdem.* Mox *Canannifatium.*

causam seditioni. Ed. Spir. *causa seditionis.*

nihil aliud. MS. Bud. omittit *aliud.*

exposcerent. MS. Agr. *expostularent.* In *Hordeonius* libri variant, ut alibi.

num obsequium. MS. Guelf. *nô* (h. e. *non*) *obsequium.* — Mox eadem *supplere* pro *suppletae.*

angebant. Edd. Spir. Oberlin. Weikert. Naudet. Weis. *augebant,* vitiose. Lünemannus et Bekkerus veterem scripturam restituerunt. Mox voc. *castra* non legitur in ed. Spir., in qua ut in margine Guelf. etiam est *potentia* pro *poenitentia.* Edd. Put. M. et V. *penitentia.*

ipsis qui suaserant tanquam secuturus scripsit Herennio Gallo legionis primae legato, qui Bonnam obtinebat, ut arceret transitu Batavos: se cum exercitu tergis eorum haesurum. Et opprimi poterant, si hinc Hordeonius, inde Gallus motis utrimque copiis medios clausissent. Flaccus omisit inceptum aliisque litteris Gallum monuit, ne terreret abeuntes. unde suspicio sponte legatorum excitari bellum cunctaque quae acciderant aut metuebantur non inertia militis neque hostium vi, sed fraude ducum evenire.

XX. Batavi cum castris Bonnensibus propinquarent, praemisere qui Herennio Gallo mandata cohortium exponeret: nullum sibi bellum adversus Romanos, pro quibus totiens bellassent. longa atque inrita militia fessis patriae atque otii cupidinem esse. Si nemo obsisteret, innoxium iter fore: sin arma occurrant, ferro viam inventuros. Cunctantem legatum milites

secuturus. Ed. Spir. *securus*.

Herennio. MS. Guelf. *Heremnio*.

qui Bonnam obtinebat. Ed. Spir. *qui bonam obtinebat partem exercitus, ut arceret*. MS. Guelf. *q̃ bonam ptẽ* (id in litura) *obtinebat*, et in margine *exercitus*. Edd. Put. M. et V. *optinebat*.

haesurum. Ed. Spir. *hesuros*.

inceptum. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Alc. Rhen. sqq. — *incoeptum* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Victorii).

ne terreret. Sic MSS. et vett. editiones. Operarum vitio in ed. Rhenani venerat *ne teneret*, quod propagaverunt sequentes editores usque ad Pichenam, qui restituit veram scripturam.

cunctaque quae acciderant. Sic MSS. Flor. (test. Pich. et Iac. Gronov.) Reg. Harl. Bodl. Agr. edd. Puteol. sqq. (cum sil. Vict.). Eadem sunt in MS. Guelf., nisi quod is liber omittit *quae*. Ed. Spir. negligit copulam in *cunctaque*. Sed quia in MS. Bud. legitur *qui cunctaque*, Rhenanus sqq. ediderunt *quin cuncta quae*. Iac. Gronovius veterem scripturam restituit. — Mox inter *fraude* et *ducum* MS. Bud. edd. Rhenan. Ald. (non Micyll.) repetunt *metuebantur*, quod Lipsius expunxit auctoritate codicis Vaticani.

Cap. 20. *Bonnensibus*. MS. Bud. *Bononiensibus*.

exponeret. Sic MSS. Flor. Reg. Bud. edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.) Rhen. Ald. Micyll. Brot. sqq. — *exponerent* MS. Guelf. edd. Puteol. Alc. Lips. sqq. ad Broterium.

bellassent. Ed. Spir. *pugnassent*. — Mox MS. Guelf. *longaque* pro *longa atque*.

cunctantem. Ed. Spir. *Contõe*, et dein *perpulerat*. Mox ante *fortunam* Weisius nuper posuit *ut*, quod unde hauserit non invenio: nam priores libri id non exhibent.

perpulerant, fortunam proelii experiretur. Tria millia legionariorum et tumultuariae Belgarum cohortes, simul paganorum lixarumque ignava sed procax ante periculum manus omnibus portis erumpunt, ut Batavos numero impares circumfundant. Illi veteres militiae in cuneos congregantur, densi undique et frontem tergaque ac latus tuti. sic tenuem nostrorum aciem perfringunt. Cedentibus Belgis pellitur legio, et vallum portasque trepidi petebant. Ibi plurimum cladis: cumulatae corporibus fossae, nec caede tantum et vulneribus, sed ruina et suis plerique telis interire. Victores colonia Agrippinensium vitata nihil cetero in itinere hostile ausi Bonnense proelium excusabant, tanquam petita pace, postquam negabatur, sibimetipsi consuluissent.

legionariorum. Ed. Spir. *legionum*.

ignava sed procax. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Harl. (a secunda manu) edd. Rhenan. Ald. sqq. — *ignavia* ceteri codd. MSS. et edd. ante Rhenan. et inter recentiores edd. Gronovv. (1672.) et Iac. Gronovii. Et ed. Spir. quidem nugatur: *ignavia. Sed procassante periculo manus omnis portis* etc. Pro *manus* MS. Bud. fert *manibus*. — Idem liber *rumpunt* pro *erumpunt*, et *circumdant* pro *circumfundant*. Rhenanus ita probat *circumdant*, ut legas: *et Batavos numero impares circumdant*. Sed media syllaba, ut saepe, neglecta ibi est. — Mox ed. Spir. *illis* pro *illi*.

veteres militiae. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Vatic. 1864. Reg. edd. Spir. Pichen. Lips. (1607.) Gruter. sqq. — *veteris militiae memores* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Pichenam. — MS. Bud. *veteris militiae in civiles congregantur* etc.

in cuneos congregantur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Vatic. 1864. Reg. Agr. edd. Spir. Pich. Lips. (1607.) Gruter. sqq. — *in cuneis congregantur* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Pichenam.

sic tenuem nostrorum aciem. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. Ryck. Broter. — *sic tenuem aciem nostrorum* edd. Rhen. (tacite) Ald. sqq. Oberlin. sqq.

cedentibus Belgis. Ed. Spir. *cadentibus bellis*. Edd. Put. M. et V. *caedentibus Belgis*.

petebant. MS. Bud. *patebant*.

cumulatae. MS. Guelf. *culmatae*. — Mox ed. Spir. nugatur sic: *nec cedi tamen: si vulneribus et ruina* etc.

suis plerique telis. MS. Corb. et ed. Spir. *suis plerumque telis*. MS. Guelf. *suis plerisque telis*.

interire. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Harl. ed. Spir. — *interiere* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad hunc diem. Sed illa forma eximie Nostro convenit.

in itinere. MS. Corb. negligit praepositionem *in*.

hostile. Hoc non legitur in ed. Spir.

XXI. Civilis, adventu veteranarum cohortium iusti iam exercitus ductor, sed consilii ambiguus et vim Romanam reputans cunctos qui aderant in verba Vespasiani adigit: mittitque legatos ad duas legiones, quae priore acie pulsae in Vetera castra concesserant, ut idem sacramentum acciperent. Redditur responsum, neque proditoris neque hostium se consiliis uti. Esse sibi Vitellium principem, pro quo fidem et arma usque ad supremum spiritum retenturos. proinde perfuga Batavus arbitrum rerum Romanarum ne ageret, sed meritas sceleris poenas exspectaret. Quae ubi relata Civili, incensus ira universam Batavorum gentem in arma rapit. Iunguntur Bructeri Tencterique et excita nuntiis Germania ad praedam famamque.

XXII. Adversus has concurrentis belli minas legati legionum Mummius Lupercus et Numisius Rufus vallum murosque firmabant. subversa longae pacis

Cap. 21. *iusti iam exercitus ductor*. MS. Agr. et ed. Spir. *iusti exercitus iam duetor*. Ed. Beroald. pro *ductor* exhibet *doctor*, quod vitium Victorius in suo exemplari correxit e cod. Flor., ut videtur.

adigit. MS. Agr. *adagit*.

ad duas legiones. MS. Guelf. *ad suas legiones*. — Mox MS. Agr. et ed. Spir. *neque proditoris consiliis neque hostium se uti*.

perfuga. Sic MSS. Reg. Guelf. Harl. Corb. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *perfugus* edd. Puteol. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat.

arbitrum. Sic MS. Bodl. (a secunda manu) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *arbitrium* MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Reg. Corb. Guelf. Bodl. Bud. edd. Spir. Ernest.! Sed Broter. Lallemand. Bipont. Oberlin. sqq. maluere *arbitrum*. Utrumque latine dicitur. cf. An. 13, 14.

quae ubi. Edd. Beroald. et Alc. *quippe ubi*, quod Ernestius vitium operarum esse putat. Voc. *universam* non legitur in MS. Bud.

Bructeri Tencterique. MS. Guelf. *Bructerii Tencterique*. Ed. Spir. *bruti tenterique*.

Cap. 22. *concurrentis belli minas*. Ryckius *concurrentis* explicat „simul ingruentis." Ernestius: „undique ingruentis." cf. Cic. ep. ad div. 7, 33. *concursus occupationum*. Bipontini *concurrentis* accipiunt in accusativo positum mutantque *concurrentes*, probante Oberlino, qui tamen reposuit veterem formam. Ceterum MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat. eum tenent verborum ordinem, quem ego restitui. Diverso ordine edd. Rhenan. Ald. sqq. *belli concurrentis*.

Mummius. Libri variant, uti c. 18., nisi quod ed. Spir. hic habet *Munius* ut MSS. Flor. (test. Vict.) et Guelf.

Numisius Rufus. Ed. Spir. *Munisius ruffus*.

opera haud procul castris in modum municipii exstructa, ne hostibus usui forent. sed parum provisum, ut copiae in castra conveherentur: rapi permisere. ita paucis diebus per licentiam absumpta sunt, quae adversus necessitates in longum suffecissent. Civilis medium agmen cum robore Batavorum obtinens utramque Rheni ripam, quo truculentior visu foret, Germanorum catervis complet, adsultante per campos equite. simul naves in adversum amnem agebantur. hinc veteranarum cohortium signa, inde depromptae silvis lucisque ferarum

haud procul castris. MS. Vatic. 1863. *haud procul a castris.* Sed cf. An. 12, 56. *haud procul fabulis*; 4, 62. *procul voluptatibus habiti.* — Ed. Spir. *haud procul a muris.* Vid. not. ad c. 27. et 36. Supra c. 16. legimus *haud procul a flumine.*

ut copiae. Sic emendavit ediditque Lipsius ann. 1574. sqq. — *ni copiae* MSS. Reg. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Agr. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. ad Lipsium, quam scripturam defendit Ryckius, ut sententia sit: „Sed parum 'prospectum securitati horum castrorum destructis complanatisque procestriis, nisi frumenta et alia victui necessaria, quae in illis occurrebant, ordine collecta intus seponerentur dividerenturque publica diligentia." Sed *conveherentur* potius spectat ad copias in circumiecto agro colligendas et in castra comportandas. Forma *conveherentur*, si legas *ni*, eam habet vim, ut dicat ita esse visum legatis, nempe *parum provisum* (vallo murisque firmatis etc.), *ni copiae in castra conveherentur.* Consequens erat, ut copias conquirerent, idque fecerunt ita, ut rapi permiserint, quum debuissent iusto ordine et publica auctoritate eas comparare. Sed maneat Lipsii emendatio. — MS. Bud. et ed. Spir. *vi copiae.* Saepissime ita *ni*, *vi*, *ut* permutantur in veteribus libris.

conveherentur. Ed. Spir. *cum veherentur.* Eadem mox *optinens.*

utramque Rheni ripam. Vox *utramque* non legitur in MS. Bud.; ceteri libri eam habent interque eos Florentinus. — Lipsio videbatur *utramque* omittendum aut scribendum *utrimque.* Hoc probat Acidalius. Pichena vulgatam scripturam defendit. Nihil sane inest, quod emendationem requirat. Exciti nuntiis Germani undique advolant: alii catervi superato Rheno occupant ripam laevam, alii in dextra remanent illos secuturi. Ferletus de vitio vulgatae scripturae certus commendat *sinistram ripam.* Contra illum disputavit Strombeckius.

Germanorum. Ed. Spir. *Germaniorum.* Mox in cod. Guelf. non legitur *in* ante *adversum*, et *amnem* ibi est a secunda manu in litura. — Ibidem invenio *veteranorum* pro *veteranarum.*

depromptae. Ed. Spir. *promptae.*

silvis lucisque. Sic veteres libri a Lipsio inspecti et MS. Corb. edd. Lips. (1574.) sqq. ad Oberlinum. Hic e sententia Gruteri edidit *silvis lucisve*, quod exstat in MS. Reg. et ed. Spir. — Ante Lipsium vulgabatur *silvis iugisque*, uti ferunt MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Puteol. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — Verum esse *lucis* hodie nemo dubitat. At suffixum

imagines, ut cuique genti inire proelium mos est, mixta belli civilis externique facie obstupefecerant obsessos. et spem oppugnantium augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus situm vix quinque millia armatorum Romanorum tuebantur. sed lixarum multitudo turbata pace illuc congregata et bello ministra aderat.

XXIII. Pars castrorum in collem leniter exsurgens, pars aequo adibatur. quippe illis hibernis obsideri premique Germanias Augustus crediderat, neque

ve parum aptum videtur huic loco. Nam ve disiunctionum efficit, ut accipias unum vel alterum. cf. Hist. 3, 20. *pluteis cratibusve protegi;* 2, 88. *urbibus regibusve.* An. 1, 9. *extollebatur arguebaturve.* Immo *silvae* et *luci* coniunguntur tanquam synonyma vel ut sit ἓν διὰ δυοῖν. Sic Noster in libro de Germania coniungit *nemora ac lucos.* cf. c. 9. 10. 45. Ceterum de imaginibus ferarum Germanos in proelium comitatis vide librum de Germ. c. 7.

ut cuique genti. MS. Guelf. *ut quoicunque genti.*

mixta belli. Sic MSS. Flor. (test. Pichena) Corb. edd. Spir. Picben. Gruter. sqq., nisi quod MS. Corb. et ed. Spir. transponunt: *mos est belli civilis externique mixta facie.* Pro *mixta* MSS. Guelf. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. ferunt *iusta*, et hoc est pro *iuxta*, quod exstat in MSS. Bud. Ies. edd. Rhenan. Ald. sqq. ad Pichenam. — Eadem vocabulorum confusio et alibi invenitur. cf. not. ad An. 14, 12.

et spem. MS. Guelf. *et specie.*

augebat. Ed. Spir. *augebant.*

armatorum Romanorum. Sic veteres libri MSS. et editi, praeter codicem Budensem, qui omittit *Romanorum*, eoque auctore hoc vocabulum deleverat Rhenanus. Restituit Pichena censuitque adiectam eam vocem, ut a quinque millium summa excluderentur servi, lixae atque id genus hominum. Non satis recte. Quare Oberlinus rursus delevit *Romanorum*, addito vel sine voce *Romanorum* milites a lixis distingui. At *armati Romani* sunt milites legionarii, quorum quinque millia tum fuisse in castris Noster dicit. Simplex vocabulum *armati* potest etiam referri ad milites auxiliares. Iam armatorum omnino quinque millia fuerint, ut non discernantur milites auxiliares aut legionarii, an quinque illa millia fuerint armati Romani, hodie nemo discernet: fides habenda est libris. Castra duabus legionibus erant sita: duae igitur legiones cum iustis auxiliis debebant adesse, ut castra bene defenderentur. At inerant tantum quinque millia armati Romani.

CAP. 23. *leniter.* Ed. Spir. *leuiter.*

exsurgens. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Reg. Corb. Agr. Bud. edd. Spir. Brot. Bipont. Oberlin. sqq. cf. Hist. 2, 14. *in colles mari propinquos exsurgeret.* — MS. Guelf. edd. Put. ner. (c. sil. Vict.) Alc. sqq. *assurgens.* cf. An. 15, 38. *deinde in edito adsurgens.*

adibatur. MS. Guelf. a prima manu *adhibatur:* in margine additur syllaba *be*, ut legas *adhibebatur*, quod exstat in ed. Spir. Quod vitium quomodo sit ortum iam facile intelliges.

Augustus. Ed. Spir. *aug^a^.* — Eadem mox *oppugnantium* pro *oppugnatum.*

unquam id malorum, ut oppugnatum ultro legiones nostras venirent. inde non loco neque munimentis labor additus: vis et arma satis placebant. Batavi Transrhenanique, quo discreta virtus manifestius spectaretur, sibi quaeque gens consistunt, eminus lacessentes. Post ubi pleraque telorum turribus pinnisque moenium inrita haerebant et desuper saxis vulnerabantur, clamore atque impetu invasere vallum adpositis plerique scalis, alii per testudinem suorum. scandebantque iam quidam, cum gladiis et armorum incussu praecipitati sudibus et pilis obruuntur, praeferoces initio et rebus secundis nimii. sed tum praedae cupidine adversa quoque tolerabant: machinas etiam, insolitum sibi, ausi. nec ulla ipsis sollertia: perfugae captivique docebant struere materias in modum pontis, mox subiectis rotis propel-

venirent. Sic edd. Spir. Puteol. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *veniretur* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. — Mox MS. Guelf. *transnenanique* pro *Transrhenanique.*

quo discreta. Ed. Spir. *quę discreta.* Mox eadem *lacescentes.*

sibi quaeque gens consistunt. Hoc Ernestio videbatur durius dictum pro *seorsim*, quare coniecit scribendum esse *soli* pro *sibi*. Rhenanus voluerat *simul.* Bipontini *sibi* accipiunt pro *secum*. Recte. Nam sic Graeci συζῆν τινί, vivere cum aliquo; συνίστασθαί τινι, cum aliquo consistere.

pinnisque moenium. MS. Corb. *primisque moenium.*

haerebant. MSS. Reg. Agr. Vatic. (test. Lips.) et ed. Spir. *pendebant.*

adpositis plerique scalis. MS. Bud. *oppositis plerique scalis* (test. Rhenano et Oberlino). Gronoviorum editio (ann. 1672.) Rhenani adnotationem vitiose exhibet his verbis: „Mox non est in volumine manuscr. *appositis plerique scalis.*" Immo apud Rhenanum leguntur haec: „Mox est in volumine manuscr. *oppositis plerique scalis.*"

per testudinem suorum. cf. supra 3, 27. An. 13, 39.

scandebantque. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. (a secunda manu) edd. Spir. Pichen. Gruter. sqq. — *scandebant* sine copula MSS. Bodl. (a prima manu) Bud. edd. Put. Ber. (cum sil. Vict.) sqq. ad Pichenam, plena distinctione posita in edd. Alciat. sqq. post *vallum;* in edd. Put. ante *scandebant.*

sed tum. MSS. Farnes. (test. Lips.) Corb. *sed tamen*, vulgari utriusque vocabuli permutatione.

nec ulla ipsis sollertia. MS. Corb. *illis* pro *ipsis*. MS. Reg. et ed. Spir. *nec ullam sibi ipsis solertiam.*

docebant. MS. Reg. et ed. Spir. *ducebant.*

struere materias. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Corb. Bud. edd. Rhenan. Ald. sqq. — *struere machinas* MS. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alciat.

lere, ut alii superstantes tanquam ex aggere proeliarentur, pars intus occulti muros subruerent. Sed excussa ballistis saxa stravere informe opus: et crates vineasque parantibus adactae tormentis ardentes hastae: ultroque ipsi oppugnatores ignibus petebantur, donec desperata vi verterent consilium ad moras, haud ignari paucorum dierum inesse alimenta et multum imbellis turbae. simul ex inopia proditio et fluxa servitiorum fides ac fortuita belli sperabantur.

XXIV. Flaccus interim cognito castrorum obsidio et missis per Gallias, qui auxilia concirent, lectos e legionibus Dillio Voculae duodevicesimae legionis legato tradit, ut quam maximis per ripam itineribus celeraret. ipse pavidus, invalidus corpore, invisus mili-

ut alii. Ed. Spir. *ut aliis.* Eadem mox *parus* pro *pars.*

superstantes. MS. Bud. *suprastantes.* cf. not. ad 1, 20. — Mox voc. *informe* non legitur in MS. Guelf.

adactae tormentis. Herbstius in Animadverss. p. 31. scribit constructionem poscere praepositionem *e* (ut legas *e tormentis*), quae facile potuerit excidere ob praecedens *e.* Sed *tormentis* est ablativus instrumenti, qui ponitur sine praepositione. cf. Ramshorn. Gr. §. 141. p. 256.

oppugnatores. MS. Guelf. et ed. Spir, *oppugnantes.* — Mox ed. Beroald. vitiose *ad mora,* et *iguari* pro *ignari.*

sperabantur. MS. Agr. *spectabantur.*

Cap. 24. *cognito castrorum obsidio.* MS. Reg. *cognita castrorum obsidione.* Sed cf. not. ad An. 13, 41.

lectos e legionibus. Praepositionem *e* suadente Mureto restituit Pichena, an e MS. Flor., ut Broterius adfirmat, apud Pichenam non additur. Adest praepositio in MS. Corb. — Victorius silentio transmisit *legionibus*, quod sine praepositione exstat in MSS. Reg. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Puteol. sqq. ad Pichenam. — MS. Guelf. primam syllabam *le* habet a secunda manu in litura et omissa est praepositio. cf. infr. c. 46. *et lectus in eandem spem e legionibus miles.*

duodevicesimae. Sic MSS. Guelf. Harl. Ies. Vatic. 1958. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. Micyll. et deinde Pich. Grut. sqq. Et Pichena scribit eum numerum postulari a libris et ab historia. cf. not. ad Hist. 1, 55. — *duo et vicesimae* (s. *vicensimae*) MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio), Reg. Bud. Bodl. Corb. edd. Spir. Rhen. Ald. Lipsii. Idem numerus in MS. Vatic. legitur superscriptus.

ipse pavidus, invalidus corpore. Ex emendatione Pichenae, quam in locum recepit Iac. Gronovius. At ita locum corrigendum iam pridem Victorius divinaverat. Praeivit MS. Flor., in quo leguntur haec: *ipse navibus, invalidus corpore.* Eadem sunt in MSS. Reg. Corb. Agr. ed. Spir. — *ipse pavidus torpere, invisus militibus*

tibus. neque enim ambigue fremebant emissas a Magontiaco Batavorum cohortes, dissimulatos Civilis conatus, adsciri in societatem Germanos. non Primi Antonii neque Muciani ope Vespasianum magis adolevisse. aperta odia armaque palam depelli: fraudem et dolum obscura eoque inevitabilia. Civilem stare contra, struere aciem: Hordeonium e cubiculo et lectulo iubere, quidquid hosti conducat. Tot armatas fortissimorum virorum manus unius senis valetudine regi. quin potius interfecto traditore fortunam virtutemque suam malo omine exsolverent. His inter se vocibus instinctos

MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad lac. Gronovium. — *ipse navibus corpore invisus militibus* MS. Bud. — Lipsius coniecit: *ipse pavidus, invalidus, torpere.* Gruterus: *ipse, navibus invalidus, corpore invisus m.* Dottevillius scripturam Florent. pro vera accipit intelligitque Flaccum navibus secutum in Rheno. At verba, uti sunt, vix idoneum contextum efficiunt, nisi si coniicias quaedam excidisse inter *navibus* et *invalidus*, quod satis verisimile est. Non enim credo frustra potiores libros in *navibus* consentire. E sequentibus (c. 25.) satis etiam patet Flaccum non remansisse, cum Voculam praemitteret, sed cum cetero exercitu secutum.

fremebant. Sic tacite ediderunt Rhenan. Ald. sqq. — *premebant* MSS. Flor. (test. Ryck.) Agr. Bud. (test. Oberlin.) Guelf. edd. Spir. (haec *premebat*) Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat.

a Magontiaco. MS. Bodl. negligit praepositionem *a*. — Ed. Spir. *a maguntiaco.* MS. Guelf. *a magonciaco.* cf. not. ad c. 15. — Mox MS. Guelf. *cohortis* pro *cohortes.*

adsciri. Sic MSS. Flor. (test. Pichen.) Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat. et deinde Pichen. Bernegg. sqq. — *asciri* ed. Spir. — *acciri* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. Lips. Grut. Sed cf. infr. c. 80. et Agr. c. 19.

struere aciem. Ed. Spir. *struem aciem.*

quidquid. Sic MS. Flor. teste Victorio. *quicquid* MS. Guelf. edd. Spir. Puteol. Beroald. sqq.

armatas. Ed. Spir. *armatos.*

manus. Gutmannus interpretatur *Schaaren*, Ricklefsius *Haufen.* Strombeckius optime *Arme.* cf. not. ad An. 1, 61.

regi. Ed. Spir. *tegi.*

traditore. *Traditorem* pro *proditore* apud veteres dici negant interpretes. Quare alii, ut Ferrettus, Ursinus, Acidalius, Ernestius, volunt scribi *proditore;* alii cum Heinsio malunt *traditove* intell. custodiae vel hostibus. At imitator Noster Graecorum, qui plane sic usurpant verbum παραδίδωμι, παράδοσις: nec inepte Hordeonius *traditor* dici poterat, quia videbatur traditurus esse Vespasiano imperium exercitusque.

malo omine. MS. Reg. et ed. Spir. *a malo omine.* Sed cf. An. 6, 44. *pudore proditionis omnes exsolvit;* 12, 42. *cura exsolverentur;* 12, 46. *custode exsolutus.* Hist. 3, 61. *pudore proditionis cunctos exsolverent.* Germ. c. 24. *pudore victoriae exsolvant.*

vocibus instinctos. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Reg. Agr. Harl. (in margine) edd. Spir.

flammavere insuper allatae a Vespasiano litterae, quas Flaccus, quia occultari nequibant, pro concione recitavit: vinctosque, qui attulerant, ad Vitellium misit.

XXV. Sic mitigatis animis Bonnam hiberna primae legionis ventum. Infensior illic miles culpam cladis in Hordeonium vertebat: eius iussu directam adversus Batavos aciem, tanquam a Magontiaco legiones sequerentur: eiusdem proditione caesos nullis supervenientibus auxiliis. Ignota haec ceteris exercitibus neque imperatori suo nuntiari, cum adcursu tot provinciarum exstingui repens perfidia potuerit. Hordeonius exemplaria omnium litterarum, quibus per Gallias Britanniamque et Hispanias auxilia orabat, exercitui recitavit, instituitque pessimum facinus, ut epistolae aquiliferis legionum traderentur, a quis ante militi quam ducibus legebantur. Tum e seditiosis unum vinciri iubet magis usurpandi iuris quam quia unius culpa foret.

Pich. Grut. sqq. cf. An. 2, 46. *his vocibus instinctos.* Agr. c. 35. *instinctos ruentesque ita disposuit.* — *vocibus insistentes* MSS. Guelf. Bodl. Ies. Harl. (in contextu) edd. Puteol. sqq. ad Pichenam. — MS. Bud. *vocis insistentes*, unde Rhenanus volebat fieri *votis insistentes*.

flammavere. MSS. Guelf. Agr. (a sec. manu) et ed. Spir. *inflammavere*. — Mox ed. Spir. *qn* pro *quas*.

recitavit. MS. Corb. *recitaverat*. Pro *concione* ed. Beroald. fert *conctione*. Victorius delevit litteram *t*.

Cap. 25. *Bonnam*. MS. Corb. *in Bonnam*. Ed. Spir. *bona*, et mox *eventum* pro *ventum*. MS. Agr. *est ventum*.

directam ... aciem. MS. Reg. et ed. Spir. *directa ... acie*.

a Magontiaco. MS. Guelf. *a magontiace*. Ed. Spir. *a maguntiace*. — Mox eadem *nec* pro *neque* habet omittitque *tot* ante *provinciarum*.

exemplaria. Sic MSS. Reg. Agr. et editiones omnes. At MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Guelf. Bodl. Ies. Corb. Bud. *exemplares*, ut cum Rhenano intelligas *litteras*. Sic Macrob. Somn. Scip. 1, 8. *exemplares virtutes*: exigua sane auctoritas ob huius scriptoris aetatem. Attamen censeo Macrobium non primum illo adiectivo esse usum nec fuisse usurum, ni priores eum usum suppeditassent. Videamus igitur, ne nimio fastidio nostro latinitas detrimenti quid capiat.

Hispanias. MS. Guelf. *hyspaniā*.

ducibus. MS. Agr. *duci*.

e seditiosis. Ed. Spir. *ex seditiosis*.

usurpandi iuris. Sic MSS. Flor. (test. Lipsio, non invenio quo auctore) Vatic. Bud. Reg. Corb. edd. Spir. Lips. (1574.) sqq. — *usurpandi iuris causa* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen.

motusque Bonna exercitus in coloniam Agrippinensem adfluentibus auxiliis Gallorum, qui primo rem Romanam enixe iuvabant: mox valescentibus Germanis pleraeque civitates adversum nos armatae spe libertatis, et si exuissent servitium, cupidine imperitandi. Gliscebat iracundia legionum nec terrorem unius militis vincula indiderant. quin idem ille arguebat ultro conscientiam ducis, tanquam nuntius inter Civilem Flaccumque falso crimine testis veri opprimeretur. Conscendit tribunal Vocula mira constantia prehensumque militem ac vociferantem duci ad supplicium iussit. et dum mali pavent, optimus quisque iussis paruere. Exin consensu ducem Voculam poscentibus Flaccus summam rerum ei permisit.

XXVI. Sed discordes animos multa efferabant: inopia stipendii frumentique, et simul delectum tributaque Galliae aspernantes, Rhenus incognita illi coelo siccitate vix navium patiens, arti commeatus, disposi-

Ald. Micyll. Sed vid. not. ad An. 2, 59. Ceterum ed. Spir. corrupte locum exhibet sic: *usurpanduris*.

motusque Bonna. Ed. Spir. *bona*. MS. Guelf. *bonnā*.

adversum nos armatae. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. — *adversum arma*, neglecta media voce, ed. Spir. — *adversum nos arma* MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Bud. Reg. Corb. ed. Iac. Gronov., qui intelligit *convertere*. — MS. Agr. *adversum arma sumpsere*, omisso vocabulo *nos*. Bipontini: *armari*. Iac. Gronovii explicatio durior est quam ut vera videri possit: quanquam plane similia sunt illa An. 4, 57. *tandem Caesar in Campaniam*. Vid. ibi not. Acquiescimus in vulgatis.

legionum. Ed. Spir. *regionum*. cf. not. ad An. 13, 7. 12, 45. Hist. 2, 74. 3, 50.

indiderant. MS. Guelf. *indiderat*.

optimus quisque. MS. Harl. (in margine) et ed. Spir. *optimi quique*. MS. Agr. *optimi quisque*.

iussis. MS. Guelf. *iussus*.

Cap. 26. *efferabant*. Sic edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Rhenan. sqq. cf. Liv. 25, 26. *adsuetudine mali efferaverant animos*. — *efferebant* MS. Guelf. edd. Puteol. Alciat. — *offerebant* ed. Spir.

inopia stipendii frumentique. MS. Guelf. *inopia frumenti stipendiique*,

delectum. MS. Flor. (test. Vict.) *dilectum*, uti solet.

illi coelo. Sic MSS. Reg. Harl. (a sec. manu) edd. vett. (cum sil. Victorii) et recentiores omnes. — MSS. Guelf. Bodl. Ies. Bud. non habent vocem *illi*.

arti commeatus. Sic edd. Lips. sqq. — *areti* edd. Puteol. sqq. ad Lipsium. — *arei* ed. Spir. — *acti* MS. Guelf.

tae per omnem ripam stationes quae Germanos vado arcerent, eademque de causa minus frugum et plures qui consumerent. apud imperitos prodigii loco accipiebatur ipsa aquarum penuria, tanquam nos amnes quoque et vetera imperii munimenta desererent. quod in pace fors seu natura, tunc fatum et ira dei vocabatur. Ingressis Novesium sextadecuma legio coniungitur. additus Voculae in partem curarum Herennius Gallus legatus: nec ausi ad hostem pergere loco, cui Gelduba nomen est, castra fecere. Ibi struenda acie, muniendo vallandoque et ceteris belli meditamentis militem firmabant. utque praeda ad virtutem accenderetur, in pro-

per omnem ripam. Ed. Spir. non habet *omnem.*

amnes quoque et vetera imperii munimenta. Ἓν διὰ δυοῖν. cf. Roth. p. 47. De re vid. An. 1, 9. *amnibus longinquis septum imperium.* In MS. Guelf. a prima manu fuit *veteris*, unde secunda manus fecit *vetera.*

in pace fors. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. *sors.* cf. not. ad An. 14, 5. Hist. 4, 1. — Mox ed. Spir. *ingressis no* (in fine versus) *XVI. legio coniungitur.* De *decuma sexta legione* consentiunt MSS. Reg. Agr. Vatic. (test. Lips.), eumque numerum edidit Broterius. Ceteri libri tuentur scripturam vulgatam. *Sextam decumam* iam pridem Mercerus reponendam suaserat. Adversatus est Pichena docendo sextadecumanos a Vitellio in Italiam abductos. cf. Hist. 3, 22. At abducti et quintani et quintadecumani, qui tamen passim in hoc Civilis bello memorantur. Namque abductarum legionum castra apud Rhenum manebant cum praesidio e legionibus delecto, novisque delectibus legionum nomina interim supplebantur. Iam sextamdecumam in Germania fuisse locatam cognoscitur e loco Hist. 1, 55. Tertia autem decuma erat in Pannonia. cf. Hist. 2, 86. et 3, 7. Oberlinus rem ita expedit, ut duas eiusdem numeri legiones exstitisse autumet.

loco, cui Gelduba nomen est. Voculam *cui* omittunt MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. ad Ernestium, qui eam restituit e MSS. Reg. Harl. (a sec. manu) ed. Spir. cf. infr. c. 84. *loco, cui nomen Rhacotis.* Ob praecedentem syllabam *co* illud *cui* facile potuit absorberi. Sine *cui* locus claudicat sive cum Alciato sqq. legas: *loco Gelduba nomen est*, sive cum Lipsio distinguas: *loco, Gelduba nomen est.* — Ed. Spir. pro *Gelduba* fert *Gedulba*, et mox *bellis medicamentis* pro *belli meditamentis.*

accenderetur. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *incenderetur* MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Pichenam. — *incederetur* MS. Guelf. (omissa lineola super altera syllaba). — *acederetur* MS. Bud. cf. An. 1, 4. *ignominia accensum;* ibid. c. 69. *accendebat haec.* 2, 2. *accendebat dedignantes et ipse;* ibid. c. 16. *Sic accensos.* Adde 2, 43. 57. 3, 4. 4, 52. 60. 14, 7. 62. 15, 4. Pro altera scriptura cf. An. 1, 23. et 47. 12, 35. 4, 35.

ximos Gugernorum pagos, qui societatem Civilis acceperant, ductus a Vocula exercitus. Pars cum Herennio Gallo permansit.

XXVII. Forte navem haud procul castris frumento gravem, cum per vada haesisset, Germani in suam ripam trahebant. non tulit Gallus misitque subsidio cohortem. auctus et Germanorum numerus paulatimque adgregantibus se auxiliis acie certatum. Germani multa cum strage nostrorum navem abripiunt. Victi (quod tum in morem verterat) non suam ignaviam, sed perfidiam legati culpabant. protractum e tentorio, scissa veste, verberato corpore, quo pretio, quibus consciis prodidisset exercitum, dicere iubent. Redit in Hordeonium invidia. illum auctorem sceleris, hunc ministrum vocant, donec exitium minitantibus exterritus proditionem et ipse Hordeonio obiecit: vinctusque adventu demum Voculae exsolvitur. is postera die auctores seditionis morte adfecit. Tanta illi exercitui diversitas inerat licentiae patientiaeque. haud dubie gregarius miles Vitellio fidus: splendidissimus quisque

ductus a Vocula. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Ald. Micyll. Lipsii posteriores sqq. — *ductus Vocula* MSS. Flor. (test. Ryckio) Bud. edd. Spir. Rhen. et Lipsii prima. — *ductus Voculae* MS. Agr., eamque veram esse scripturam censeo. Nam littera *e* facile potuit absorberi a proximo vocabulo *exercitus*.

Cap. 27. *haud procul castris.* Ed. Spir. *haud procul a castris.* cf. not. ad c. 22.

auctus et Germ. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Rhen. (e cod. Bud., ut videtur) Ald. sqq. — *auctus est G.* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — Mox ed. Spir. post *certatum* addit *est*.

multa cum strage. Ed. Spir. *cum magna strage.*

nostrorum. MS. Guelf. *nostrum*, et dein *nave* pro *navem*.

abripiunt. Sic MSS. Guelf. Harl. Ies. Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. — *arripiunt* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alciat. Eadem varietas est An. 14, 8. (ubi vid. not.) et alibi. cf. Oudend. ad Caes. B. G. 5, 33.

quod tum. MS. Guelf. (a sec. manu) et ed. Spir. *q̃ tum* (h. e. *quam tum*). — Mox ed. Spir. *scisa* pro *scissa*. Ita *abscisis* et *abscissis* permutantur Hist. 3, 74. et 78.

Hordeonium. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Ald. Lips. sqq. — *Ordeonium* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc. Rhen.

auctorem. Ed. Spir. *actorem.* Eadem mox: *et ipse proditionem et ipse.*

splendidissimus. MS. Guelf. *splendissimus.*

in Vespasianum proni. inde scelerum ac suppliciorum vices et mixtus obsequio furor, ut contineri non possent, qui puniri poterant.

XXVIII. At Civilem immensis auctibus universa Germania extollebat, societate nobilissimis obsidum firmata. Ille ut cuique proximum vastari Ubios Treverosque et alia manu Mosam amnem transire iubet, ut Menapios et Morinos et extrema Galliarum quateret. Actae utrobique praedae, infestius in Ubiis, quod gens Germanicae originis eiurata patria Romanorum nomen Agrippinenses vocarentur. caesae cohortes eorum in

ac suppliciorum. Ed. Spir. *et suppliciorum.* Mox ed. Beroald. ante *possent* negligit *non*, quod e cod. Flor. addidit Victorius.

Cap. 28. *immensis auctibus.* Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Covarruv. edd. Pich. Bernegg. sqq. — *immensis actibus* MSS. Guelf. Bodl. Vatic. 1958. (in utroque tamen adscriptum est *auctibus*) edd. Spir. Puteol. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Micyll. — *Civilem immensum universa Germania extollebat* edd. Lips. Gruter. e Lipsii coniectura, ad quam ei praeivit cod. MS. Vatic. 1863. qui fert: *immensis universa,* sed spatio post *immensis* relicto. — *immensis laudibus* MS. Agr. ex emendandi studio. At nihil verius esse potest quam recepta a Pichena scriptura, nec quidquam vitiorum in veteribus libris frequentius est quam vocabulorum *auctus* et *actus, auctor* et *actor, augere* et *agere* confusio. De verbo *extollebat* cf. not. ad An. 1, 2. 11, 1.

nobilissimis. Ed. Spir. *nobilissimus.* Eadem mox *uirbios* pro *Ubios.* Inter *Treveros* et *Treviros* veteres libri variant solito more.

alia manu. Sic MSS. et editiones omnes ante Bipontinos et Oberlinum, qui e Freinshemii sententia ediderunt *aliam manum.* Sed nimis me offendit cumulus accusativorum, nec ullam video mutandi necessitatem. Civilis imperat ducibus partium, Mosam amnem transeant idque iubet fieri alia manu. Faërnus et Acidalius frustra volebant *transiri.* Utraque forma loco convenit. cf. not. ad An. 13, 7. Ceterum pro *Mosam* MS. Guelf. habet *Mossam*, ed. Spir. *mox.*

quateret. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Guelf. et sic vulgo MSS. et edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *quaterent* MS. Bud. edd. Rhenan. sqq. ad Ryckium. — *quaereret* ed. Spir. — Eadem pergit: *ecce utrobique infestius: in uirbiis g germanicae originis.*

quod gens. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) edd. Pichen. Gruter. sqq. — *quos genus* MSS. Guelf. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Pichenam, nisi quod Micyllus praefert *quod genus.* — MSS. Reg. et Agr. cum ed. Spir. ferunt *quod* altera voce omissa. MS. Bud. *quos gens.*

Romanorum nomen. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov. *nom*) Reg. Bud. Agr. edd. Spir. Beroald. (cum silent. Vict.) Iac. Gronov. sqq. — *Romanorum nomine* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Alc. sqq. ad Iac. Gronovium. At verba *Romanorum nomen* sunt in appositione et frustra Grutero insititia videbantur.

vocarentur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. Bud. Agr. edd. Spir. Pichen. Grut. Bernegg.

vico Marcoduro incuriosius agentes, quia procul ripa aberant. Nec quievêre Ubii, quominus praedas e Germania peterent, primo impune, dein circumventi sunt, per omne id bellum meliore usi fide quam fortuna. Contusis Ubiis gravior et successu rerum ferocior Civilis obsidium legionum urgebat, intentis custodiis ne quis occultus nuntius venientis auxilii penetraret. Machinas molemque operum Batavis delegat: Transrhenanos proelium poscentis ad scindendum vallum ire detrusosque redintegrare certamen iubet, superante multitudine et facili damno. nec finem labori nox attulit.

XXIX. Congestis circum lignis accensisque, simul epulantes, ut quisque vino incaluerat, ad pugnam temeritate inani ferebantur. quippe ipsorum tela per tenebras vana: Romani conspicuam barbarorum aciem, et si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant. Intellectum id Civili, et restincto igne misceri cuncta tenebris et armis iubet. tum vero strepitus dissoni, casus incerti, neque feriendi neque declinandi

sqq. — *vocarent* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Pichenam.

in vico. Ed. Spir. *in vicos.* — Eadem *procul a ripa.* cf. not. ad c. 27. sub vv. *haud procul castris.*

Ubii, quominus. Ed. Spir. *ubi in q̊minus.*

contusis Ubiis. Pro *contusis* MS. Guelf. *concussis.* Pro *Ubiis* ed. Spir. *Virbiis.* — Mox eadem *intentus* pro *intentis.*

proelium poscentis. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. et sic MS. Harl. in margine. — *bellum poscentis* MSS. Guelf. Harl. (in contextu) Bodl. Ies.

nec finem labori etc. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich. et Ryckio) Reg. Agr. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *ne finem quidem labori* etc. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. Alc. (non *nec f. quidem*, ut alii prodiderunt). Iac. Gronovius volebat: *ne nox quidem finem l. a.* Frustra.

Cap. 29. *Congestis circum lignis accensisque.* MS. Agr. *congestis circum accensis lignis.* Ed. Spir. pro *accensisque* suppeditat *accensis qui.*

aut insignibus effulgens. Ed. Spir. *et insignibus fulgens.* MS. Agr. *insignibus fulgens armis*, quam vocem necessario addi censuit Ryckius. Sed cf. not. ad An. 1, 24.

misceri. Sic MSS. et editiones omnes, excepta una ed. Iac. Gronovii, quae fert *miscere* fortasse vitio typographico.

neque declinandi. Ed. Spir. *nec declinandi.*

providentia. unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus: nihil prodesse virtus, fors cuncta turbare et ignavorum saepe telis fortissimi cadere. apud Germanos inconsulta ira: Romanus miles periculorum gnarus ferratas sudes, gravia saxa non forte iaciebat. Ubi sonus molientium aut adpositae scalae hostem in manus dederant, propellere umbone, pilo sequi: multos in moenia egressos pugionibus fodere. sic exhausta nocte novam aciem dies aperuit.

XXX. Eduxerant Batavi turrim duplici tabulato, quam praetoriae portae (is aequissimus locus) propinquantem promoti contra validi asseres et incussae trabes perfregere multa superstantium pernicie. pugnatumque in perculsos subita et prospera eruptione. Simul a legionariis peritia et arte praestantibus plura struebantur. praecipuum pavorem intulit suspensum et nutans machinamentum, quo repente demisso praeter suorum ora singuli pluresve hostium sublime rapti verso pondere intra castra effundebantur. Civilis omissa oppugnandi

acciderat. MS. Agr. *accideret.*

circumagere. Ed. Spir. *circumageret* (sic *circūagēt*).

tendere arcus. Sic MSS. et editiones. Lipsius tentabat: *tendere armis;* Acidalius: *tendere iactus.* Displicebant scilicet *arcus*, quia Germanis haud crebra ea arma. Sed arma, quibus tunc eminus utebantur, non poterant esse nisi *arcus*, nec quidquam impedit, quominus arcus dicatur tendi aliquo, quamvis dubitet Ernestius.

virtus. Hoc in MS. Reg. et ed. Spir. non legitur.

cadere. Ed. Spir. *ceciderunt.*

gnarus. Sic MS. Flor. (teste Victorio) edd. Rhen. Ald. sqq. — *ignarus* MSS. Guelf. Bud. alii, edd. Spir. Put. sqq. ad Rhenanum, quod vitium in veteribus libris frequens est.

pilo sequi. MS. Guelf. *pillo sequi.* Ed. Spir. *pilos: equi.*

Cap. 30. *turrim.* Ed. Spir. *turrem.* — Eadem post *portae* pergit: *is equissimus loco propinquo promoti contra validas fores incussis trabibus perfregere.* Etiam MS. Harl. (in margine) exhibet haec: *et incussis trabibus.* De re cf. Caes. B. C. 2, 2.

prospera eruptione. MS. Bud. *ruptione.* Ed. Spir. *propera ruptione.*

pavorem. MSS. Reg. Agr. et ed. Spir. *terrorem.*

et nutans machinamentum. Ed. Spir. *ut* pro *et.* Describitur hic *tollenon*, de quo vid. Veget. 4, 21. Liv. 38, 5.

demisso. Ed. Spir. *dimisso.*

intra castra. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *infra castra.* A MS. Ies. abest *castra.*

vico Marcoduro incuriosius agentes, quia procul ripa aberant. Nec quievére Ubii, quominus praedas e Germania peterent, primo impune, dein circumventi sunt, per omne id bellum meliore usi fide quam fortuna. Contusis Ubiis gravior et successu rerum ferocior Civilis obsidium legionum urgebat, intentis custodiis ne quis occultus nuntius venientis auxilii penetraret. Machinas molemque operum Batavis delegat: Transrhenanos proelium poscentis ad scindendum vallum ire detrusosque redintegrare certamen iubet, superante multitudine et facili damno. nec finem labori nox attulit.

XXIX. Congestis circum lignis accensisque, simul epulantes, ut quisque vino incaluerat, ad pugnam temeritate inani ferebantur. quippe ipsorum tela per tenebras vana: Romani conspicuam barbarorum aciem, et si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant. Intellectum id Civili, et restincto igne misceri cuncta tenebris et armis iubet. tum vero strepitus dissoni, casus incerti, neque feriendi neque declinandi

sqq. — *vocarent* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Pichenam.

in vico. Ed. Spir. *in vicos.* — Eadem *procul a ripa.* cf. not. ad c. 27. sub vv. *haud procul castris.*

Ubii, quominus. Ed. Spir. *ubi in qminus.*

contusis Ubiis. Pro *contusis* MS. Guelf. *concussis.* Pro *Ubiis* ed. Spir. *Virbiis.* — Mox eadem *intentus* pro *intentis.*

proelium poscentis. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. et sic MS. Harl. in margine. — *bellum poscentis* MSS. Guelf. Harl. (in contextu) Bodl. Ies.

nec finem labori etc. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich. et Ryckio) Reg. Agr. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *ne finem quidem labori* etc. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. Alc. (non *nec f. quidem*, ut alii prodiderunt). Iac. Gronovius volebat: *ne nox quidem finem l. a.* Frustra.

Cap. 29. *Congestis circum lignis accensisque.* MS. Agr. *congestis circum accensis lignis.* Ed. Spir. pro *accensisque* suppeditat *accensis qui.*

aut insignibus effulgens. Ed. Spir. *et insignibus fulgens.* MS. Agr. *insignibus fulgens armis,* quam vocem necessario addi censuit Ryckius. Sed cf. not. ad An. 1, 24.

misceri. Sic MSS. et editiones omnes, excepta una ed. Iac. Gronovii, quae fert *miscere* fortasse vitio typographico.

neque declinandi. Ed. Spir. *nec declinandi.*

providentia. unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus: nihil prodesse virtus, fors cuncta turbare et ignavorum saepe telis fortissimi cadere. apud Germanos inconsulta ira: Romanus miles periculorum gnarus ferratas sudes, gravia saxa non forte iaciebat. Ubi sonus molientium aut adpositae scalae hostem in manus dederant, propellere umbone, pilo sequi: multos in moenia egressos pugionibus fodere. sic exhausta nocte novam aciem dies aperuit.

XXX. Eduxerant Batavi turrim duplici tabulato, quam praetoriae portae (is aequissimus locus) propinquantem promoti contra validi asseres et incussae trabes perfregere multa superstantium pernicie. pugnatumque in perculsos subita et prospera eruptione. Simul a legionariis peritia et arte praestantibus plura struebantur. praecipuum pavorem intulit suspensum et nutans machinamentum, quo repente demisso praeter suorum ora singuli pluresve hostium sublime rapti verso pondere intra castra effundebantur. Civilis omissa oppugnandi

acciderat. MS. Agr. *accideret.*

circumagere. Ed. Spir. *circumageret* (sic *circūagēt*).

tendere arcus. Sic MSS. et editiones. Lipsius tentabat: *tendere armis;* Acidalius: *tendere iactus.* Displicebant scilicet *arcus*, quia Germanis haud crebra ea arma. Sed arma, quibus tunc eminus utebantur, non poterant esse nisi *arcus*, nec quidquam impedit, quominus arcus dicatur tendi aliquo, quamvis dubitet Ernestius.

virtus. Hoc in MS. Reg. et ed. Spir. non legitur.

cadere. Ed. Spir. *ceciderunt.*

gnarus. Sic MS. Flor. (teste Victorio) edd. Rhen. Ald. sqq. — *ignarus* MSS. Guelf. Bud. alii, edd. Spir. Put. sqq. ad Rhenanum, quód vitium in veteribus libris frequens est.

pilo sequi. MS. Guelf. *pillo sequi.* Ed. Spir. *pilos: equi.*

Cap. 30. *turrim.* Ed. Spir. *turrem.* — Eadem post *portae* pergit: *is equissimus loco propinquo promoti contra validas fores incussis trabibus perfregere.* Etiam MS. Harl. (in margine) exhibet haec: *et incussis trabibus.* De re cf. Caes. B. C. 2, 2.

prospera eruptione. MS. Bud. *ruptione.* Ed. Spir. *propera ruptione.*

pavorem. MSS. Reg. Agr. et ed. Spir. *terrorem.*

et nutans machinamentum. Ed. Spir. *ut* pro *et.* Describitur hic *tollenon*, de quo vid. Veget. 4, 21. Liv. 38, 5.

demisso. Ed. Spir. *dimisso.*

intra castra. MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *infra castra.* A MS. les. abest *castra.*

spe rursus per otium adsidebat nuntiis et promissis fidem legionum convellens.

XXXI. Haec in Germania ante Cremonense proelium gesta, cuius eventum litterae Primi Antonii docuere addito Caecinae edicto. et praefectus cohortis e victis Alpinus Montanus fortunam partium praesens fatebatur. Diversi hinc motus animorum. auxilia e Gallia, quis nec amor nec odium in partes, militiae sine adfectu hortantibus praefectis statim a Vitellio desciscunt: vetus miles cunctabatur. sed adigente Hordeonio Flacco, instantibus tribunis dixit sacramentum non vultu neque animo satis adfirmans: et cum cetera iurisiurandi verba conciperent, Vespasiani nomen haesitantes aut levi murmure et plerumque silentio transmittebant.

XXXII. Lectae deinde pro concione epistolae Antonii ad Civilem suspiciones militum inritavere tanquam ad socium partium scriptae et de Germanico exercitu hostiliter. Mox adlatis Geldubam in castra nun-

nuntiis et promissis. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. Rhenan. Ald. sqq. — Copulam negligunt edd. Put. V. Beroald. (cum silent. Victorii) Alciat.

Cap. 31. *e victis.* Sic tacite edd. Rhenan. Ald. sqq. — *euictus* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc.

Alpinus Montanus. cf. supr. 3, 35. Hic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. *Alpinius.* Beroaldus sqq. edidere *Alpinus.*

nec odium. MS. Flor. teste Victorio *neque odium.* Ceteri libri ferunt *nec.*

militiae. Sic MS. Guelf. (ubi est *milicie*) edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat. — Rhenanus sqq. tacite ediderunt *militia.* Sed quid impedit quo minus *militiae*, quod poscunt veteres libri, restituamus?

hortantibus praefectis. MS. Bud. *tribunis.*

cunctabatur. MS. Ies. *conturbatur.*

sed adigente. MS. Guelf. *se adigente.*

non vultu neque animo. MS. Bodl. *non vultu, non animo.*

adfirmans. Sic MS. Flor. teste Victorio. *affirmans* MS. Guelf. et editiones veteres.

conciperent. MS. Ies. *acciperent.*

Cap. 32. *concione.* Ed. Beroald. *conctione.*

suspiciones. MSS. Guelf. Bodl. *suspitiones.* MS. Vatic. (Lips.) *suspectiones.* Edd. Spir. Put. M. et V. *suspitiones.* — Mox ed. Spir. *oblatis* pro *adlatis*, *Gedubam* pro *Geldubam*, *in castris* pro *in castra.*

tiis eadem dicta factaque: et missus cum mandatis Montanus ad Civilem, ut absisteret bello, neve externa armis falsis velaret. si Vespasianum iuvare adgressus foret, satisfactum coeptis. Ad ea Civilis primo callide: post ubi videt Montanum praeferocem ingenio paratumque in res novas, orsus a questu periculisque, quae per quinque et viginti annos in castris Romanis exhausisset „Egregium" inquit „pretium laboris recepi, necem „fratris et vincula mea et saevissimas huius exercitus „voces, quibus ad supplicium petitus iure gentium poe„nas reposco. vos autem Treveri ceteraeque servien„tium animae, quod praemium effusi totiens sanguinis „exspectatis nisi ingratam militiam, immortalia tributa, „virgas, secures et dominorum ingenia? En ego prae„fectus unius cohortis et Canninefates Batavique, exigua „Galliarum portio, vana illa castrorum spatia excidi„mus vel septa ferro fameque premimus. denique au-

dicta factaque. Ed. Put. V. *dictam factaque.* De formula dicendi cf. not. ad An. 2, 28. 58.

externa armis falsis. MS. Ies. *extrema* pro *externa.* Eadem confusio est infr. 5, 13. et alibi. Edd. Bernegg. Gronovv. (ann. 1672.) ex emendatione Lipsii *externa arma falsis.* Ryckius restituit veterem scripturam. Nam ita *externa* simpliciter dicuntur An. 6, 32. Hist. 1, 79. 3, 5. Civilis revera nitebatur pro libertate patriae contra Romanorum imperium (cf. supra c. 17.), simulabat vero studium partium Vespasiani. Igitur *externa* (bellum pro externa re susceptum) *armis velabat falsis* (h. e. armis, quae simulabantur haberi pro re Romana).

in res novas. Ed. Spir. *ad res novas.* Mox ed. Spir. non habet vocabulum *annos;* ed. Beroald. *exausisset* pro *exhausisset.*

laboris. MSS. Reg. Agr. (a sec. manu) ed. Spir. *laborum.*

recepi. Sic MS. Agr. edd. Spir. Ernest. Brot. sqq. — *recipi* (levi vitio) MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Bud. — *cepi* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Ald. Lips. sqq. — *coepi* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. Micyll. (vulgari vitio). Pro scriptura *recepi* faciunt exempla An. 1, 28. *gratiam . . . recipias;* 2, 81. *receptae conditiones.*

reposco. Edd. Put. M. et V. *reposto.*

vos autem Treveri. MS. Bud. *vosque Tr.* Edd. Put. M. et V. *vos aut Tr.* (omissa lineola super *aut;* nam *aūt* est *autem*). Inter *Treveri* et *Treviri* libri variant, ut supra.

quod praemium. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov. et Victorio) Reg. Bodl. (in margine) Agr. edd. Spir. Ryck. Ernest. sqq. — *quod pretium* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Ryckium, quod non ineptum est.

nisi ingratam. MS. Guelf. *nec ingratam.* — Mox ed. Spir. *Caninefates bathaui,* neglecta copula *que.*

vel septa. MS. Guelf. *vel secta.*

„sos aut libertas sequetur aut victi iidem erimus." Sic accensum, sed molliora referre iussum dimittit. Ille ut inritus legationis redit cetera dissimulans, quae mox erupere.

XXXIII. Civilis parte copiarum retenta veteranas cohortes et quod e Germanis maxime promptum adversus Voculam exercitumque eius mittit: Iulio Maximo et Claudio Victore sororis suae filio ducibus. Rapiunt in transitu hiberna alae Asciburgii sita, adeoque improvisi castra involavere, ut non adloqui, non pandere aciem Vocula potuerit. id solum ut in tumultu monuit, subsignano milite media firmare. auxilia passim circumfusa sunt. Eques prorupit exceptusque compositis

aut victi iidem erimus. Ed. Spir. *vita* pro *victi.* — Pro *iidem*, quod Rhenanus reposuit, MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. ferunt *idem* per contractionem, ut saepe.

sic accensum. Ed. Spir. *sed accensum.* De verbo *accensum* cf. not. ad c. 26.

molliora. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Bud. edd. Spir. Ald. Pich. Gruter. sqq. — *moliora* MSS. Harl. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. — *meliora* MS. Guelf. edd. Alc. Rhenan. Micyll. Lipsii. cf. not. supr. ad 1, 69.

redit. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat. — *rediit* tacite edd. Rhen. Ald. sqq. Sed non est, cur veterem formam mutemus.

dissimulans. MS. Guelf. *dissimullans.*

Cap. 33. *cohortes.* MS. Guelf. *cohortis.*

sororis suae filio. MS. Agr. *sororis suae viro*, quae est emendatio scripturae corruptae quae exstat in MS. Reg. et ed. Spir., ubi leguntur haec: *Claudio victores sororis suae: victores ducibus rapiunt.*

Asciburgii. MS. Guelf. *Asiburgii.* cf. not. ad Germ. c. 3.

castra involavere. Sic MS. Harl. (in margine) edd. Spir. Lips. (ann. 1574.) sqq. — *involuere* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. (cum sil. Vict.) sqq. In MS. Agr. vocabulum *castra* non legitur.

ut in tumultu. MS. Guelf. *ut ītumultus.* Ed. Spir. locum edit sic: *ut in tumultu nouit: monuit: subsignato milite moenia firmare.* In *subsignato milite* cum illo conspirat MS. Reg., in *moenia* MS. Agr. Ceteri libri tuentur vulgatam scripturam. *Subsignanus miles* qui sit, satis apparet e loco Hist. 1, 70. ubi *subsignanus miles* opponitur gravi legionum agmini. Intellige igitur militem praeter legiones sub vexillis habitum et *subsignanum* puta dictum, quia in acie in subsidium locari solebat post legionarios, qui erant quasi signani h. e. aquilis ceterisque cohortium signis conspicui.

auxilia passim circumfusa sunt. Intellige circum mediam subsignano milite firmatam aciem. Gutmannus putat de auxiliis hostes ab utraque parte circumeuntibus esse cogitandum. At sermo est de ratione aciei Romanae. Etenim Vo-

hostium ordinibus terga in suos vertit. caedes inde, non proelium. Et Nerviorum cohortes metu seu perfidia latera nostrorum nudavere. sic ad legiones perventum: quae amissis signis intra vallum sternebantur, cum repente novo auxilio fortuna pugnae mutatur. Vasconum lectae a Galba cohortes ac tum accitae, dum castris propinquant, audito proeliantium clamore intentos hostis a tergo invadunt latioremque quam pro numero terrorem faciunt, aliis a Novesio, aliis a Magontiaco universas copias advenisse credentibus. is error Romanis addit animos, et dum alienis viribus confidunt, suas recepere. fortissimus quisque e Batavis, quantum peditum erat, funduntur: eques evasit cum signis captivisque, quos prima acie corripuerant. Caesorum eo die in partibus nostris maior numerus et imbellior, e Germanis ipsa robora.

XXXIV. Dux uterque pari culpa meritus adversa prosperis defuere. nam Civilis, si maioribus copiis instruxisset aciem, circumiri a tam paucis cohortibus

cula non potuit iustam aciem pandere. Ed. Spir. pro *sunt* habet *sint* et mox *prorumpit* pro *prorupit* et *sive* pro *seu*.

latera nostrorum. MS. Agr. et ed. Spir. *latera nostra*.

Vasconum lectae etc. MS. Guelf. *Vascones lectae* etc.

propinquant. MS. Bud. *appropinquant*. cf. not. infr. ad c. 70. et 85.

intentos hostis. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhenan. Micyll. — *hostes* edd. Spir. Ald. Lips. sqq. — Ed. Spir. non habet *intentos*. MS. Bud. *intento hostis*.

quam pro numero. MS. Guelf. *quāq̄* (h. e. *quanquam*) *pro numero*.

Magontiaco. Sic edd. Lips. sqq.; *Maguntiaco* edd. Spir. Puteol. (cum silent. Victorii) sqq.; *Maguntiaco* MS. Guelf. — Mox vocabulum *Romanis* non legitur in MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Agr. Bud. Reg. ed. Spir. Exstat in MSS. Guelf. Harl. Bodl. edd. Put. sqq. (cum silent. Vict.), et vix abesse potest. Ultima syllaba vocis *error*, quae per compendium scribitur *errō*, facile potuit absorbere litteras *ro*. (h. e. *Romanis*). MS. Ies. fert *Romanus*.

addit. MSS. Guelf. Harl. Ies. *addidit*.

recepere. MS. Agr. et ed. Spir. *suscepere*.

corripuerant. Ed. Spir. *corripuerat*, et mox *eodem die* pro *eo die*.

Cap. 34. *Civilis, si*. Ed. Spir. *si ciuilis*.

circumiri. MS. Bud. *circuiri*. MSS. Reg. Agr. ed. Spir. *circumveniri*.

nequisset castraque perrupta exscidisset. Vocula nec adventum hostium exploravit eoque simul egressus victusque. dein victoriae parum confisus tritis frustra diebus castra in hostem movit: quem si statim impellere cursumque rerum sequi maturasset, solvere obsidium legionum eodem impetu potuisset. Tentaverat interim Civilis obsessorum animos, tanquam perditae apud Romanos res et suis victoria provenisset. circumferebantur signa vexillaque: ostentati etiam captivi. ex quibus unus egregium facinus ausus clara voce gesta patefecit, confossus illico a Germanis. unde maior indici fides. simul vastatione incendiisque flagrantium villarum venire victorem exercitum intelligebatur. In conspectu castrorum constitui signa fossamque et vallum circumdari Vocula iubet: depositis impedimentis sarcinisque expediti certarent. Hinc in ducem clamor pugnam poscentium. et minari adsueverant. ne tempore quidem

nequisset. MSS. Reg. Bud. ed. Spir. *nequiuisset.*

exscidisset. Sic edd. Ryck. Ernest. Brot. sqq. — *excidisset* edd. ante Ryckium inde a Puteol. cum MSS. Bud. Guelf. itemque ed. Iac. Gronovii. — Ed. Spir. *excidissent.* — Eadem *victus ẽ* (h. e. *est*) pro *victusque.*

tritis. Ed. Spir. *tristis.* Eadem negligit *si* ante *statim.*

eodem impetu potuisset. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Micyll. Lips. sqq. ad Ryckium, qui edidit *potuit* e MSS. Agr. Reg. ed. Spir. testatus idem inesse codici Florentino. Tacent vero cum Victorio Pichena et Iac. Gronovius, dum edunt *potuisset.* Ryckium secuti sunt Lallemand. Brot. Bip. Oberlin. sqq. Bekkerus revocavit *potuisset.* In cod. Bud. id verbum non apparet. — Pro *eodem* ibi legitur *eo,* quod ediderunt Rhenanus et Aldus.

provenisset. MS. Bud *promovisset.* — Mox MS. Guelf. *unũ* pro *unus.*

confossus illico. Sic edd. Bip. Oberl. sqq. e coniectura Freinshemii. MSS. et edd. ante Bipont. *illic* pro *illico.*

indici. MS. Reg. et ed. Spir. *iudicii,* vulgari confusione.

depositis. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Bud. Agr. edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. — *ut depositis* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Iac. Gronovium.

expediti. MS. Guelf. *expeditis.* — Idem mox *pugna* (lineola omissa) pro *pugnam.*

adsueverant. Edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Micyll. *asseuerant,* neglecta littera una. Vulgatum tuentur MSS. Guelf. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. Micyll. (in margine) sqq.

ne tempore quidem. Sic veteres libri quos vidi omnes, et cum illis recentiores, nisi quod Weisius nuper edidit *nec tempore quidem.*

ad ordinandam aciem capto incompositi fessique proelium sumpsere. nam Civilis aderat non minus vitiis hostium quam virtute suorum fretus. Varia apud Romanos fortuna et seditiosissimus quisque ignavus. quidam recentis victoriae memores retinere locum, ferire hostem seque et proximos hortari: et redintegrata acie manus ad obsessos tendere, ne tempori deessent. Illi cuncta e muris cernentes omnibus portis prorumpunt. ac forte Civilis lapsu equi prostratus credita per utrumque exercitum fama vulneratum aut interfectum immane quantum suis pavoris et hostibus alacritatis indidit.

XXXV. Sed Vocula omissis fugientium tergis vallum turresque castrorum augebat, tanquam rursus obsidium immineret, corrupta totiens victoria non falso suspectus bellum malle. Nihil aeque exercitus nostros quam egestas copiarum fatigabat. Impedimenta legionum cum imbelli turba Novesium missa, ut inde terrestri itinere frumentum adveherent: nam flumine hostes potiebantur. Primum agmen securum incessit nondum satis firmo Civile. qui ubi rursus missos Novesium frumentatores datasque in praesidium cohortes velut multa pace ingredi accepit, rarum apud signa mi-

victoriae memores. Ed. Spir. *memoriae memores.*

ne tempori deessent. MS. Guelf. *ne deessent tempori.*

cuncta e muris cernentes. Haec in MS. Bud. non leguntur.

ac forte. Ed. Spir. *Ad forte.*

credita. Sic MSS. et editiones vett. ac recentiores. — Rhenanus malebat *edita;* Lipsius *dedita* vel *didita*, ut An. 11, 1. Sed cf. not. ad An. 6, 35. — Mox ed. Spir.: *immanem suis pauorem et hostibus alacritatem indidit.*

Cap. 35. *turresque.* Ed. Spir. *turrimque.* Mox: *ñ falsos suspectos* pro *non falso suspectus*; et *nil* pro *nihil.*

securum. Ed. Spir. *secure.*

nondum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Alc. sqq. — *nundum* edd. Put. M. et V. Beroald.

qui ubi rursus missos. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Agr. edd. Pichen. Gruter. (ibi *rursum*) Bernegg. sqq. — *qui urbi rursum missos* MS. Reg. et ed. Spir. — *qui rursus missos* MSS. Guelf. (a prima manu) Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhenan. Ald.; secunda manus in margine cod. Guelf. addidit *urbi.* — *qui ut rursus missos* ed. Micyll. — *qui reversus missos* edd. Lipsii, cui tamen magis placebat scriptura, quae hodie vulgatur.

velut. Ed. Spir. *vehit.* Mox *compositos* pro *compositus.*

litem, arma in vehiculis, cunctos licentia vagos compositus invadit, praemissis qui pontes et viarum angusta insiderent. pugnatum longo agmine et incerto Marte, donec proelium nox dirimeret. Cohortes Geldubam perrexere, manentibus ut fuerant castris, quae relictorum illic militum praesidio tenebantur. Non erat dubium, quantum in regressu discriminis adeundum foret frumentatoribus onustis perculsisque. addit exercitui suo Vocula mille delectos e quinta et quintadecuma legionibus apud Vetera obsessis, indomitum militem et ducibus infensum. Plures quam iussum erat profecti palam in agmine fremebant non se ultra famem insidias legatorum toleraturos. At qui remanserant desertos se abducta parte legionum querebantur. duplex hinc seditio, aliis revocantibus Voculam, aliis redire in castra abnuentibus.

XXXVI. Interim Civilis Vetera circumsedit. Vocula Geldubam atque inde Novesium concessit. Civilis

pontes. MS. Guelf. *potens.*

pugnatum. Ed. Spir. *pugnatum ē* (h. e. *est*). Mox eadem *Gelduban perexere;* et deinde *omistis* pro *onustis.*

perculsisque. Sic MS. Agr. edd. Ryck. (suadente Lipsio) Iac. Gronov. sqq. — *periculisque* MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Bud. ed. Spir., quam vocabulorum confusionem saepius iam deprehendimus in veteribus libris. cf. not. ad Hist. 2, 26. 3, 17. — *vehiculisque* MSS. Guelf. Harl. Bodl. les. — *pauculisque* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Ryckium.

e quinta et quintadecuma. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Ernest. Brot. sqq. — *e quinta et quartadecima* MSS. Guelf. Harl. Bodl. les. edd. Puteol. sqq. ad Ernestium. At *quartadecuma* tum fuit in Britannia. cf. Hist. 3, 23. Et cap. 36. sunt *quintani et quintadecumani* in omnibus libris. — Hic MSS. Reg. Agr. et ed. Spir. *e quinta et decima* (omisso numero *quinta*). — Pro *legionibus* ed. Put. V. *ligionibus.*

apud Vetera. MS. Guelf. addit *castra.*

iussum erat. Ed. Spir. *visum erat.* cf. not. ad An. 1, 8. — Mox MS. Guelf. *pallam* pro *palam*, *tolleraturos* pro *toleraturos.*

remanserant. Ed. Spir. *remaserant.* Mox *desertosque adducta* (neglecta vocula *se*).

Cap. 36. *Geldubam.* Ed. Spir. *Gelduban*, uti et cap. praecedenti et infr.

concessit. Ed. Spir. *recessit.* — Eadem mox *haud procul a Novesio.* cf. not. ad c. 22. et 27. sub vv. *haud procul castris.*

capit Geldubam. mox haud procul Novesio equestri proelio prospere certavit. Sed miles secundis adversisque perinde in exitium ducum accendebatur. et adventu quintanorum quintadecumanorumque auctae legiones donativum exposcunt, comperto pecuniam a Vitellio missam. Nec diu cunctatus Hordeonius nomine Vespasiani dedit. idque praecipuum fuit seditionis alimentum. effusi in luxum et epulas et nocturnos coetus veterem in Hordeonium iram renovant. nec ullo legatorum tribunorumve obsistere auso (quippe omnem pudorem nox ademerat) protractum e cubili interficiunt. Eadem in Voculam parabantur nisi servili habitu per tenebras ignoratus evasisset. Ubi sedato impetu metus rediit, centuriones cum epistolis ad civitates Galliarum misere auxilia ac stipendia oraturos.

XXXVII. Ipsi, ut est vulgus sine rectore praeceps, pavidum, socors, adventante Civile raptis temere armis ac statim omissis in fugam vertuntur. Res adversae discordiam peperere, iis qui e superiore exercitu erant causam suam dissociantibus. Vitellii ta-

equestri proelio prospere certavit. Int. *Civilis*, non *Vocula*, ut videtur Strombeckio aliisque. Et Gutmannus quidem vult locum emendari ita: *Vocula equestri proelio* etc. Adfirmant contextum poscere, ut *certavit* de Vocula accipiatur, quod quomodo fieri possit secundum ea quae praecesserunt verba, prorsus non intelligo. Particula *sed* decepit interpretes. Verum *sed* hic ponitur ut. An. 3, 62. Vide ibi not.

adversisque perinde. Ed. Spir. *adversisque quae proinde.*

accendebatur. MS. Guelf. *accedebatur* (omissa lineola super secunda syllaba). MS. Agr. *accendebantur.*

effusi . . . renovant. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Rhenan. Ald. sqq. — *effusus . . . renovavit* MSS. Reg. Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — Post *coetus* ed. Spir. et secunda manus in cod. Agr. addunt *miles.*

e cubili. Ed. Beroald. vitiose *e cubiculi.*

in Voculam. Ed. Spir. *ī Vocula.* Eadem ante *stipendia* pro *ac* habet *et.*

Cap. 37. *pavidum.* Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium. — *pavidus* MS. Reg. edd. Spir. Lips. — Pichena, Gruterus sqq. restituerunt *pavidum.*

iis qui e superiore etc. MS. Guelf. negligit praepositionem *e.* — Ed. Spir.: *his qui ex superiore* etc.

men imagines in castris et per proximas Belgarum civitates repositae, cum iam Vitellius occidisset. Dein mutati in poenitentiam primani quartanique et duodevicesimani Voculam sequuntur: apud quem resumpto Vespasiani sacramento ad liberandum Magontiaci obsidium ducebantur. Discesserant obsessores, mixtus ex Cattis, Usipiis, Mattiacis exercitus, satietate praedae nec incruenti. in via dispersos et nescios miles noster invaserat. quin et loricam vallumque per fines suos Treveri struxere magnisque invicem cladibus cum Germanis certabant, donec egregia erga populum Romanum merita mox rebelles foedarent.

XXXVIII. Interea Vespasianus iterum ac Titus consulatum absentes inierunt, maesta et multiplici metu suspensa civitate, quae super instantia mala falsos pavores induerat: descivisse Africam res novas moliente L.

occidisset. Sic MSS. Flor. (teste Pichena) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Agr. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Micyll. et deinde Pich. Bernegg. sqq. — MS. Bud. *occurrisset*, unde Rhenanus fecit *corruisset*, quod duravit ad Pichenam.

primani quartanique. MS. Reg. et ed. Spir. *primum quartumque*.

et duodevicesimani. Sic MS. Guelf. edd. Puteol. Beroald. Alciat. Rhen. sqq. — *et duoetvicesimani* MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Bodl. ed. Broterii. — *et duoetvicesima manus* ed. Spir. — *et duovicesima manus* MS. Reg. cf. not. ad Hist. 1, 55.

ad liberandum. MS. Guelf. *ad deliberandum*.

mixtus ex Cattis. Sic edd. Rhenan. Ald. sqq. — *mixtus Cattis* edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *mixtus Cactis* MSS. Guelf. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. — *mixtus ex Caucis* MS. Agr. — *mixtus et Cautis* ed. Spir. — *mixtus et Caitis* MS. Bud. De confusione particularum *et* et *ex* vid. not. ad Hist. 1, 18. 14. 3, 26. — Mox MS. Guelf. *Usipis*, *Maciacis*. Ed. Spir. *usi pis maticis*.

satietate praedae. MSS. Reg. Agr. ed. Spir. *societate praedae*.

nec incruenti. in via etc. Ex emendatione Lipsii, quam in contextum receperunt Pich. Bernegg. sqq. quanquam Lipsius coniecerat *cruentati*. Gruterus edidit: *nec cruentati. Via* etc. Lipsii emendatio nititur vestigiis veterum librorum; nam MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) *nec incruentari via a dispersos*. MSS. Reg. Bud. ed. Spir. *nec incruentari via dispersos*. MS. Agr. *nec incruenti. Via dispersos*. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Pichenam: *nec incruentati. Ita dispersos*.

Treveri struxere. Ed. Spir. *et Treueri struxerunt*.

merita. Hoc in ed. Spir. non legitur. Mox ed. Beroald. *foedetant*, quod Victorius correxit *foedarent*.

Cap. 38. *Interea* etc. Ed. Spir. ab initio huius loci nugatur haec: *Interim accitus iterum consilium*

Pisone. Is praeerat provinciae, nequaquam turbidus ingenio, sed, quia naves saevitia hiemis prohibebantur, vulgus alimenta in dies mercari solitum, cui una ex re publica annonae cura, clausum litus, retineri commeatus, dum timet, credebat, augentibus famam Vitellianis, qui studium partium nondum posuerant, nec victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates externis quoque bellis inexplebiles nulla unquam civilis victoria satiavit.

XXXIX. Kal. Ianuariis in senatu, quem Iulius Frontinus praetor urbanus vocaverat, legatis exercitibusque ac regibus laudes gratesque decretae: et Tertio Iuliano praetura, tanquam transgredientem in partes Vespasiani legionem deseruisset, ablata, ut in Plotium Griphum transferretur. Hormo dignitas equestris data. et mox eiurante Frontino Caesar Domitianus praeturam cepit. eius nomen epistolis edictisque praeponebatur,

absentes inierunt moesta etc. Mox verbum *praeerat* in MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Bud. Reg. ed. Spir. non legitur. MS. Agr. habet: *Is provinciae praeerat.* Ceteri libri vulgatum tuentur. Iac. Gronovius coniecit olim scriptum fuisse: *proc.* vel *pro. provinciae* h. e. *proconsule provinciae*, idque compendium a voce *provinciae* absorptum. Quae res non ita videtur esse incredibilis, ut visa est Ernestio.

cui una. In MS. Bud. haec vocabula non reperiuntur.

ex re publica cura. Ed. Spir. *ex re pannone cura.*

nec victoribus quidem. Sic MSS. et vett. edd. Recentiores inde ab Iac. Gronovio tacite maluerunt *ne victoribus quidem.* Sed vid. not. ad An. 4, 35.

cupiditates. Edd. Put. Ven. et Beroald. *cipiditates.*

Cap. 39. *Ianuariis.* Sic ed. Spir. Alii libri per compendium *Ian.*; MS. Bodl. *Ianuarii.*

Tertio Iuliano. Sic MSS. Guelf. Ies. edd. Rhen. Ald. sqq. — *Tito Iuliano* (sive per compendium *T.*) MSS. Flor. (test. Ryck.) Agr. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Sed cf. infr. c. 40. et supra 2, 85. Pro copula *et* ante nomina posita ed. Spir. habet *ut.*

tanquam. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Reg. edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *quod* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Pichenam. — A MS. Bud. hoc vocabulum abest.

ablata. Ed. Spir. *oblata*, et mox *ut in planum grifum* etc. Edd. Put. M. et V. *Criphum.*

transferretur. MS. Guelf. *transferreretur.*

cepit. Sic edd. Alc. Rhen. sqq. — *coepit* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Victorii).

praeponebatur. Sic MSS. Guelf. Harl. Ies. Reg. Agr. Bodl. (in marg.) edd. Spir. Gronovv. (1672.) Ryck. sqq. — *proponebatur* MS. Bud. edd. Rhen. Ald. Lips. sqq. ad I. Fr. Gronovium. — *praeferebatur* MS. Bodl. (in contextu) edd. Put. M. et

vis penes Mucianum erat, nisi quod pleraque Domitianus instigantibus amicis aut propria libidine audebat. sed praecipuus Muciano metus e Primo Antonio Varoque Arrio: quos recentes clarosque rerum fama ac militum studiis etiam populus fovebat, quia in neminem ultra aciem saevierant. et ferebatur Antonius Scribonianum Crassum egregiis maioribus et fraterna imagine fulgentem ad capessendam rem publicam hortatus, haud defutura consciorum manu, ni Scribonianus abnuisset ne paratis quidem corrumpi facilis, adeo metuens incerta. Igitur Mucianus, quia propalam opprimi Antonius nequibat, multis in senatu laudibus cumulatum secretis promissis onerat, citeriorem Hispaniam ostentans discessu Cluvii Rufi vacuam, simul amicis eius tribunatus praefecturasque largitur. dein postquam inanem animum spe et cupidine impleverat, vires abolet, dimissa in hiberna legione septima, cuius flagrantissimus in Antonium amor. et tertia legio, familiaris Arrio Varo miles, in Syriam remissa. pars exercitus in Ger-

V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Micyll. cf. An. 6, 24. *epistolas servorum nomina praeferebant.*

vis penes Muc. Sic edd. Lips. (inde ab an. 1574.) et sqq. — *ius penes M.* MSS. et edd. vett. vulgari confusione. Vid. not. ad An. 1, 8. Oberlinus prodidit in cod. Bud. non posse discerni, utrum sit *ius* an *vis*. Hoc loco *vis* unice verum est. — Mox verbum *erat* ferunt MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Agr. edd. ante Rhenanum (cum silent. Vict.) et ed. Micylli. Rhenanus auctoritate cod. Bud. deleverat *erat*, restituerunt Pichena, Lipsius (1607.) Berneggerus sqq. — Pro *Mucianum* MS. Guelf. in contextu habet *Domitianum*. At in margine legitur: *vel Mucianum*.

Varoque Arrio. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. edd. Pich. Bernegg. sqq. cf. An. 13, 9. Hist. 3, 6. 16. 61. 4, 2. et alibi. — *Varroque Arrio* ed. Spir. — *Varoque Ario* edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Pichenam. cf. infr. not.

etiam populus. MS. Agr. ed. Spir. *et populus.* Nimirum facile permutantur *et* et *et.* Mox MS. Guelf. *sequierant*, uti solet.

fraterna imagine. L. Pisonis, quem Galba adoptaverat.

ad capessendam. MS. Guelf. edd. Spir. Ald. *ad capescendam.*

ne paratis quidem. MSS. Guelf. et Bud. *ne patratis quidem.* Mox ed. Spir. *quia palam opprimere Antonium nequibat.*

in senatu. MS. Guelf. *in senatû.* Idem liber *honerat* pro *onerat*, et *citerioriorem* pro *citeriorem.* Mox *nauem* pro *inanem.*

cupidine. MS. les. *cupiditate.*

abolet. Ed. Spir. *adolet.* MS. Agr. *adimit*, et mox *eius* pro *cuius.* Mox ed. Spir. *legio* pro *legione*, dein *in Antonio* pro *in Antonium.*

Arrio Varo. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Pich. Bernegg.

manias ducebatur. sic egesto, quidquid turbidum, redit urbi sua forma legesque et munia magistratuum.

XL. Quo die senatum ingressus est Domitianus, de absentia patris fratrisque ac iuventa sua pauca et modica disseruit decorus habitu, et ignotis adhuc moribus crebra oris confusio pro modestia accipiebatur. Referente Caesare de restituendis Galbae honoribus censuit Curtius Montanus, ut Pisonis quoque memoria celebraretur. patres utrumque iussere: de Pisone inritum fuit. Tum sorte ducti, per quos redderentur bello rapta quique aera legum vetustate delapsa noscerent figerentque et fastos adulatione temporum foedatos exonerarent

sqq. — *Arrio Varro* ed. Spir. — *Ario Varo* edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Micyll. Lips. Grut. Vid. supra not. Ed. Spir. male coniungit: *miles in Syriam: remissa parte exercitus.*

turbidum. Ed. Spir *turbidi.*

redit urbi sua forma etc. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. (cum silentio Victorii). At ed. Spir. *redditur sua forma legibus et muniis magistruum.* Eadem insunt codici Reg., omisso verbo *redditur.*

Cap. 40. *Quo die.* Sic MSS. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. Beroald. (cum silent. Vict.) Rhen. Ald. sqq. — *qua die* edd. Put. V. Alc.

de absentia. MS. Guelf. omittit praep. *de.* MS. Bud. *de essentia.*

ignotis. MSS. Guelf. Ies. *ignotus.*

inritum. Sic MS. Flor. teste Victorio. *irritum* MS. Guelf. edd. veteres.

tum sorte ducti etc. MS. Bud. *tum rapta*, mediis omissis.

quique aera. Ed. Spir. pro *aera* fert *era*, unde videtur exortum esse vitium codd. Guelf., qui habet *erant*, Bud., in quo *erat* legitur.

delapsa. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. ad Ernestium, qui cum Broterio e MS. Reg. et ed. Spir. maluit *dilapsa.* Illud Bip. Oberl. sqq. bene restituerunt. cf. not. ad An. 4, 43.

et fastos. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Bud. edd. Pich. Lips. (1607) Bernegg. — *et qui fastos* edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Pichenam. — *et falsos* MS. Guelf. Ceterum *fastos adulatione foedatos* Ernestius explicat: „adscriptis honoribus per adulationem, qui non contingerent hominibus: de quo et apud Ciceronem Liviumque reperiuntur querelae." Ricklefsius intelligit fastos consulares et triumphales (Liv. 9, 18. Cic. Phil. 2, 34.) censetque adulatione temporum multa inlata fuisse hisce fastis, quae memoratu non satis digna nec laeta in rem publicam fuerint. Fallitur uterque. Cogita potius de ludis sacrisque per adulationem temporum decretis constitutisque in honorem pessimorum quoque e familia Caesarea hominum, perque annos celebrandis et ideo in fastos relatis (cf. An. 1, 15.), nec non de aliis varii generis mutationibus, quas servitium fastis pepererat (cf. An. 16, 12. et alibi). Quibus oneribus maculisque iam fasti erant liberandi. Aptissime igitur haec cohaerent cum iis quae sequuntur: *modumque publicis impensis facerent.*

exonerarent. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. *exhonerarent.*

modumque publicis impensis facerent. Redditur Tertio Iuliano praetura, postquam cognitus est ad Vespasianum confugisse: Gripho honor mansit. Repeti inde cognitionem inter Musonium Rufum et P. Celerem placuit, damnatusque Publius et Sorani manibus satisfactum. Insignis publica severitate dies ne privatim quidem laude caruit. Iustum iudicium explesse Musonius videbatur, diversa fama Demetrio Cynicam sectam professo, quod manifestum reum ambitiosius quam honestius defendisset. ipsi Publio neque animus in periculis neque oratio suppeditavit. Signo ultionis in accusatores dato petit a Caesare Iunius Mauricus, ut commentariorum principalium potestatem senatui faceret, per quos nosceret, quem quisque accusandum poposcisset. Consulendum tali super re principem respondit.

modumque. Ed. Spir. *modisque.*

honor mansit. Int. sine officio, ut ornamenta tantum praetoria retineret et praetor extra ordinem videretur.

damnatusque Publius etc. Ed. Spir. *damnatusque est Publius et Sorianus manibus satis factum.*

iustum iudicium. Sic MSS. et edd. ante Ernestium omnes, qui *iudicium* mutavit in *indicium*, illud accusatori non convenire ratus. Ernestium secuti sunt Bip. Oberl. sqq. etiam Bekkerus. At egregie hanc coniecturam impugnavit Strombeckius docendo *iudicium* esse quamcunque disceptationem forensem ipsamque actionem, quae in iudicium deducatur; hinc *iudicium explere* esse actionem peragere, male autem dici *explere indicium.* Consentit Gutmannus adfertque exemplum e Cic. ep. ad divers. 9, 25. *Noli pati litigare fratres et iudiciis turpibus conflictari.*

diversa fama. Haec verba in ed. Spir. non leguntur.

ipsi Publio. Haec absunt a cod. Budensi.

neque animus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Vatic. (test. Lips.) Reg. (Guelf. Harl. in margine) edd. Spir. Lips. (1574.) sqq. — MSS. Bodl. Ies. (Guelf. Harl. in contextu) edd. Put. sqq. ad Lips. omittunt *neque*, quod addendum esse iam Rhenanus divinaverat. Mox MS. Guelf. *impericulis*, *nec oratio.* MS. Flor. (test. Vict.) *subpeditavit.*

dato. Hoc in cod. Bud. non apparet.

Iunius Mauricus. MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gron.) Guelf. Harl. Bodl. Bud. edd. Put. M. et V. *Maricus.* MS. Agr. ed. Spir. *Martius.* Vulgata scriptura exstat in edd. Beroald. Alc. sqq. nititurque loco Plin. epp. 4, 22. Alibi ut Plin. epp. 1, 5. 3, 11. codd. fluctuant inter *Mauricus* et *Maricus.* cf. Tacit. Agr. c. 45.

commentariorum. MS. Guelf. *commentarioriorum.*

potestatem. Ed. Spir. *partem.*

principem. Sic MSS. Guelf. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *princeps* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc.

XLI. Senatus inchoantibus primoribus iusiurandum concepit, quo certatim omnes magistratus, ceteri, ut sententiam rogabantur, deos testes advocabant nihil ope sua factum, quo cuiusquam salus laederetur, neque se praemium aut honorem ex calamitate civium cepisse, trepidis et verba iurisiurandi per varias artes mutantibus, quis flagitii conscientia inerat. Probabant religionem patres, periurium arguebant. eaque velut censura in Sariolenum Voculam et Nonium Actianum et Cestium Severum acerrime incubuit crebris apud Neronem dela-

Cap. 41. *inchoantibus,* MS. Guelf. ed. Spir. *incohantibus.* cf. Dronke ad dial. de Orat. p. 205. Osann ad Apul. fragm. p. 112. Bothe ad Horat. Carm. T. I. p. 29. Schneider Gram. T. I. P. I. p. 205. Forcellin. sub v.

omnes magistratus. MS. Bud. *omnis inens* (vel *mens*) *magistratus*, et mox deest *ut*: unde Rhenanus coniiciebat legendum: *omnis iniens magistratus* (*ceteri sententiam rogabantur*) *deos testes advocabat. Nihil ope* etc. Ernestius malebat: *omnes deinceps magistratus* etc. Sed nihil innotuit de aliquo suffragio, quod codici Bud. dent alii libri.

cuiusquam. Ed. Spir. *cuiusq̃* h. e. *cuiusque.* Mox eadem *iusiurandi* pro *iurisiurandi.*

probabant religionem patres, periurium arguebant. Locus varia virorum doctorum interpretatione vexatus. Pichena haec refert ad eos tantum, qui verba iurisiurandi detorquebant, censetque ironice patres laudasse quidem talium virorum religionem, quod trepidanter et ambigue iurassent ne periurium admitterent, sed tamen ex illa trepidatione et periurii et noxiae conscientiae argumentum eliciuisse. Probant eam explicationem Ernest. Oberl. aliique. Contra Bip. Strombeck. et alii *religionem* accipiunt de verum iurantibus hac sententia: *Die Väter riefen Beifall den Wahres schwörenden, tadelten die Meineidigen.* Quae tamen Gutmanno videntur inania esse. Is verba intelligit ita: *Die Väter wußten wohl, daß hier Meineide gethan wurden und rügten es auch, äußerten aber dabei, die Bedenklichkeit der Herren sei doch noch ein schöner Beweis von Gewissenhaftigkeit.* Consentit Ricklefsius. Vereor, ne illi verbis nimia inferant. Nam Tacitus simpliciter narrat, quod in actis senatus reppererat, nimirum patribus probatam religionem h. e. patribus in universum laudatam esse illam caerimoniam iurisiurandi, improbatum vero periurium nonnullorum. Ed. Spir. totum locum exhibet sic: *qui flagicii consciũ inerant: probant religionem patres per Iunium arguebant.*

in Sariolenum. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. les. Bud. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. — *in sanolen̄* ed. Spir. — *Sannolenum* MS. Agr. hic et paulo post, ubi in ed. Spir. exstat *Sariolenum.* — MS. Reg. hic *Sanoleium*, deinde *Sariolenum.*

Nonium. Sic MSS. Reg. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. sqq. — *Novium* MSS. Guelf. Harl. ed. Spir. — *Nomium* edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) Alc. — Ceterum in MS. Guelf. haec leguntur: *et Novium Actianus, et Cestius severum acerrime incubuit.*

tionibus famosos. Sariolenum et recens crimen urgebat, quod apud Vitellium molitus eadem foret. nec destitit senatus manus intentare Voculae, donec curia excederet. Ad Pactium Africanum transgressi eum quoque proturbant, tanquam Neroni Scribonios fratres concordia opibusque insignes ad exitium monstravisset. Africanus neque fateri audebat neque abnuere poterat: in Vibium Crispum, cuius fatigabatur interrogationibus, ultro conversus miscendo quae defendere nequibat societate culpae invidiam declinavit.

XLII. Magnam eo die pietatis eloquentiaeque famam Vipstanus Messalla adeptus est, nondum senatoria aetate ausus pro fratre Aquilio Regulo deprecari. Re-

et recens. Ed. Spir. negligit copulam *et*.

urgebat. MS. Flor. (test. Vict.) *urguebat*, uti solet. Mox ed. Spir. *quod Vitellium eadem molitus foret* (omissa praepositione *apud*).

destitit. Ed. Spir. *desistit*, et mox *curie* pro *curia*.

proturbant. MSS. Bud. et Guelf. *perturbant*. Nimirum compendia *pturbant* (h. e. *pert.*) et *pturbant* (h. e. *prot.*) facile permutantur. cf. not. ad An. 11, 8.

Scribonios fratres. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Reg. Bud. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *Scribonianos* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Ryckium. cf An. 13, 48. Xiphil. 63, 17.

neque abnuere poterat. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Vatic. (test. Lips.) Guelf. edd. Spir. Put. M. Lips. (inde ab anno 1574.) Pich. Grut. sqq. — Edd. Put. V. Beroald. Alc. Rhen. Ald. Micyll. omittunt *poterat*, nisi fallor, lapsu operarum Venetarum.

Vibium Crispum. MS. Bud. *Urbium scripsum*. Ed. Spir. *Iubium Crispum*. Ed. Alc. *Vibium Crispium*. Vulgatum tuentur MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Rhen. sqq.

cuius fatigabatur interrogationibus. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. (ibi est *fatigatur*) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — *cuius interrogationibus fatigabatur* edd. Rhenan. Ald. sqq. Sed non video, cur displiceat vetus verborum ordo: quare eum restitui. Ed. Spir. *cuius interrogationibus fatigaretur*. At nullus hic locus optativo: nam exprimitur membrum per se constans, neque in eo est scriptor, ut accuratius significet illum Vibium Crispum, in quem Africanus conversus est, quasi hic Vibius Crispus sit discernendus ab aliis Vibiis Crispis.

Cap. 42. *Vipstanus*. Sic edd. Ryck. Ernest. sqq. — *Vipsanus* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Ber. (cum silent. Vict.) sqq. ad Lipsium et postea Iac. Gronovius. — *Vipsanius* edd. Lips. sqq. ad Ryckium. — *Viptanus* MS. Bud. ed. Spir. — *Vipstanius* ed. Broterii. cf. not. ad Hist. 3, 9. et An. 14, 1.

Messalla. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Lips. sqq. — *Messala* edd. Spir. Alc. Rhen. Ald., de qua varietate in superioribus libris, ut ad An. 1, 8. 3, 68., saepius dictum est.

adeptus est, nondum senatoria aetate. Ed. Spir. *adeptus nondum senatoriam aetatem*.

Aquilio Regulo. cf. Plin. epp. 1, 5. 2, 20. 4, 2. 6, 2.

gulum subversa Crassorum et Orphiti domus in summum odium extulerat. sponte ex S. C. accusationem subisse iuvenis admodum nec depellendi periculi sed in spem potentiae videbatur. et Sulpicia Praetextata Crassi uxor quattuorque liberi, si cognosceret senatus, ultores aderant. igitur Messalla non causam neque reum tueri, sed periculis fratris semet opponens flexerat quosdam. Occurrit truci oratione Curtius Montanus eo usque progressus, ut post caedem Galbae datam interfectori Pisonis pecuniam a Regulo adpetitumque morsu Pisonis caput obiectaret. „Hoc certe", inquit, „Nero non coegit,

Orphiti. Nomen satis cognitum ex An. 12, 41. 16, 12. Hic veteres libri variant. Vulgatum tenent edd. Puteol. sqq. — *Orfiti* MS. Flor. teste Victorio. — *Orphitii* vel *Orphicii* MSS. Guelf. Bodl. Ies. — *Orfita domus* MSS. Reg. Agr. Harl. (a secunda manu) Vatic. 1958. (a secunda manu) ed. Spir.

extulerat. Ed. Spir. *extulerant.*

sponte ex S. C. Sic MSS. et vett. edd. At quaerit Lipsius: „Si ex S. C. subiit, quomodo sponte?" Suspicatur legendum esse: *sponte nec S. C.* Probant Pichena et Strombeckius. Priore tempore Lipsius voluerat: *sponte et inconsulto.* Maluerim: *sponte et consulto.* cf. Sueton. Oct. c. 15. Acidalius vult: *non ex S. C. sed sponte,* transponitque haec verba post *admodum.* Rhenanus coniectavit *ex se*, quod exstat in MS. Agr. Gruterus etiam *ex S. C.* credebat ortum e vocibus *ex se*, quas librarius pro interpretatione adposuerit vocabulo *sponte.* Eunt in eandem sententiam Dureau de Lamalle et Gutmannus eiiciuntque vocem dubiam. Bipontini legunt: *sponte ante quam ex S. C.* Broterius cum Huëtio censet accusationem decrevisse senatum: ad eam se sponte obtulisse Vipstanum Messallam. Breviter ergo, sed accurate Tacitum scripsisse: *sponte ex senatus consulto.* Exemplum accusationis a senatu decretae adferunt e Plin. epp. 2, 11. Eodem modo pridem Rhenanus vulgatam scripturam explicuerat. Persuasit Broterius Oberlino, ut verba *ex S. C.* cancellis, quibus Ernestius incluserat, liberaret et sanum esse locum pronuntiaret. Bekkerus tamen cancellos reduxit, et satis verisimile est vitium aliquod latere.

subisse. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Ernest. Brot. sqq. — *subiisse* edd. Spir. Rhen. sqq. ad Ernestium. cf. An. 11, 27.

in spem. MS. Guelf. *in specie,* vulgari vitio.

Sulpicia. Sic edd. Lips. sqq. — *Sulpitia* edd. Puteol. sqq. ad Lipsium. — *supplicia* MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. cum ed. Spirensi.

Crassi uxor. In MSS. Reg. Agr. ed. Spir. vocabulum *uxor* non legitur, idque abesse posse censet Lipsius docentque exempla. cf. An. 4, 11. *per Apicatam Seiani*, et not. ad An. 12, 1. sub v. *Lolliam.*

igitur Messalla. MS. Guelf. *igitur Messallam.* Idem mox *orationes* pro *oratione.*

adpetitumque. Copulam *que* Pichena addidit e MS. Flor., quam ibi adesse testatur etiam Victorius. Exstat eadem in MS. Reg. et ed. Spirensi. Omittitur vero in MSS. Guelf. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. ad Pichenam.

hoc certe. Sic MSS. Flor. (test. Ryckio) Agr. edd. Spir. Beroald.

„nec dignitatem aut salutem illa saevitia redemisti. sane „toleremus istorum defensiones, qui perdere alios quam „periclitari ipsi maluerunt. te securum reliquerat exsul „pater et divisa inter creditores bona, nondum hono„rum capax aetas: nihil quod ex te concupisceret Nero, „nihil quod timeret. libidine sanguinis et hiatu prae„miorum ignotum adhuc ingenium et nullis defensioni„bus expertum caede nobili imbuisti, cum ex funere rei „publicae raptis consularibus spoliis, septuagies sestertio „saginatus et sacerdotio fulgens innoxios pueros, inlu„stres senes, conspicuas feminas eadem ruina prosterne„res: cum segnitiam Neronis incusares, quod per sin-

(cum silent. Vict.) Ryck. Ernest. Brot. sqq. — *haec certe* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. ad Ryck. et postea ed. Iac. Gronov. — MS. Reg. pro *certe* fert *certo*.

dignitatem aut salutem illa saevitia. Ex emendatione Lipsii, quam pridem Victorius in exemplari suo Beroaldino adnotaverat. Praeivit eam MS. Flor., in quo (test. Vict.) leguntur haec: *dignitatem austa latem illā saevitia*. Similia sunt in cod. Vatic., ubi testis Lipsius invenit: *dignitatem hausta litem illam saevitia*. MSS. Reg. Harl. Guelf. (a secunda manu) ed. Spir. *dignitate hausta litem illam saevitia*. MSS. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. *dignitatem aut ista lucem saevitia*. In MS. Bud. prius videtur fuisse *hausta*, quod mutaverunt in *aut ista*. Quis non videt monstra haec scripturae nata e corruptione codicis Florentini?

defensiones. Ed. Spir. *defensionem*. Eadem mox *secuturum* pro *securum*, et deinde *defensoribus* pro *defensionibus*.

ex funere rei publicae. Interpretantur: *vom Leichenbegängniſs des Staats* (Stromb.); *nach dem Leichenbegängniſs des Staats* (Rickl.); *am Grabe des Staats* (Gutm.). At *funus* hic dicitur de corpore mortuo, ut saepe. Verbum *raptis* coniunge cum praepositione *ex*. Scriptor enim rem publicam adsimilat homini, qui cecidit in bello et ex quo, dum iacet, spolia rapiuntur.

consularibus spoliis. Lipsius eo dictum putat, quia consulatum acceperit praemium accusationis. Lipsium errare Gruterus vidit, atque Ernestius *spolia consularia* recte interpretatur praemia, quae everso per accusationem consulari acceperit.

septuagies. MS. Guelf. *septuagesies*.

sestertio. Sic edd. Put. Venet. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. sqq. — *sextercio* MS. Guelf. — *sextertio* edd. Spir. Put. M.

saginatus. E coniectura Faërni, cui adplaudebant I. Scaliger, Ursinus, Pichena aliique. In contextum recepit Berneggerus. MSS. et vett. edd. *signatus*, quod nescio an possit accipi de consignatione praemiorum, quae accusatoribus destinabantur, ut septuagies sestertio signatus sit is, ad cuius nomen in indice accusatorum signata esset illa pecuniae summa. Lipsius coniiciebat *dignatus*, quod ediderunt Lipsius, Pichena et Gruterus. Anno 1607. Lipsius reduxit *signatus*.

segnitiam. MSS. Corb. Agr. ed. Spir. *segnitiem* vel *segniciem*. Edd. Put. M. et V. *segniciam*. Val-

„gulas domos seque et delatores fatigaret: posse universum senatum una voce subverti. Retinete, patres conscripti, et reservate hominem tam expediti consilii, ut omnis aetas instructa sit, et quomodo senes nostri Marcellum, Crispum, iuvenes Regulum imitentur. invenit etiam aemulos infelix nequitia: quid si floreat vigeatque? et quem adhuc quaestorium offendere non audemus, praetorium et consularem visuri sumus? an Neronem extremum dominorum putatis? idem crediderant, qui Tiberio, qui Caio superstites fuerunt, cum interim intestabilior et saevior exortus est. non timemus Vespasianum: ea principis aetas, ea moderatio. sed diutius durant exempla quam mores. Elanguimus, patres conscripti, nec iam ille senatus sumus, qui occiso Nerone delatores et ministros more maiorum puniendos flagitabat. optimus est post malum principem dies primus."

gatum est in MS. Guelf. edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. sqq.

seque et delatores. Ed. Spir. *sequens delatores*. Mox eadem *mutentur* pro *imitentur*.

visuri sumus. cf. not. ad An. 12, 2. Ricklefsius frustra coniecit substituendum esse *laesuri sumus*.

exortus est. Ed. Spir. *exceptus est*.

sed diutius durant exempla quam mores. Inepta aut nihili haec sententia Lipsio videbatur. Quare legebat *amores* pro *mores*, tum altera littera divisa *autores*. Ryckius vulgatam scripturam iudicavit sanam; explicat vero: „sed poenae malorum diutius deterrent ab illorum imitatione homines quam principis boni atque a malitia eosdem deterrentis vita durat." Ernestius: „Malorum exemplorum vis longius durat quam virtus bonorum principum." Gutmannus: „Vespasianus non est timendus nobis: at moribus eius non tuti sumus a vi malorum exemplorum, ni puniantur accusatores." Ricklefsius putat inesse suspicionem, tanquam et Vespasianus malis exemplis in peius mutari possit. Sed a vero plus minusve absunt. Est sententia in universum dicta. Exempla sunt aut bona aut mala: mores aut boni aut mali (*Tugend oder Laster*). Hic sermo est de malis exemplis et moribus. Iam *mores* non durant ultra hominis vitam, desinunt facinore in calce vitae: exempla diutius durant, nam timendum est ne quis deinde imitetur. Igitur quanquam malorum principum mores, ait, iam aboliti sunt probo principe successore, vis exemplorum illorum timenda est, ne in posterum valeat adliciatque alios ad imitationem priorum. Quare metus adiiciendus est. Haec est sententia Montani. Ceterum MS. Agr. pro *quam mores* a secunda manu habet *quam hoies* h. e. *quam homines*. A prima manu ibi videtur fuisse *mores*.

elanguimus. MS. Agr. et ed. Spir. *elanguemus*.

XLIII. Tanto cum adsensu senatus auditus est Montanus, ut spem caperet Helvidius posse etiam Marcellum prosterni. igitur a laude Cluvii Rufi orsus, qui perinde dives et eloquentia clarus nulli unquam sub Nerone periculum facessisset, crimine simul exemploque Eprium urgebat, ardentibus patrum animis. quod ubi sensit Marcellus, velut excedens curia: „Imus", inquit, „Prisce, et relinquimus tibi senatum tuum: regna praesente Caesare." sequebatur Vibius Crispus: ambo infensi, vultu diverso, Marcellus minacibus oculis, Crispus renidens: donec adcursu amicorum retraherentur. Cum glisceret certamen, hinc multi bonique, inde pauci et validi pertinacibus odiis tenderent, consumptus per discordiam dies.

XLIV. Proximo senatu inchoante Caesare de abolendo dolore iraque et priorum temporum necessitatibus censuit Mucianus prolixe pro accusatoribus: simul eos, qui coeptam, deinde omissam actionem repeterent, monuit sermone molli et tanquam rogaret. Patres coeptatam libertatem, postquam obviam itum, omisere. Mu-

Cap. 43. *auditus est*. Ed. Spir. negligit verbum *est*. Eadem *puide* pro *perinde*, ut supra aliquoties. Voluit dare *proinde*. Ceterum intellige: *perinde dives et eloquentia clarus ac Marcellus*. Bene sic Gutmannus et Ricklefsius. Priores particulam *et* interpretabantur *als*.

Cluvii Rufi. Comes ille Neronis in peregrinatione histrionali. cf. Xiphil. 63, 14. Sueton. Ner. c. 21.

sub Nerone periculum. Ed. Spir. *periculum sub Nerone*.

facessisset. Sic MSS. Reg. Bud. edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *facessissent* MS. Guelf. — *fecisset* MSS. Harl. Agr. ed. Spir. cf. An. 1, 74. *periculum facessit*; 13, 33. *periculum fecissent*.

animis. Ed. Spir. *animus*.

Vibius Crispus. cf. c. 41. extr. Pro *Vibius* ed. Spir. hic exhibet *Iulius*. Eadem mox *reuidens* pro *renidens*.

adcursu. Ed. Spir. *ad cursū*. Eadem omittit voc. *amicorum*.

cum glisceret. Cod. Guelf. *quin glisceret*. Voluit dare *quum*: nam ita ille particulam eam constanter scribit. Post *dies* ed. Spir. addit *est*.

Cap. 44. *Proximo senatu*. Puteolanus et cod. Guelf. haec coniungunt cum prioribus verbis. Edd. Spir. Rhen. sqq. punctum habent ante *proximo*.

inchoante. Sic edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *incohante* ed. Spir. — *incoante* MS. Guelf. cf. supra ad cap. 41.

deinde. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir. — *dein* edd. Put. sqq. Multiplex illa utriusque formae permutatio in vett. libris exorta est e compendio *deī* (h. e. *deinde*), unde omissa lineola fit *dein*.

coeptatam libertatem. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. (ibi est

cianus, ne sperni senatus iudicium et cunctis sub Nerone admissis data impunitas videretur, Octavium Sagittam et Antistium Sosianum, senatorii ordinis, egressos exsilium in easdem insulas redegit. Octavius Pontiam Postumiam stupro cognitam et nuptias suas abnuentem impotens amoris interfecerat: Sosianus pravitate morum multis exitiosus. ambo gravi senatus consulto damnati pulsique quamvis concesso aliis reditu in eadem poena retenti sunt. Nec ideo lenita erga Mucianum invidia. quippe Sosianus ac Sagitta viles, etiam si reverterentur: accusatorum ingenia et opes et exercita malis artibus potentia timebantur.

XLV. Reconciliavit paulisper studia patrum habita in senatu cognitio secundum veterem morem. Manlius

ceptatum, ut in nonnullis edd.) Bud. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. (1533.) Ald. Micyll. et deinde Pich. Bernegg. sqq. Eandem scripturam Lipsius in priscis libris (Vaticc.) vidit. — *coeptam libertatem* (vel *ceptam*) MS. Ies. edd. Rhenani altera, Lipsii, Gruteri. — *coeptam voluntatem* MS. Reg. ed. Spirensis.

Octavium Sagittam. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. cf. An. 13, 44. — *Octavium Sabinum Sagittam* MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. Agr. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et Broter. — *Octauum sabinum sagitam* ed. Spir. In MS. Reg. *Sagittam* non legitur. Satis verisimile est olim huc inrepsisse *Sabinum* pro *Sagittam*: dein emendatoris manum ex An. 13, 44. addidisse *Sagittam* eamque correctionem cum contextu coaluisse.

senatorii ordinis, egressos. MS. Agr. ed. Spir. *senatorio ordine egressos.* MS. Agr. ante *exsilium* addit *in.*

Pontiam Postumiam stupro cognitam. Ed. Spir. *Ponciam possitam astu praecognitam.* MS. Agr. *Pontiam positam in a stupro cognitam.* Manus secunda delevit *in* emendavitque *ac stupro.* Pro *Postumiam* MS. Guelf. (a secunda manu) edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Micyll. exhibent *Posthumiam.* cf. not. ad An. 1, 3. De re cf. An. 13, 44. De Sosiano vid. An. 16, 14.

multis exitiosus. Ed. Spir. *militis* pro *multis*, vulgari confusione. cf. not. ad An. 15, 29. 51. et alibi. Eadem ed. Spir. *apud Mutianum* pro *erga Mucianum.* Scripturam *Mucianus* pro *Mutianus* et hic loci Victorius codici Florentino ubique vindicat.

CAP. 45. *cognitio.* MS. Guelf. *cognito.*

Manlius. Sic MSS. Flor. (test. Ryck.) Guelf. Bud. edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *Malius* ed. Spir. — *Mallius* MS. Agr. Quae scripturae varietas orta est e compendio *Mālius*, omissa lineola.

XLIII. Tanto cum adsensu senatus auditus est Montanus, ut spem caperet Helvidius posse etiam Marcellum prosterni. igitur a laude Cluvii Rufi orsus, qui perinde dives et eloquentia clarus nulli unquam sub Nerone periculum facessisset, crimine simul exemploque Eprium urgebat, ardentibus patrum animis. quod ubi sensit Marcellus, velut excedens curia: „Imus", inquit, „Prisce, et relinquimus tibi senatum tuum: regna praesente Caesare." sequebatur Vibius Crispus: ambo infensi, vultu diverso, Marcellus minacibus oculis, Crispus renidens: donec adcursu amicorum retraherentur. Cum glisceret certamen, hinc multi bonique, inde pauci et validi pertinacibus odiis tenderent, consumptus per discordiam dies.

XLIV. Proximo senatu inchoante Caesare de abolendo dolore iraque et priorum temporum necessitatibus censuit Mucianus prolixe pro accusatoribus: simul eos, qui coeptam, deinde omissam actionem repeterent, monuit sermone molli et tanquam rogaret. Patres coeptatam libertatem, postquam obviam itum, omisere. Mu-

Cap. 43. *auditus est.* Ed. Spir. negligit verbum *est.* Eadem *puide* pro *perinde*, ut supra aliquoties. Voluit dare *proinde*. Ceterum intellige: *perinde dives et eloquentia clarus ac Marcellus.* Bene sic Gutmannus et Ricklefsius. Priores particulam *et* interpretabantur *als*.

Cluvii Rufi. Comes ille Neronis in peregrinatione histrionali. cf. Xiphil. 63, 14. Sueton. Ner. c. 21.

sub Nerone periculum. Ed. Spir. *periculum sub Nerone.*

facessisset. Sic MSS. Reg. Bud. edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *facessissent* MS. Guelf. — *fecisset* MSS. Harl. Agr. ed. Spir. cf. An. 1, 74. *periculum facessit*; 13, 33. *periculum fecissent.*

animis. Ed. Spir. *animus.*

Vibius Crispus. cf. c. 41. extr. Pro *Vibius* ed. Spir. hic exhibet *Iulius.* Eadem mox *reuidens* pro *renidens*.

adcursu. Ed. Spir. *ad cursū.* Eadem omittit voc. *amicorum.*

cum glisceret. Cod. Guelf. *quin glisceret.* Voluit dare *quum*: nam ita ille particulam eam constanter scribit. Post *dies* ed. Spir. addit *est.*

Cap. 44. *Proximo senatu.* Puteolanus et cod. Guelf. haec coniungunt cum prioribus verbis. Edd. Spir. Rhen. sqq. punctum habent ante *proximo.*

inchoante. Sic edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *incohante* ed. Spir. — *incoante* MS. Guelf. cf. supra ad cap. 41.

deinde. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. ed. Spir. — *dein* edd. Put. sqq. Multiplex illa utriusque formae permutatio in vett. libris exorta est e compendio *deiñ* (h. e. *deinde*), unde omissa lineola fit *dein.*

coeptatam libertatem. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. (ibi est

cianus, ne sperni senatus iudicium et cunctis sub Nerone admissis data impunitas videretur, Octavium Sagittam et Antistium Sosianum, senatorii ordinis, egressos exsilium in easdem insulas redegit. Octavius Pontiam Postumiam stupro cognitam et nuptias suas abnuentem impotens amoris interfecerat: Sosianus pravitate morum multis exitiosus. ambo gravi senatus consulto damnati pulsique quamvis concesso aliis reditu in eadem poena retenti sunt. Nec ideo lenita erga Mucianum invidia. quippe Sosianus ac Sagitta viles, etiam si reverterentur: accusatorum ingenia et opes et exercita malis artibus potentia timebantur.

XLV. Reconciliavit paulisper studia patrum habita in senatu cognitio secundum veterem morem. Manlius

ceptatum, ut in nonnullis edd.) Bud. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. (1533.) Ald. Micyll. et deinde Pich. Bernegg. sqq. Eandem scripturam Lipsius in priscis libris (Vaticc.) vidit. — *coeptam libertatem* (vel *ceptam*) MS. Ies. edd. Rhenani altera, Lipsii, Gruteri. — *coeptam voluntatem* MS. Reg. ed. Spirensis.

Octavium Sagittam. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. cf. An. 13, 44. — *Octavium Sabinum Sagittam* MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. Agr. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et Broter. — *Octauum sabinum sagitum* ed. Spir. In MS. Reg. *Sagittam* non legitur. Satis verisimile est olim huc inrepsisse *Sabinum* pro *Sagittam*: dein emendatoris manum ex An. 13, 44. addidisse *Sagittam* eamque correctionem cum contextu coaluisse.

senatorii ordinis, egressos. MS. Agr. ed. Spir. *senatorio ordine egressos.* MS. Agr. ante *exsilium* addit *in.*

Pontiam Postumiam stupro cognitam. Ed. Spir. *Ponciam possitam astu praecognitam.* MS. Agr. *Pontiam positam in a stupro cognitam.* Manus secunda delevit *in* emendavitque *ac stupro.* Pro *Postumiam* MS. Guelf. (a secunda manu) edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Micyll. exhibent *Posthumiam.* cf. not. ad An. 1, 3. De re cf. An. 13, 44. De Sosiano vid. An. 16, 14.

multis exitiosus. Ed. Spir. *militis* pro *multis*, vulgari confusione. cf. not. ad An. 15, 29. 51. et alibi. Eadem ed. Spir. *apud Mutianum* pro *erga Mucianum.* Scripturam *Mucianus* pro *Mutianus* et hic loci Victorius codici Florentino ubique vindicat.

CAP. 45. *cognitio.* MS. Guelf. *cognito.*

Manlius. Sic MSS. Flor. (test. Ryck.) Guelf. Bud. edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *Malius* ed. Spir. — *Mallius* MS. Agr. Quae scripturae varietas orta est e compendio *Mālius*, omissa lineola.

Patruitus senator pulsatum se in colonia Senensi coetu multitudinis et iussu magistratuum querebatur. nec finem iniuriae hic stetisse: planctum et lamenta et supremorum imaginem praesenti sibi circumdata cum contumeliis et probris, quae in senatum universum iacerentur. Vocati, qui arguebantur. et cognita causa in convictos vindicatum. additumque S. C. quo Senensium plebes modestiae admoneretur. Iisdem diebus Antonius Flamma Cyrenensibus damnatur lege repetundarum et exsilio ob saevitiam.

XLVI. Inter quae militaris seditio prope exarsit. Praetorianam militiam repetebant a Vitellio dimissi, pro Vespasiano congregati: et lectus in eandem spem e le-

Patruitus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Vatic. 1863. Reg. Bud. Agr. edd. Spir. Pich. Grut. sqq. — *Patricius* MSS. Guelf. Vatic. 1958. Ies. edd. Put. M. et V. Rhen. Ald. Lips. — *Patritius* MSS. Harl. Bodl. edd. Beroald. Alc.

senator. Hoc abest a MSS. Bud. Vat. 1958. Ies. Eius loco in MSS. Harl. Bodl. Guelf. legitur *ordinis senatorum*; in edd. Put. sqq. ad Iac. Gronovium *ordinis senatorii*. Receptam a Iac. Gronovio scripturam tuentur MSS. Flor. (test. Vict. cum al.) Vat. 1863. Reg. Agr. ed. Spir.

colonia Senensi. *Seniensi* MSS. Flor. (test. Vict. cum al.) Vatic. 1863. Corb. Agr. et edd. Lipsii priores, Grut. Pich. Bernegg. sqq. ad Brot. et Ernest. iidemque libri mox *Seniensium*. MS. Reg. et ed. Spir. *Semensi* et *Semensium*, quae scriptura confirmat auctoritatem librorum quos supra commemoravimus. Nam *m* pro *ni* vulgare est veterum codicum vitium. MS. Guelf. *Semhensi* et mox *Senēsium*. Super littera *m* (in *Semhensi*) addita est lineola sic: *m̄*. Ernestius inde falso attulit *Senīhensium*. — *Senensi* et mox *Senensium* MSS. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Lipsium et Lips. (1607.) Brot. Ernest. sqq. — *Seniensi* et mox *Semensium* MS. Bud. Iam cogitandum esse de *Senis* Etruriae neque de *Senia* Dalmatiae sequentia satis arguunt: *Vocati qui arguebantur* etc. Nam e Dalmatia non statim vocari poterant. Neque tamen absurda est forma *Seniensis* a *Senis*: nam ita fit *Atheniensis* ab *Athenis*.

et supremorum imaginem. Rhenanus et Aldus tacite ediderant: *supremorum imagine* (omissa copula *et*). Lipsius (1574.) restituit veterum librorum scripturam.

praesenti sibi. Ed. Spir. *praesentis ibi*. Eadem cum MS. Guelf. *ac probris* pro *et probris*.

vindicatum. MS. Guelf. *iudicatum*.

plebes. MSS. Harl. Ies. *plebs*.

Cyrenensibus. Sic MSS. Harl. Ies. edd. Rhenan. sqq. — *Cyrensibus* MSS. Flor. (test. Ryck.) Guelf. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc., neglecta, ut saepe, media syllaba. — *Cirensibus* MSS. Reg. Agr. ed. Spir. In Agr. supra adscriptum est *Cretensibus*. Ceterum *Cyrenensibus damnatur* est: peragitur a Cyrenensibus damnatio. Sic An. 3, 36. *quam fraudis sub iudice damnavisset.*

CAP. 46. *et lectus in eandem spem.* Sic MSS. et vett. edd. prae-

gionibus miles promissa stipendia flagitabat: ne Vitelliani quidem sine multa caede pelli poterant, sed immensa pecunia ferebatur, qua tanta vis hominum retinenda erat. Ingressus castra Mucianus, quo rectius stipendia singulorum spectaret, suis cum insignibus armisque victores constituit modicis inter se spatiis discretos. tum Vitelliani, quos apud Bovillas in deditionem acceptos memoravimus, ceterique per urbem

ter MS. Reg. et ed. Spir., quibus insunt haec: *et lectus eadem specie*, vulgari vitio. Pro *lectus* ex Ernestii coniectura Bip. Oberl. sqq. edidere *inlectus*. Nulla tamen fuit mutandi necessitas. Nam *lectus* hic dicitur ut An. 12, 40. *lecta armis iuventus*, et Sueton. Galb. c. 16. Tiber. c. 30. Etenim postquam Vespasianus imperium accepit, e legionibus exercitus Flaviani lecti sunt, qui praetoriani essent. Hic igitur lectus in eandem spem e legionibus miles insistebat promissis, illi reciperare studebant, quod amiserant. *Inlectus* spectat ad cupiditatem animo inditam: at hic sermo est de ipsis militum corporibus lectis e legionibus in praetorianam militiam.

promissa stipendia. Int. praetorianorum, cf. not. ad An. 1, 17.

ne Vitelliani quidem. Ed. Spir. *nec Vitelliani quidem.*

sed immensa .... erat. Ingressus etc. Similis hic in MSS. est transpositio, qualem supra 3, 5. invenimus. Namque MS. Flor. (test. Pich.) post *poterant* pergit: *sed immensa pecunia fer —.* Hinc transilit ad c. 52. *ne criminantium nuntiis* etc. usque ad finem c. 53., ubi pergitur: *q. tanta vis hominum retinenda erat. Ingressus castra* etc. Plane sic ed. Spir. — MS. Guelf. post *poterant* habet lacunam, quae tertiam partem unius versus capit. Novus versus incipit: *sed immensa pecunia ferunt ne criminantium nuntiis* etc. usque ad *subvenere.* Iam lacuna unius versus spatio, post quam pergit: *Curam restituendi* etc. usque ad *defuisse creditum. quo tanta vis hominum retinenda erat.* Post haec verba est lacuna unius fere versus spatio. Pergitur novo versu: *Ingressus castra Mutianus* etc. — MS. Agr. teste Ryckio: *poterant: sed immensa pecunia tanta vis hominum retinenda erat. Ingressus castra* etc. Correxit igitur ille librarius transpositionem e suo iudicio. Broterius simpliciter indicat transpositionem in MSS. esse, neglecta accuratiore explicatione. Puteolanus edidit: *poterant. Ingressus castra Mutianus* etc. neglectis verbis mediis *quo tanta vis hominum retinenda erat*, quae ibi leguntur in fine c. 53. post *creditum*, alieno prorsus loco. At sic res se habet in cod. Bud. Puteolani contextus valuit usque ad Bipontinos, qui vulnus sanandum susceperunt. Constituunt locum ita: *poterant; sed immensa pecunia dicebatur, qua tanta vis hominum retinenda erat. Ingressus castra* etc. Sed cur non *ferebatur* pro *dicebatur?* Namque ex huius verbi prima parte scriba versa duplici pagina incidit in terminationem verbi *dicebatur* c. 52. Errant Gutmannus et Ricklefsius, qui putant *ferunt*, quod est in MS. Guelf., pertinere ad c. 52., ut ponatur post *Titum orasse.* Immo *ferunt* in Guelf. emendandi studio debetur. Flor. et ed. Spir. habent *fer-*, quod supplendum erit e verbo *dicebatur*, unde error initium cepit.

constituit. Ed. Spir. *construit.*

urbi vicina conquisiti producuntur prope intecto corpore. eos Mucianus diduci et Germanicum Britannicumque militem ac si qui aliorum exercituum separatim sistere iubet. Illos primus statim aspectus obstupefecerat, cum ex diverso velut aciem telis et armis trucem, et clausos nudosque et inluvie deformes aspicerent. vero huc illuc distrahi coepere, metus per omnes et praecipua Germanici militis formido, tanquam ea separatione ad caedem destinarentur: prensare commanipularium pectora, cervicibus innecti, suprema oscula petere: ne desererentur soli, neu in pari causa disparem fortunam paterentur, modo Mucianum, modo absentem principem, postremum coelum ac deos obtestari, donec Mucianus cunctos eiusdem sacramenti, eiusdem impera-

urbi vicina. MS. Agr. *urbivicina.*

diduci. MSS. Bud. Agr. Reg. Spir. *deduci.* Sed cf. not. ad 2, 11.

ac si qui. Ed. Spir. *ac si quis.*

separatim. Sic MSS. Bud. Agr. Put. sqq. (cum silent. Vict.) h. et Iac. Gronovii. — *sepa-* MSS. Flor. (test. Ryck.) Reg. Guelf. ed. Spir., omissa scilicet linea super *i*, quod vitium saepius ...mus.

primus. Ed Spir. *primum.*

inluvie. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *illuuiae* ed. Spir. — *...ie* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

coepere. Sic edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. sqq. — *cepere* Guelf. edd. Put. M. et V. — *...pere* MS. Reg. ed. Spir.

metus. Ed. Spir. *motus.* Ea... pergit: *et precipuas germa-*

destinarentur. Sic MS. Bud. Rhenan. sqq. — *destinare-* MSS. Guelf. Harl. Bodl. edd. ... sqq. ad Rhenanum.

prensare commanipularium pectora, cervicibus innecti. Sic Lipsius locum constituit atque edidit, ... dein omnes sunt secuti. Acidalius pro *pectora* malebat *dextras.* Veteres libri vacillant. Verbum *prensare* deest in cod. Bud., nec Guelf. illud habet in contextu, sed in margine *pensare*, quod vitium originem traxit e compendio *p̃nsare*, quod exstat in ed. Spir.; *prehensare* MS. Agr. — Vocabulum *commanipularium* legitur in edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. *cum manipularium* MSS. Reg. Guelf. (a secunda manu) Bud. — Pro *pectora* MS. Reg. fert *praeterea.* — Pro *innecti* MSS. Reg. Harl. Agr. edd. Spir. Alc. *iniecta.* MSS. Guelf. et Bodl. *invecti.* Edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) *iniecti.* Ryckius testatur codicem Flor. confirmare vulgatam scripturam (h. e. emendationem Lipsii). Rhenanus edidit: *destinarentur, cum manipularium pectora cervicibus inuecti suprema osoula petere* etc. Aldus: *destinarentur: cum prehensare manipularium pectora, cervicibus iniecti* etc.

ne desererentur etc. Haec pendent e verbo *obtestari.* Vulgo locum ita distinguunt, ut verba *ne desererentur* etc. pendeant e praecedentibus, quod absurdum est. Post *paterentur* ponunt colon. Ed. Spir. habet *non deserentur.* Pro *in pari* MS. Guelf. exhibet *impari.*

toris milites appellans falso timori obviam iret. namque et victor exercitus clamore lacrimas eorum iuvabat. isque finis illa die. Paucis post diebus adloquentem Domitianum firmati iam excepere. spernunt oblatos agros: militiam et stipendia orant. preces erant, sed quibus contradici non posset. igitur in praetorium accepti. dein quibus aetas et iusta stipendia, dimissi cum honore, alii ob culpam, sed carptim ac singuli: quo tutissimo remedio consensus multitudinis extenuatur.

XLVII. Ceterum verane pauperie, an uti videretur, actum in senatu, ut sexcenties sestertium a privatis mutuum acciperetur. praepositusque ei curae Poppaeus Silvanus. nec multo post necessitas abiit, sive omissa simulatio. Abrogati inde legem ferente Domitiano consulatus, quos Vitellius dederat: funusque censorium Flavio Sabino ductum: magna documenta instabilis fortunae summaque et ima miscentis.

XLVIII. Sub idem tempus L. Piso proconsul interficitur. ea de caede quam verissime expediam, si pauca

Ed. Spir. *pari*, omisso *in*. MS. Flor. test. Vict. *pauri* pro *in pari*. Coniicio legendum: *pari in causa*. Item ed. Spir. mox *eius imperatoris* pro *eiusdem imp.* et *hisque* pro *isque*.

oblatos agros. MS. Bud. et inde edd. Rhenan. Ald. sqq. ad Pich. *oblatos sibi agros*. Pichena auctoritate cod. Flor. sustulit intrusam vocem.

et stipendia. Ed. Spir. *ac stipendia*. Eadem mox *precesserant* pro *preces erant*, et *deinde* pro *dein*. Ante *iusta* MS. Guelf. negligit copulam.

consensus. Ed. Spir. *consessus*.

Cap. 47. *verane pauperie*. Ab MS. Reg. et ed. Spir. abest *vera*, spatio ibi relicto vacuo.

ei curae. Vocabulum *curae* in MS. Agr. et ed. Spir. desideratur.

Poppaeus Silvanus. cf. not. ad Hist. 2, 86. Hic MSS. Reg. Guelf. Harl. Bodl. Ies. et edd. vett. *Pompeius Silvanus*. Edd. Lips. sqq. *Poppaeus Silvanus*.

abiit. MS. Guelf. *abii*.

abrogati. MSS. Bud. Guelf. ed. Spir. *abroganti*.

censorium. Ed. Spir. *censorum*.

summaque et ima miscentis. Sic MS. Agr. edd. Bernegg. sqq. suadentibus Faërno, Ursino, Lipsio, Pichena. — *summaque etiam* ceteri codd. MSS. et vett. editiones, quod vitium potuit oriri e compendio *et ĩa*.

Cap. 48. *proconsul*. Sic MSS. Bodl. Ies. Guelf. (ubi *proconsul*, ut fere semper) edd. veteres et recentiores. — *pro consule* MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Harl. ed. Iac. Gronovii. In MS. Guelf. secunda manus erasit litteram *e*. De Pisone cf. An. 13, 31.

interficitur. Ed. Spir. *interfectus*.

ea de caede. MS. Guelf. *eadem caede*. MS. Agr. *eam caedem*. De re cf. Plin. ep. 3, 7.

quam verissime. Sic MSS. et veteres editiones. Acidalius nescius cur hic scriptor veritatis studium testi-

supra repetiero ab initio causisque talium facinorum non absurda. Legio in Africa auxiliaque tutandis imperii finibus sub divo Augusto Tiberioque principibus proconsuli parebant. mox C. Caesar turbidus animi ac M. Silanum obtinentem Africam metuens ablatam proconsuli legionem misso in eam rem legato tradidit. aequatus inter duos beneficiorum numerus et mixtis utriusque mandatis discordia quaesita auctaque pravo certamine. legatorum vis adolevit diuturnitate officii vel quia minoribus maior aemulandi cura: proconsulum splendidissimus quisque securitati magis quam potentiae consulebant.

XLIX. Sed tum legionem in Africa regebat Valerius Festus sumptuosae adolescentiae neque modica cupiens et adfinitate Vitellii anxius. is crebris sermonibus

tur, emendat: *quam potero verissime expediam* vel *quam brevissime*, quod Strombeckius omnino scriptore dignius esse censet. Neque tamen video, quid in vulgata scriptura non sit dignum eodem scriptore. Namque in tali contextu veritas non opponitur mendacio, sed *verissime* est *am richtigsten*, *iustissime*, h. e. ita ut lector iustissimam de re habeat historiam.

supra repetiero. Sic edd. Oberl. sqq. e coniectura Rhenani et Mureti. — *supra petiero* MSS. et vett. editiones, absorpta syllaba *re* per antecedens vocabulum. Nam ubique Noster in tali contextu utitur verbo *repetere.* cf. An. 15, 72. 16, 18. Hist. 2, 27.

talium facinorum. Agnosco enallagen numeri, ut sit pro *talis facinoris.*

M. Silanum. Sic edd. Lipsii posteriores, Pich. sqq. — *M. Syllanum* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Lipsium (cum silentio Victorii). — *M. Sullanum* ed. Lipsii prima. — *M. Syllanium* ed. Spir. — Dio 59, 20. pro Silano ponit L. Pisonem Cn. Pisonis et Plancinae filium, qui consul fuit cum Nerone An. 13, 31. et cuius filius est L. Piso ille tunc in Africa interfectus. cf. Plin. ep. 3, 7.

obtinentem. Ed. Spir. *optinentem.* Eadem mox *oblatam* pro *ablatam.*

beneficiorum. H. e. locorum militarium, ut centurionum, praefectorum etc. cf. Sueton. Tib. c. 12. *per quosdam beneficii sui centuriones.* Vid. Lips. Ernest. et Brot. ad h. l.

auctaque pravo certamine. legatorum etc. Ita locum esse distinguendum docuerat I. Fr. Gronovius. Adoptavit eam rationem Ryckius e cod. Agr. et ed. Spir. — Edd. Put. sqq. interpungunt: *auctaque. Pravo certamine* etc.

vis. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Bip. Oberl. sqq. — *ius* MS. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. Disputari potest in utramque partem.

Cap. 49. *regebat.* MS. Guelf. *re* (ceteris syllabis neglectis).

cupiens. Sic edd. Spir. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *cupido* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud.

et adfinitate. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Agr. edd. Spir. Ryck. Brot. Bip. Oberl. sqq. —

tentaveritne Pisonem ad res novas, an tentanti restiterit, incertum, quoniam secreto eorum nemo adfuit et occiso Pisone plerique ad gratiam interfectoris inclinavere. nec ambigitur provinciam et militem alienato erga Vespasianum animo fuisse: et quidam e Vitellianis urbe profugi ostentabant Pisoni nutantes Gallias, paratam Germaniam, pericula ipsius et in pace suspecto tutius bellum. Inter quae Claudius Sagitta praefectus alae Petrinae prospera navigatione praevenit Papirium centurionem a Muciano missum adseveravitque mandata interficiendi Pisonis centurioni data. cecidisse Galerianum consobrinum eius generumque, unam in audacia spem salutis: sed duo itinera audendi, seu mallet statim arma, seu petita navibus Gallia ducem se Vitellianis exercitibus ostenderet. Nihil ad ea moto Pisone centurio a Muciano mis-

sed pro *et* ferunt MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Ryck. et postea edd. Iac. Gronovii et Ernesti. — *si* MS. Bud. — Litteram *s* hi libri traxerunt e praecedenti vocabulo: nam particulae *sed* hic non est locus.

tentaveritne. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. edd. Spir. (haec *teptaveritne*) Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Pich. Bernegg. sqq. — *tentaritne* edd. Rhen. Ald. Lips. Gruter.

alienato. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *alienatam* MS. Reg. ed. Spir. Haec insuper exhibet *milite* pro *militem.*

et quidam. Ed. Oberl. vitio typogr. *et quidem*, quod transiit in ed. Naudeti.

nutantes. MS. Guelf. *nutantis.* Idem ante *pericula* addit *et.*

et in pace suspecto. Ita locum corrige e praestantissima coniectura Victorii, quam praeivit cod. Flor. in quo legitur: *et in pace suscepto.* MS. Reg. *et in pace susceptum.* Ed. Spir. *et in pace suscepit.* Scilicet illi libri operam dant corrigendae scripturae Florentinae, sed parum feliciter. Aliam emendandi viam inierunt ceteri codices, qui ferunt: *et in pace suspecta.* Nam ita MS. Guelf. edd. Put. sqq. At bene viderunt Faernus, Grotius aliique in hac scriptura praepositionem *in* esse inconcinnam. Quare deleverunt eam Bipontini: restituit Oberlinus, et bona haud dubie est, si locum legis e sententia Victorii.

alae Petrinae. MS. Reg. *alae paternae.* Ed. Spir. *alae peterne.*

a Muciano missum. MS. Bud. *omissum*, attracta ultima littera praecedentis vocabuli. Idem liber *cessisse* pro *cecidisse*, unde Rhenanus coniecit *caesos esse.* Sed cf. c. 51. *cecidisse Vitellium.*

consobrinum. Ed. Spir. *consubrinum.* Mox *audacia* pro *audacia* et *audiendi* pro *audendi.* cf. not. ad Hist. 1, 6. MS. Ies. *una* pro *unam.*

ostenderet. MS. Agr. ed. Spir. *ostentaret.* Mox MS. Bud. omittit *a* ante *Muciano*, volebatque Rhenanus eam praepositionem amoveri: sed operae feliciter non paruerunt.

nus, ut portum Carthaginis attigit, magna voce laeta Pisoni omina tanquam principi continuare, obvios et subitae rei miraculo attonitos, ut eadem adstreperent, hortari. vulgus credulum ruere in forum, praesentiam Pisonis exposcere: gaudio clamoribusque cuncta miscebant indiligentia veri et adulandi libidine. Piso indicio Sagittae vel insita modestia non in publicum egressus est neque se studiis vulgi permisit. centurionemque percunctatus, postquam quaesitum sibi crimen caedemque comperit, animadverti in eum iussit haud perinde spe vitae quam ira in percussorem, quod idem ex interfectoribus Clodii Macri cruentas legati sanguine manus ad caedem proconsulis rettulisset. Anxio deinde edicto Carthaginiensibus increpitis ne solita quidem munia usurpabat clausus intra domum, ne qua motus novi causa vel forte oriretur.

L. Sed ubi Festo consternatio vulgi, centurionis supplicium veraque et falsa more famae in maius innotuere, equites in necem Pisonis mittit. illi raptim vecti obscuro adhuc coeptae lucis domum proconsulis inrumpunt destrictis gladiis: et magna pars Pisonis ignari, quod Poenos auxiliares Maurosque in eam caedem

laeta Pisoni omina. Sic e sententia Acidalii edd. Ernest. Broter. sqq. — *laeta Pisoni omnia* MSS. et edd. ante Ernest. vulgari confusione. cf. not. ad An. 15, 8. Hist. 2, 1. 78. Quae sint *omina* in tali contextu intelligenda, docuimus ad An. 5, 4.

adstreperent. cf. An. 1, 18. 2, 12. 11, 17. Male cod. Bud. *obstreperent.*

exposcere. Ed. Spir. *exposcerent.*

indiligentia veri. Sic edd. Rhen. Lips. sqq. — *indulgentia viri* edd. Put. Beroald. Alc. cum MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. — *indiligentia viri* MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Bud. ed. Spir.

neque se studiis. MS. Guelf. omittit *se.* Mox *haud perinde* omnes libri, etiam ed. Spir. cf. not. ad An. 3, 17.

Carthaginiensibus. Sic (sive *Cartaginiensibus*) MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lallemand. Brot. sqq. — *Carthaginensibus* vel *Cartaginensibus* MS. Guelf. edd. Spir. Put. sqq.

oriretur. MS. Flor. (test. Vict.) *oreretur*, uti solet. cf. not. ad An. 15, 52.

Cap. 50. *consternatio.* cf. An. 1, 39. *audita consternatione.*

destrictis gladiis. Sic edd. Ryck. Jac. Gronov. sqq. — *districtis gladiis* MSS. Guelf. Harl. edd. vett. cf. not. ad An. 1, 32. et 44.

auxiliares Maurosque. MS. Reg. et ed. Spir. *auxiliaresque Mauros,*

delegerat, haud procul cubiculo obvium forte servum, quisnam et ubi esset Piso? interrogavere. servus egregio mendacio se Pisonem esse respondit, ac statim obtruncatur. nec multo post Piso interficitur. namque aderat qui nosceret Bebius Massa e procuratoribus Africae, iam tunc optimo cuique exitiosus et in causas malorum, quae mox tulimus, saepius rediturus. Festus Adrumeto, ubi speculabundus substiterat, ad legionem tendit praefectumque castrorum Cetronium Pisanum vinciri iussit proprias ob simultates, sed Pisonis satellitem vocabat: militesque et centuriones quosdam puniit, alios praemiis adfecit, neutrum ex merito, sed ut oppressisse bellum crederetur. Mox Oeensium

— Mox ed. Spir. *delegarat* pro *delegerat*, et deinde *a cubiculo*. cf. not. ad Hist. 4, 22.

interrogavere. Ed. Spir. *interrogaverunt*. Mox *cognosceret* pro *nosceret*.

Bebius Massa. MS. Reg. et ed. Spir. omittunt *Massa*.

e procuratoribus Africae. MS. Reg. et ed Spir. *procurator Africae*, nec credit Ernestius in Africa plures uno fuisse procuratores, eoque inclinat, ut praeferat *procurator* vel deleat *Africae*. Lallemandus vulgatam scripturam ita explicat, ut intelligatur unus ex iis, qui procuratores Africae fuerunt. Quae explicatio vix erit admittenda. Si vulgata vera sunt, cogitemus de pluribus procuratoribus tum Africae praepositis.

optimo cuique. Ed. Spir. *cuique optimo*.

Adrumeto. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. — *Adrimento* MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. (a secunda manu). — *Adrumento* edd. Spir. Put. Beroald. Alciat. cf. Cellar. Geogr. Ant. T. II. Lib. IV. c. 4., ubi plures eiusdem nominis varietates recensentur.

ad legionem tendit. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Ernestium, qui e MS. Reg. et ed. Spir. adoptavit *contendit*. Sed nullam video necessitatem mutandi veterem scripturam bonis libris nixam. cf. An. 1, 39. *audita consternatione ad Germanicum tendentes*. Sueton. Iul. c. 34. *Brundisium tetendit*. Ibid. c. 85. *plebs statim a funere ad domum Bruti et Cassii cum facibus tetendit*. Vid. not. ad An. 3, 24. At sequentia, ut videtur Ernestio, perfectum poscunt. Immo cf. not. ad An. 2, 7. sub v. *duxit*.

Cetronium. Ed. Spir. *Ceeronium*, permutatis, ut saepe, litteris *t* et *c*. MS. Reg. *Secronium*.

puniit. Sic MSS. Reg. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *punit* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat. — Ernestius et Broterius testantur in cod. Florent. esse *puniit*, neque tamen invenio qua auctoritate. Nam Pichena, Iac. Gronovius et Ryckius cum Victorio tacent. At saepissime *ii* in libris veteribus contrahitur in *i*.

oppressisse. Sic edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. — *obrepsisse* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat.

Oeensium. E correctione Lipsii edd. Ryck. Ernest. Brot. sqq. cf.

Leptitanorumque discordias componit, quae raptu frugum et pecorum inter agrestes modicis principiis iam per arma atque acies exercebantur. nam populus Oeensis multitudine inferior Garamantas exciverat, gentem indomitam et inter accolas latrociniis fecundam. unde artae Leptitanis res, lateque vastatis agris intra moenia trepidabant, donec interventu cohortium alarumque fusi Garamantes et recepta omnis praeda, nisi quam vagi per inaccessa mapalium ulterioribus vendiderant.

LI. At Vespasiano post Cremonensem pugnam et prosperos undique nuntios, cecidisse Vitellium multi cuiusque ordinis pari audacia fortunaque hibernum mare adgressi nuntiavere. Aderant legati regis Vologesi quadraginta Parthorum equitum millia offerentes. ma-

Plin. 5, 5. Ammian. Marc. 28, 6. Surita ad Antonin. Itiner. p. 62. ed. Wesseling. — Veteres libri variant. *Ophensium* MSS. Harl. Bodl. Les. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. ad Ryckium et postea ed. Iac. Gronovii. — *Offensium* MS. Guelf. — *offensum* MS. Bud. et ed. Spir. — *offensam* MS. Reg. — *Aspensium* MS. Agr. — Péllerin, second supplément aux recueils de med. p. 48 et 49., censet corrigendum *Oeensium*, quia in antiquo nummo invenit: *Col. Aug. Oes.*

Leptitanorumque. cf. not. ad An. 3, 74.

modicis. MS. Guelf. *modiciis.* Scriba praecepit terminationem sequentis vocabuli. Idem liber mox *acie* pro *acies*, haud inepte. cf. not. ad An. 2, 70. sub vv. *haud minus ira quam per metum.*

Oeensis. MS. Guelf. edd. Put. sqq. *Ophensis.* Ed. Spir. *offensis.*

inferior. Ed. Spir. *inferiori.* — Eadem *Garamantes* pro *Garamantas.* De his cf. An. 3, 74.

fecundam. Sic (vel *foecundam*) MS. Guelf. edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. — *secundam* ed. Spir. — *facundam* edd. Put. M. et Ven.

artae Leptitanis res. Artae vel *arctae* MSS. Flor. (test. Ryckio) Guelf. Agr. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et Ryckii sqq. — *arta L. res* edd. Rhen. (tacite) Ald. sqq. Sed cf. Hist. 3, 69. *artas res nuntiaret.*

omnis praeda. MS. Agr. et ed. Spir. *omni praeda.* — Idem cod. Agr. *vastis* pro *vastatis.*

Cap. 51. *hibernum mare.* Voc. *mare* in MS. Guelf. non legitur.

adgressi. Ferretus malebat *ingressi.* At vulgatum quoque se recte habere censuerunt Ernestius et Broterius. Debebant adfirmare multo melius se habere *adgressi.* Nam hoc exprimit audaciam, quae fuit in illa navigatione, valetque *adgredi* de re ardua, hostili, insidiosa.

quadraginta P. e. millia offerentes. cf. Sueton. Vesp. c. 6. In ed. Spir. voc. *millia* non apparet. Mox eadem *neque ambiri neque indigere.*

gnificum laetumque tantis soci auxiliis ambiri ne-que indigere. gratiae Vologeso act legatos ad senatum mitteret et pacem ess latumque, ut sianus in Italiam resque urbis intentus adve Vespa- mitiano famam accipit, tanquam terminos aetatis cessa filio egrederetur. igitur validissimam exerc partem Tito tradit ad reliqua Iudaici belli perpetranda.

LII. Titum, antequam digrederetur, multo apud patrem sermone orasse dicebatur, ne criminantium nuntiis temere accenderetur, integrumque se ac placabilem filio praestaret. non legiones, non classes perinde firma imperii munimenta quam numerum liberorum. nam amicos tempore, fortuna, cupidinibus aliquando aut erroribus imminui, transferri, desinere: suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime principibus, quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant. ne fratribus quidem mansuram concordiam, ni parens exemplum praebuisset. Vespasianus haud aeque Domitiano mitigatus quam Titi pietate gaudens bono esse animo iubet, belloque et armis rem publicam attolleret: sibi pacem domumque curae fore.

resque urbis. Ed. Spir. *rebus urbis*, neglecta copula *que.*

accipit. Sic edd. Puteol. sqq. — *accepit* MS. Guelf. et ed. Spir., quod fortasse erit restituendum.

Cap. 52. *Titum . . . dicebatur.* Sic libri veteres et recentiores. — Gutmannus et Rickleſsius pro *dicebatur* volunt scribi *ferunt.* Sed cf. not. ad c. 46. De structura loci cf. not. ad Hist. 1, 90. sub vv. *Othonem uti credebatur.* Ramsborn. §. 168. n. 7. Plane sic Graeci. cf. Xiphil. 68, 1. λέγεται Φρόντωνα τὸν ὕπατον εἰπεῖν.

perinde firma. Sic MS. Guelf. edd. Rhen. Ald. sqq. — *proinde firma* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat.

munimenta. Ed Spir. *monimenta.* Eandem utriusque vocabuli confusionem vidimus An. 1, 8. — Mox ed. Spir. *libertorum* pro *liberorum.* Ibidem *tempore* per compendium scribitur *tpe.*

indiscretum. Ed. Spir. *indiserent.* — Mox eadem *ad inuictissimos* pro *ad iunctissimos.*

mansuram. MS. Flor. teste Victorio *mansurum* vitiose.

ni parens. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. Bud. Agr. edd. Spir. (haec *inparens*) Ernest. Broter. sqq. — *ni pater* MSS. Guelf. (de quo Broterius falsus est) Harl. Bodl. les. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. sqq.

Titi pietate. Ed. Spir. negligit vocabulum *Titi.*

iubet. Hoc abest a MS. Bud.

attolleret. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *attollerent*

Tum celerrimas naviu[m] [fru]mento onustas saevo adhuc mari committit. [Tanto discrimine urbs nutabat,] ut decem hau[d amp]lius dierum frumentum in horreis fuerit, [cum a V]espasiano commeatus subvenere.

[53.] Curam restituendi Capitolii in L. Vestinum [confert,] equestris ordinis virum, sed auctoritate fama[que] inter proceres. ab eo contracti haruspices monuere, ut reliquiae prioris delubri in paludes aveherentur, templum iisdem vestigiis sisteretur. nolle deos mutari veterem formam. Undecimo Kal. Iulias serena luce spatium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque. ingressi milites, quis fausta nomina, fe-

MS. Ies. — *attollere* MSS. Reg. Bud. edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. Sed non video, quid veterem scripturam impediat aut quo praestet altera. Immo *attolleret* commodius et concinnius est, amatque Tacitus structurae varietatem.

frumento onustas. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. *honustas.* Ed. Spir. *onustas frumento.* — Eadem in fine capitis: *tum a Vespasiano comeatus subvenire.*

Cap. 53. *Curam restituendi Capitolii.* MS. Corb. *cura.* Quare Broterius suspicatur olim scriptum fuisse: *cura .... confertur.* Sed ceteri libri in vulgata scriptura consentiunt. Dissensus est inter Tacitum et Suetonium Vesp. c. 8. Xiphilinumque 66, 10. Nam Suet. l. l. *Ipse restitutionem Capitolii aggressus ruderibus purgandis manus primus admovit ac suo collo quaedam extulit.* Xiphil. l. l. τόν τε νεὼν τὸν ἐν Καπιτωλίῳ εὐθὺς οἰκοδομεῖν ἤρξατο, αὐτός τι τοῦ χοῦ πρῶτος ἐκφορήσας καὶ δηλονότι καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐπιφανεστάτοις τὸ αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι κελεύσας etc. De re cf. Plutarch. Poplicola c. 15. Conciliari cum Tacito utrumque posse censuit Philipp. a Turre ad Monum. vet. Antii P. I. c. 7. Is suspicatur solemnia dedicationis a Vestino peracta XI. Kal. Iul., sed rudera purgata a Vespasiano praesente. Contra illum recte disseruit Reimarus ad Xiphil. l. l. purgata rudera ante dedicationem, hinc fundamenta novi templi iacta absente Vespasiano diserte a Tacito narrari. Et Savilius ad hunc Taciti locum satis docuit Vespasianum non nisi declivi aestate Romam potuisse venire.

ab eo. MS. Corb. *ad ea.*

haruspices. Sic edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *aruspices* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. — *harispices* MS. Flor. (test. Vict.) hic et infr.

aveherentur. Ed. Spir. *adveherentur.* Sed vid. not. ad An. 16, 2. MS. Ies. *aveherent.*

iisdem. Ed. Spir. *hisdem*, uti solet. — Eadem mox pro *vittis coronisque* exhibet *victis cornisque* neque agnoscit distinctionem, quae est ante *ingressi*, eandemque et Acidalius deletam cupiebat, ut verba: *undecimo . . . perluere* continuam efficerent orationem. Sed apertum est verbum *perluere* ad postremum tantum spectare membrum.

quis fausta nomina. Primum vocabulum *quis* Iac. Gronovius et Ernestius restituerunt e MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronovio contra Ryckium, qui ibi esse prodiderat

licibus ramis: dein virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis matrimisque aqua vivis e fontibus amnibusque hausta perluere. tum Helvidius Priscus praetor praeeunte

qui) Vatic. 1863. Reg. Corb. Agr. ed. Spir. pro *quibus*, quod exstat in MSS. Guelf. Bodl. Harl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. ad Iac. Gronovium. Deinde *nomina* reduxit Lipsius e MS. Vat., cum quo consentiunt Flor. (test. Vict. cum Pichena) Reg. Corb. Bodl. Bud. ed. Spir. Idem in MSS. Harl. et Ies. superscripsit secunda manus, quum a prima manu ibi sit *omina*, ut in cod. Agr. edd. Put. sqq. ad Lipsium. MS. Guelf. *omnia*. Lipsius bene emendavit. cf. Cic. de Divin. 1, 45, 102. Plin. 28, 2. Ille: *Quum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus qui hostias ducerent eligebantur: quod idem in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Hic l. l.: *Cur publicis lustris etiam nomina victimas ducentium prospera legimus.* cf. Davis. ad Cic. Nat. D. 2, 27. init. Beier. ad Cic. or. pro Scauro p. 181 sq.

dein virgines Vestales. Ed. Spir. *dein virginibus vestales.*

patrimis matrimisque. Sunt pueri puellaeque e matrimonio confarreato oriundi. cf. Liv. 37, 3. Cic. de harup. resp. 11, 31. Sed secundum Festum patrimi et matrimi sunt etiam, qui patrem matremque superstites habent, talesque hic intelligendos facile tibi persuadebis. Nam homines confarreatis parentibus nati tunc erant rari. cf. Tacit. An. 4, 16. Ceterum pro *patrimis matrimisque* MS. Guelf. fert *paternis maternisque*. Ed. Spir. *patrinis maternisque.*

aqua vivis e fontibus amnibusque hausta. E praestantissima emendatione Iac. Gronovii, quam in verborum ordinem recepit Ernestius. At dudum Victorius eadem suaserat in suo exemplari Beroaldino, nisi quod is legit: *aqua vivis et fontibus amnibusque hausta.* Veteres libri locum varie corrumpunt. MS. Flor. (test. Ryckio): *aqua trimis e fontibus amnibusque hausta.* Victorius intactam reliquit scripturam: *a quatrimis et fontibus omnibusque hausta*, quae exstat in edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. — *aqua rivis et fontibus amnibusque hausta* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. — *aquarinis et fontibus hausta* MS. Bud. — *aqua trinis e fontibus omnibus hausta* MS. Agr. Secunda manus e *trinis* fecit *ternis*. — *aquaturis e fontibus hausta* MS. Reg. — *aqua rivis et fontibus amnibusque hausta* edd. Rhenan. Ald. sqq. ad Ernestium. Ryckius coniecerat *aqua vicinis e fontibus amnibusque hausta* parum feliciter.

perluere. Ex emendatione Rhenani, quam ipse in locum recepit. — *pluere* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat. Nimirum debebant scribere *pluere*, quod est compendium verbi *perluere*. — *plueret* MS. Bud. et ed. Spir. In MS. Guelf. quoque secunda manus superscripsit litteram *t*. — *perlueret* MS. Corb. — Antonius Augustinus malebat *perpluere*, quod Ernestio etiam magis placet quam *perluere*. Nam adspersionem illam ait fuisse areae lustrandae causa, de qua re *perpluere* dici posse, non *perluere*. Fallitur. Nam lustrationi haud dubie melius convenit *perluere* quam illud, quippe a verbo *luere* descendit vocabulum *lustrationis*, neque a *pluere*.

praeeunte. Int. verba precationis. cf. Sueton. Claud. c. 22. Plin. 28, 2. Strombeckius non satis recte interpretatus est: *vor welchem der Oberpriester ... herging.*

Plautio Aeliano pontifice lustrata suovetaurilibus area et super caespitem redditis extis Iovem, Iunonem, Minervam praesidesque imperii deos precatus, uti coepta prosperarent, sedesque suas pietate hominum inchoatas divina ope attollerent, vittas, quis ligatus lapis innexique funes erant, contigit. simul ceteri magistratus et sacerdotes et senatus et eques et magna pars populi studio laetitiaque connixi saxum ingens traxere. passimque iniectae fundamentis argenti aurique stipes et metallorum primitiae nullis fornacibus victae sed ut gignuntur. praedixere haruspices, ne

Plautio Aeliano. Ita illud nomen scribendum docuerunt Ursinus et Ryckius ex inscriptione Tiburtina. cf. Vulpii Vet. Latium Tom. X. Part. I. p. 340 Piranesi Antichita Rom. Tab. XI, sqq. Gruter. p. 453. In locum recepere Lallemandus, Broterius, Ernestius sqq. In *Aeliano* consentit MS. Harl. — MS. Flor. (test. Vict.) *Plauto Heliano.* — Ed. Spir. *Plauto cliano.* — MSS. Guelf. Bodl. Ies. Corb. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Lipsium *Plauto Heliatio.* — MS. Vatic. edd. Lips. sqq. *Plauto Eliano.*

lustrata suovetaurilibus. Ex emendatione Lipsii edd. Pich. Gruter. sqq. Rectissime. Adnuit MS. Florent., in quo (test. Vict.) legitur: *lustratas bouetaurilibus.* Eadem insunt ed. Spirensi et MSStis Vatic. 1863. Reg. Agr. — *bovetauribus* MS. Covarruv. — *lustrata bove * taurisque* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. ad Lipsium. cf. not. ad An. 6, 37. Spalding. ad Quint. I, 1. §. 67.

area. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *aream*, quod vitium e totius loci confusione ortum puta. Vulgatam formam tuentur MS. Guelf. edd. Puteol. sqq.

et super caespitem. *super* MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Guelf. Harl. Ies. Reg. Corb. Agr. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *secundum* MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Eandem confusionem e compendio scripturae ortam et alibi vidimus. cf. not. ad Hist. 1, 51.

redditis extis. cf. Sueton. Oct. c. 1. *ut in posterum quoque simili modo exta Marti redderentur.* Vid. Brisson. de formulis p. 24.

coepta. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *coeptas.* Num excidit *res*, an sequentes accusativi (*sedesque suas ... inchoatas*) vitium peperere? — Mox cod. Flor. (test. Vict.) exhibet etiam *pietates* pro *pietate.*

inchoatas. Sic edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *incohatas* MS. Guelf. et ed. Spir. — Mox eadem ed. Spir. *victas* pro *vittas*, ut supra.

quis ligatus. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *quibus ligatus* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Pichenam.

magna pars. Ed. Spir. *pars magna.* — Eadem mox *et auri quę stipes.*

sed ut gignuntur. Sic MS. Bud. edd. Put. sqq. — *sed ut gnignuntur* MS. Guelf. — *sed ut signantur* MS. Flor. (teste Ryckio) et ed. Spir. At Victorius e Florent. adfert *signuntur.* MS. Corb. *et ut signanter.* MS. Agr. *sed et signan-*

temeraretur opus saxo aurove in aliud destinato. Altitudo aedibus adiecta. id solum religio adnuere et prioris templi magnificentiae defuisse creditum.

LIV. Audita interim per Gallias Germaniasque mors Vitellii duplicaverat bellum. nam Civilis omissa dissimulatione in populum Romanum ruere. Vitellianae legiones vel externum servitium quam imperatorem Vespasianum malle. Galli sustulerant animos eandem ubique exercituum nostrorum fortunam rati, vulgato rumore a Sarmatis Dacisque Moesica ac Pannonica hiberna circumsideri. paria de Britannia fingebantur. Sed nihil aeque quam incendium Capitolii, ut finem imperio adesse crederent, impulerat. Captam olim a Gallis urbem: sed integra Iovis sede mansisse imperium. fatali nunc igne signum coelestis irae datum et possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi

ter praedixere haruspices etc., quae placebant Ryckio, *signanter* eadem notione dictum putans ac *significanter*. Sed vix dubia esse potest scriptura vulgata. Nam quanquam Ernestius animadvertit verba *sed ut gignuntur* abundanter adesse, quia metalla nullis fornacibus victa sunt metalla ut gignuntur, nemo tamen nescit eiusmodi abundantiam inveniri apud optimos scriptores. cf. not. ad An. 6, 24. sub vv. *alienationem mentis simulans*.

temeraretur. MS. Guelf. *venerarentur*.

creditum. MS. Flor. (test. Vict.) hic pergit: *crede q. tanta vis* etc. cf. not. ad c. 46. Ed. Spir. *crede tanta vis* etc. MS. Guelf. *creditum. quo tanta vis* etc. et ita edd. Puteol. sqq. Ceterum pleraeque editiones post *adnuere* male ponunt pleniorem distinctionem: nam id etiam verbum pendet e *creditum*, quia ad *religio* e *creditum* intelligendum est *credita*. cf. not. ad An. 1, 15. sub v. *utque*.

Cap. 54. *Germaniasque*. Ed. Spir. *et germanias*.

vel externum. MSS. Guelf. et Bud. *vel extremum*. Particulam *vel* Rhenanus tacite omiserat invitis veteribus libris: Pichena restituit.

vulgato rumore. Ed. Spir. *volgatorum more*. — Mox eadem *a Salmatis* pro *a Sarmatis; et Pannonia* pro *ac Pannonica; circumsederi* pro *circumsideri*.

finem imperio. Sic MSS. Flor. (test. Ryck.) Reg. Agr. edd. Spir. Beroald. (cum silentio Vict.) Ryck. Ernest. Broter. sqq. — *finem imperii* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Bud. edd. Put. Alc. sqq. ad Ryckium et postea ed. Iac. Gronovii. — *imperii finem* MS. Ies. cf. An. 2, 21. *finem bello fore*, et not. ad 2, 33. sub vv. *modum urgento*.

crederent. Ed. Lips. (1607.) *crederetur*.

fatali. Ed. Spir. *fatale*. — Eadem mox *passionem* pro *possessionem; portenti* pro *portendi; superstitionē vanā* pro *superstitione vana*.

superstitione vana Druidae canebant. Incesseratque fama primores Galliarum ab Othone adversus Vitellium missos, antequam digrederentur, pepigisse, ne deessent libertati, si populum Romanum continua bellorum civilium series et interna mala fregissent.

LV. Ante Flacci Hordeonii caedem nihil prorupit, quo coniuratio intelligeretur. Interfecto Hordeonio commeavere nuntii inter Civilem Classicumque praefectum alae Treverorum. Classicus nobilitate opibusque ante alios. regium illi genus et pace belloque clara origo. ipse e maioribus suis hostis populi Romani quam socius iactabat. Miscuere sese Iulius Tutor et Iulius Sabinus, hic Trevir, hic Lingon. Tutor ripae

Druidae. MS. Flor. teste Victorio *druuide.*

primores Galliarum. Intellige primores Gall. in urbe praesentes et inde ab Othone missos, ut populares suos adversus Vit. concitarent.

adversus Vitellium. MS. Bud. *versus Vitellium.*

bellorum civilium. MS. Guelf. *civilium bellorum.* Ab ed. Spir. voc. *civilium* abest.

et interna mala. Ed. Spir. *et intervalla.*

Cap. 55. *Hordeonii.* Sic edd. Spir. Ald. Lips. sqq. — *Ordeonii* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Micyll. et ita paulo post, nisi quod MS. Guelf. infra habet *Ordeoneo.*

prorupit. MS. Agr. *erupit.*

commeavere. MS. Guelf. *coniuravere.*

Treverorum. Sic editiones Lipsii sqq. — *Trevirorum* MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium, et ita mox *Treveros* et *Treviros.* Sed c. 57. Victorius e *Treviris* fecit *Treveris.*

ante alios. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Vatic. 1863. Covarruv. Reg. Agr. Bud. (a prima manu) edd. Spir. Pich. Grut. sqq. — *anteibat alios* MSS. Guelf. Harl. Bodl. edd. Put. sqq. ad Pichenam. Sed vid. not. ad An. 1, 27. et Hist. 5, 12.

ipse e maioribus suis etc. Haec ita Lipsius restituit ex ingenio (anno 1574.), ut ipse fatetur. At eadem plane insunt editioni Spirensi et codici Budensi a prima manu. — *is se e maioribus suis* etc. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Bud. (a secunda manu) edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. ad Lipsium. Mercerus, Pichena et Ernestius malebant: *is e maioribus suis hostis* (h. e. *hostes*) *p. R. quam socius iactabat.* Sed vulgata se habent bene. Inest structura Graeca, de qua vid. Buttmann. Gr. Gr. §. 129. et Matthiae §. 535. Ceterum MS. les. praefert: *is se e moribus suis.*

hic Lingon. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. les. Bud. edd. Puteol. sqq. — *hic Lingonus* MS. Flor. testibus Victorio cum Ryckio. — cf. Martial. 8, 75. *Dum repetit sera conductos nocte penates Lingonus a recta Flaminiaque recens.* — *hic Lingonius* MSS. Reg. Agr. ed. Spir. At sunt *Lingones* Hist. 1, 53. 57. 64. et alibi. Duplicatum *hic* sic etiam ponitur An. 14, 8. Virgil. Ecl. 4, 56. Cic. ad divers. 9, 16.

Rheni a Vitellio praefectus: Sabinus super insitam vanitatem falsae stirpis gloria incendebatur, proaviam suam divo Iulio per Gallias bellanti corpore atque adulterio placuisse. Hi secretis sermonibus animos ceterorum scrutari. ubi, quos idoneos rebantur, conscientia obstrinxere, in colonia Agrippinensi in domum privatam conveniunt. nam publice civitas talibus inceptis abhorrebat: attamen interfuere quidam Ubiorum Tungrorumque. sed plurima vis penes Treveros ac Lingonas, nec tulere moras consultandi. certatim proclamant: furere discordiis populum Romanum, caesas legiones, vastatam Italiam, capi cum maxime urbem, omnes exercitus suis quemque bellis distineri. si Alpes praesidiis firmentur, coalita libertate dispecturas Gallias, quem virium suarum terminum velint.

incendebatur. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. Beroald. Alc. sqq. — *incedebatur* ed. Put. V. — *incendebat* MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *incedebat* MS. Bud. — Quam varietatem puta ortam e compendio *incēdebat̃*.

proaviam. In ed. Weikerti legitur *provinciam.*

hi secretis. MS. Bodl. *his secretis*, quod Broterius vidit etiam in quibusdam editionibus mediae aetatis.

scrutari. Sic libri veteres. — Bipontini e sententia Pichenae ediderunt *scrutati.* Frustra.

obstrinxere. Ed. Spir. *astrinxere.* MS. Bodl. in margine *obstringere.*

in domum. MS. Guelf. omittit praepositionem *in*, quae fortasse absorpta est a praecedenti littera *i.*

inceptis. Sic MS. Guelf. edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. — *incoeptis* edd. Put. M. et V. — Ed. Spir. *coeptis.*

quidam. MS. Guelf. *quidem.* Ed. Put. V. *quida.*

Tungrorumque. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *Turingorumque* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. cf. not. ad Hist. 4, 16.

cum maxime. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. — *tunc maximè* MS. Guelf. — *tum maxime* MSS. Reg. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. — *tamen maxime* ed. Spir. cf. not. ad An. 3, 59. et 4, 27.

quemque. Ed. Spir. *queqꝫ.*

distineri. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Harl. Bodl. Bud. edd. Put. M. Rhenan. Ald. sqq. ad Ernestium, qui e MS. Reg. et ed. Spir. repetiit *detineri.* Sed cf. not. ad An. 11, 12. et 14, 25. — *destineri* (vitio typogr.) edd. Put. V. Beroald. Alciat. — *destinari* MS. Ies.

dispecturas. Sic edd. Rhenan. (tacite) Ald. sqq. — *despecturas* MSS. Reg. Guelf. Agr. aliique codd. et edd. Spir. Put. sqq. ad Rhenanum. MS. Reg. et ed. Spir. ante *despecturas* addunt *alias;* MS. Agr. *altius.* At insignis est scriptura codicis Florentini, qui teste Victorio exhibet *disceptas*, unde Victorius satis ingeniose vult fieri *disceptaturas.* cf. An. 15, 14. *discc-*

Leptitanorumque discordias componit, quae raptu frugum et pecorum inter agrestes modicis principiis iam per arma atque acies exercebantur. nam populus Oeensis multitudine inferior Garamantas exciverat, gentem indomitam et inter accolas latrociniis fecundam. unde artae Leptitanis res, lateque vastatis agris intra moenia trepidabant, donec interventu cohortium alarumque fusi Garamantes et recepta omnis praeda, nisi quam vagi per inaccessa mapalium ulterioribus vendiderant.

LI. At Vespasiano post Cremonensem pugnam et prosperos undique nuntios, cecidisse Vitellium multi cuiusque ordinis pari audacia fortunaque hibernum mare adgressi nuntiavere. Aderant legati regis Vologesi quadraginta Parthorum equitum millia offerentes. ma-

Plin. 5, 5. Ammian. Marc. 28, 6. Surita ad Antonin. Itiner. p. 62. ed. Wesseling. — Veteres libri variant. *Ophensium* MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. ad Ryckium et postea ed. Iac. Gronovii. — *Offensium* MS. Guelf. — *offensum* MS. Bud. et ed. Spir. — *offensam* MS. Reg. — *Aspensium* MS. Agr. — Pellerin, second supplément aux recueils de med. p. 48 et 49., censet corrigendum *Oeensium*, quia in antiquo nummo invenit: *Col. Aug. Oea.*

Leptitanorumque. cf. not. ad An. 3, 74.

modicis. MS. Guelf. *modiciis.* Scriba praecepit terminationem sequentis vocabuli. Idem liber mox *acie* pro *acies*, haud inepte. cf. not. ad An. 2, 70. sub vv. *haud minus ira quam per metum.*

Oeensis. MS. Guelf. edd. Put. sqq. *Ophensis.* Ed. Spir. *offensis.*

inferior. Ed. Spir. *inferiori.* — Eadem *Garamantes* pro *Garamantas.* De his cf. An. 3, 74.

fecundam. Sic (vel *foecundam*) MS. Guelf. edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. — *secundam* ed. Spir. — *facundam* edd. Put. M. et Ven.

artae Leptitanis res. *Artae* vel *arctae* MSS. Flor. (test. Ryckio) Guelf. Agr. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. et Ryckii sqq. — *arta L. res* edd. Rhen. (tacite) Ald. sqq. Sed cf. Hist. 3, 69. *artas res nuntiaret.*

omnis praeda. MS. Agr. et ed. Spir. *omni praeda.* — Idem cod. Agr. *vastis* pro *vastatis.*

Cap. 51. *hibernum mare.* Voc. *mare* in MS. Guelf. non legitur.

adgressi. Ferretus malebat *ingressi.* At vulgatum quoque se recte habere censuerunt Ernestius et Broterius. Debebant adfirmare multo melius se habere *adgressi.* Nam hoc exprimit audaciam, quae fuit in illa navigatione, valetque *adgredi* de re ardua, hostili, insidiosa.

quadraginta P. e. millia offerentes. cf. Sueton. Vesp. c. 6. In ed. Spir. voc. *millia* non apparet. Mox eadem *neque ambiri neque indigere.*

gnificum laetumque tantis sociorum auxiliis ambiri neque indigere. gratiae Vologeso actae mandatumque, ut legatos ad senatum mitteret et pacem esse sciret. Vespasianus in Italiam resque urbis intentus adversam de Domitiano famam accipit, tanquam terminos aetatis et concessa filio egrederetur. igitur validissimam exercitus partem Tito tradit ad reliqua Iudaici belli perpetranda.

LII. Titum, antequam digrederetur, multo apud patrem sermone orasse dicebatur, ne criminantium nuntiis temere accenderetur, integrumque se ac placabilem filio praestaret. non legiones, non classes perinde firma imperii munimenta quam numerum liberorum. nam amicos tempore, fortuna, cupidinibus aliquando aut erroribus imminui, transferri, desinere: suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime principibus, quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant. ne fratribus quidem mansuram concordiam, ni parens exemplum praebuisset. Vespasianus haud aeque Domitiano mitigatus quam Titi pietate gaudens bono esse animo iubet, belloque et armis rem publicam attolleret: sibi pacem domumque curae fore.

resque urbis. Ed. Spir. *rebus urbis*, neglecta copula *que*.

accipit. Sic edd. Puteol. sqq. — *accepit* MS. Guelf. et ed. Spir., quod fortasse erit restituendum.

Cap. 52. *Titum . . . dicebatur.* Sic libri veteres et recentiores. — Gutmannus et Rickle∫sius pro *dicebatur* volunt scribi *ferunt.* Sed cf. not. ad c. 46. De structura loci cf. not. ad Hist. 1, 90. sub vv. *Othonem uti credebatur.* Ramshorn. §. 168. n. 7. Plane sic Graeci. cf. Xiphil. 68, 1. λέγεται Φρόντωνα τὸν ὕπατον εἰπεῖν.

perinde firma. Sic MS. Guelf. edd. Rhen. Ald. sqq. — *proinde firma* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat.

munimenta. Ed Spir. *monimenta.* Eandem utriusque vocabuli confusionem vidimus An. 1, 3. — Mox ed. Spir. *libertorum* pro *liberorum.* Ibidem *tempore* per compendium scribitur *tpe.*

indiscretum. Ed. Spir. *indiserent.* — Mox eadem *ad inuictissimos* pro *ad iunctissimos.*

mansuram. MS. Flor. teste Victorio *mansurum* vitiose.

ni parens. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. Corb. Bud. Agr. edd. Spir. (haec *imparens*) Ernest. Broter. sqq. — *ni pater* MSS. Guelf. (de quo Broterius falsus est) Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. sqq.

Titi pietate. Ed. Spir. negligit vocabulum *Titi.*

iubet. Hoc abest a MS. Bud.

attolleret. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *attollerent*

Tum celerrimas navium *frumento onustas* saevo adhuc mari committit. *quippe* tanto discrimine urbs nutabat, ut decem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit, *cum* a Vespasiano commeatus subvenere.

LIII. Curam restituendi Capitolii in L. Vestinum confert equestris ordinis virum, sed auctoritate famaque inter proceres. ab eo contracti haruspices monuere, ut reliquiae prioris delubri in paludes aveherentur, templum iisdem vestigiis sisteretur. nolle deos mutari veterem formam. Undecimo Kal. Iulias serena luce spatium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque. ingressi milites, quis fausta nomina, fe-

MS. Ies. — *attollere* MSS. Reg. Bud. edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. Sed non video, quid veterem scripturam impediat aut quo praestet altera. Immo *attolleret* commodius et concinnius est, amatque Tacitus structurae varietatem.

frumento onustas. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. *honustas.* Ed. Spir. *onustas frumento.* — Eadem in fine capitis: *tum a Vespasiano comeatus subvenire.*

Cap. 53. *Curam restituendi Capitolii.* MS. Corb. *cura.* Quare Broterius suspicatur olim scriptum fuisse: *cura .... confertur.* Sed ceteri libri in vulgata scriptura consentiunt. Dissensus est inter Tacitum et Suetonium Vesp. c. 8. Xiphilinumque 66, 10. Nam Suet. l. l. *Ipse restitutionem Capitolii aggressus ruderibus purgandis manus primus admovit ac suo collo quaedam extulit.* Xiphil. l. l. *τόν τε νεὼν τὸν ἐν Καπιτωλίῳ εὐθὺς οἰκοδομεῖν ἤρξατο, αὐτός τι τοῦ χοῦ πρῶτος ἐκφορήσας καὶ δηλονότι καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐπιφανεστάτοις τὸ αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι κελεύσας* etc. De re cf. Plutarch. Poplicola c. 15. Conciliari cum Tacito utrumque posse censuit Philipp. a Turre ad Monum. vet. Antii P. I. c. 7. Is suspicatur solemnia dedicationis a Vestino peracta XI. Kal. Iul., sed rudera purgata a Vespasiano praesente. Contra illum recte disseruit Reimarus ad Xiphil. l. l. purgata rudera ante dedicationem, hinc fundamenta novi templi iacta absente Vespasiano diserte a Tacito narrari. Et Savilius ad hunc Taciti locum satis docuit Vespasianum non nisi declivi aestate Romam potuisse venire.

ab eo. MS. Corb. *ad ea.*

haruspices. Sic edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *aruspices* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. — *harispices* MS. Flor. (test. Vict.) hic et infr.

aveherentur. Ed. Spir. *adueherentur.* Sed vid. not. ad An. 16, 2. MS. Ies. *aveherent.*

iisdem. Ed. Spir. *hisdem*, uti solet. — Eadem mox pro *vittis coronisque* exhibet *victis cornisque* neque agnoscit distinctionem, quae est ante *ingressi*, eandemque et Acidalius deletam cupiebat, ut verba: *undecimo . . . perluere* continuam efficerent orationem. Sed apertum est verbum *perluere* ad postremum tantum spectare membrum.

quis fausta nomina. Primum vocabulum *quis* Iac. Gronovius et Ernestius restituerunt e MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronovio contra Ryckium, qui ibi esse prodiderat

licibus ramis: dein virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis matrimisque aqua vivis e fontibus amnibusque hausta perluere. tum Helvidius Priscus praetor praeeunte

qui) Vatic. 1863. Reg. Corb. Agr. ed. Spir. pro *quibus*, quod exstat in MSS. Guelf. Bodl. Harl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. ad Iac. Gronovium. Deinde *nomina* reduxit Lipsius e MS. Vat., cum quo consentiunt Flor. (test. Vict. cum Pichena) Reg. Corb. Bodl. Bud. ed. Spir. Idem in MSS. Harl. et Ies. superscripsit secunda manus, quum a prima manu ibi sit *omina*, ut in cod. Agr. edd. Put. sqq. ad Lipsium. MS. Guelf. *omnia*. Lipsius bene emendavit. cf. Cic. de Divin. 1, 45, 102. Plin. 28, 2. Ille: *Quum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus qui hostias ducerent eligebantur: quod idem in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Hic l. l.: *Cur publicis lustris etiam nomina victimas ducentium prospera legimus.* cf. Davis. ad Cic. Nat. D. 2, 27. init. Beier. ad Cic. or. pro Scauro p. 181 sq.

dein virgines Vestales. Ed. Spir. *deiñ virginibus vestales.*

patrimis matrimisque. Sunt pueri puellaeque e matrimonio confarreato oriundi. cf. Liv. 37, 3. Cic. de harup. resp. 11, 31. Sed secundum Festum patrimi et matrimi sunt etiam, qui patrem matremque superstites habent, talesque hic intelligendos facile tibi persuadebis. Nam homines confarreatis parentibus nati tunc erant rari. cf. Tacit. An. 4, 16. Ceterum pro *patrimis matrimisque* MS. Guelf. fert *paternis maternisque*. Ed. Spir. *patrinis maternisque*.

aqua vivis e fontibus amnibusque hausta. E praestantissima emendatione Iac. Gronovii, quam in verborum ordinem recepit Ernestius. At dudum Victorius eadem suaserat in suo exemplari Beroaldino, nisi quod *is* legit: *aqua vivis et fontibus amnibusque hausta.* Veteres libri locum varie corrumpunt. MS. Flor. (test. Ryckio): *aqua trimis e fontibus amnibusque hausta.* Victorius intactam reliquit scripturam: *a quatrimis et fontibus omnibusque hausta*, quae exstat in edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. — *aqua rivis et fontibus amnibusque hausta* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. — *aquarinis et fontibus hausta* MS. Bud. — *aqua trinis e fontibus omnibus hausta* MS. Agr. Secunda manus e *trinis* fecit *ternis*. — *aquaturis e fontibus hausta* MS. Reg. — *aqua rivis et fontibus amnibusque hausta* edd. Rhenan. Ald. sqq. ad Ernestium. Ryckius coniecerat *aqua vicinis e fontibus amnibusque hausta* parum feliciter.

perluere. Ex emendatione Rhenani, quam ipse in locum recepit. — *pluere* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat. Nimirum debebant scribere *p̄luere*, quod est compendium verbi *perluere*. — *plueret* MS. Bud. et ed. Spir. In MS. Guelf. quoque secunda manus superscripsit litteram *t*. — *perlueret* MS. Corb. — Antonius Augustinus malebat *perpluere*, quod Ernestio etiam magis placet quam *perluere*. Nam adspersionem illam ait fuisse areae lustrandae causa, de qua re *perpluere* dici posse, non *perluere*. Fallitur. Nam lustrationi haud dubie melius convenit *perluere* quam illud, quippe a verbo *luere* descendit vocabulum *lustrationis*, neque a *pluere*.

praeeunte. Int. verba precationis. cf. Sueton. Claud. c. 22. Plin. 28, 2. Strombeckius non satis recte interpretatus est: *vor welchem der Oberpriester ... herging.*

Plautio Aeliano pontifice lustrata suovetaurilibus area et super caespitem redditis extis Iovem, Iunonem, Minervam praesidesque imperii deos precatus, uti coepta prosperarent, sedesque suas pietate hominum inchoatas divina ope attollerent, vittas, quis ligatus lapis innexique funes erant, contigit. simul ceteri magistratus et sacerdotes et senatus et eques et magna pars populi studio laetitiaque connixi saxum ingens traxere. passimque iniectae fundamentis argenti aurique stipes et metallorum primitiae nullis fornacibus victae sed ut gignuntur. praedixere haruspices, ne

Plautio Aeliano. Ita illud nomen scribendum docuerunt Ursinus et Ryckius ex inscriptione Tiburtina. cf. Vulpii Vet. Latium Tom. X. Part. I. p. 340 Piranesi Antichita Rom. Tab. XI, sqq. Gruter. p. 453. In locum recepere Lallemandus, Broterius, Ernestius sqq. In *Aeliano* consentit MS. Harl. — MS. Flor. (test. Vict.) *Plauto Heliano.* — Ed. Spir. *Plauto eliano.* — MSS. Guelf. Bodl. Ies. Corb. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Rhen. sqq. ad Lipsium *Plauto Heliatio.* — MS. Vatic. edd. Lips. sqq. *Plauto Eliano.*

lustrata suovetaurilibus. Ex emendatione Lipsii edd. Pich. Gruter. sqq. Rectissime. Adnuit MS. Florent., in quo (test. Vict.) legitur: *lustratas bouetaurilibus.* Eadem insunt ed. Spirensi et MSStis Vatic. 1863. Reg. Agr. — *bovetauribus* MS. Covarruv. — *lustrata bove taurisque* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. ad Lipsium. cf. not. ad An. 6, 37. Spalding. ad Quint. I, 1. §. 67.

area. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *aream*, quod vitium e totius loci confusione ortum puta. Vulgatam formam tuentur MS. Guelf. edd. Puteol. sqq.

et super caespitem. *super* MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Guelf. Harl. Ies. Reg. Corb. Agr. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *secundum* MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Eandem confusionem e compendio scripturae ortam et alibi vidimus. cf. not. ad Hist. 1, 51.

redditis extis. cf. Sueton. Oct. c. 1. *ut in posterum quoque simili modo exta Marti redderentur.* Vid. Brisson. de formulis p. 24.

coepta. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *coeptas.* Num excidit *res*, an sequentes accusativi (*sedesque suas ... inchoatas*) vitium peperere? — Mox cod. Flor. (test. Vict.) exhibet etiam *pietates* pro *pietate.*

inchoatas. Sic edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *incohatas* MS. Guelf. et ed. Spir. — Mox eadem ed. Spir. *victas* pro *vittas*, ut supra.

quis ligatus. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. — *quibus ligatus* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Pichenam.

magna pars. Ed. Spir. *pars magna.* — Eadem mox *et auri quę stipes.*

sed ut gignuntur. Sic MS. Bud. edd. Put. sqq. — *sed ut gnignuntur* MS. Guelf. — *sed ut signantur* MS. Flor. (teste Ryckio) et ed. Spir. At Victorius e Florent. adfert *signuntur.* MS. Corb. *et ut signanter.* MS. Agr. *sed et signan-*

temeraretur opus saxo aurove in aliud destinato. Altitudo aedibus adiecta. id solum religio adnuere et prioris templi magnificentiae defuisse creditum.

LIV. Audita interim per Gallias Germaniasque mors Vitellii duplicaverat bellum. nam Civilis omissa dissimulatione in populum Romanum ruere. Vitellianae legiones vel externum servitium quam imperatorem Vespasianum malle. Galli sustulerant animos eandem ubique exercituum nostrorum fortunam rati, vulgato rumore a Sarmatis Dacisque Moesica ac Pannonica hiberna circumsideri. paria de Britannia fingebantur. Sed nihil aeque quam incendium Capitolii, ut finem imperio adesse crederent, impulerat. Captam olim a Gallis urbem: sed integra Iovis sede mansisse imperium. fatali nunc igne signum coelestis irae datum et possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi

ter praedixere haruspices etc., quae placebant Ryckio, *signanter* eadem notione dictum putans ac *significanter*. Sed vix dubia esse potest scriptura vulgata. Nam quanquam Ernestius animadvertit verba *sed ut gignuntur* abundanter adesse, quia metalla nullis fornacibus victa sunt metalla ut gignuntur, nemo tamen nescit eiusmodi abundantiam inveniri apud optimos scriptores. cf. not. ad An. 6, 24. sub vv. *alienationem mentis simulans*.

temeraretur. MS. Guelf. *venerarentur*.

creditum. MS. Flor. (test. Vict.) hic pergit: *crede q. tanta vis* etc. cf. not. ad c. 46. Ed. Spir. *crede tanta vis* etc. MS. Guelf. *creditum. quo tanta vis* etc. et ita edd. Puteol. sqq. Ceterum pleraeque editiones post *adnuere* male ponunt pleniorem distinctionem: nam id etiam verbum pendet e *creditum*, quia ad *religio* e *creditum* intelligendum est *credita*. cf. not. ad An. 1, 15. sub v. *utque*.

Cap. 54. *Germaniasque*. Ed. Spir. *et germanias*.

vel externum. MSS. Guelf. et Bud. *vel extremum*. Particulam *vel* Rhenanus tacite omiserat invitis veteribus libris: Pichena restituit.

vulgato rumore. Ed. Spir. *volgatorum more*. — Mox eadem *a Salmatis* pro *a Sarmatis*; *et Pannonia* pro *ac Pannonica*; *circumsederi* pro *circumsideri*.

finem imperio. Sic MSS. Flor. (test. Ryck.) Reg. Agr. edd. Spir. Berold. (cum silentio Vict.) Ryck. Ernest. Broter. sqq. — *finem imperii* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Bud. edd. Put. Alc. sqq. ad Ryckium et postea ed. Iac. Gronovii. — *imperii finem* MS. Ies. cf. An. 2, 21. *finem bello fore*, et not. ad 2, 33. sub vv. *modum argento*.

crederent. Ed. Lips. (1607.) *crederetur*.

fatali. Ed. Spir. *fatale*. — Eadem mox *passionem* pro *possessionem*; *portenti* pro *portendi*; *superstitionē vanā* pro *superstitione vana*.

superstitione vana Druidae canebant. Incesseratque fama primores Galliarum ab Othone adversus Vitellium missos, antequam digrederentur, pepigisse, ne deessent libertati, si populum Romanum continua bellorum civilium series et interna mala fregissent.

LV. Ante Flacci Hordeonii caedem nihil prorupit, quo coniuratio intelligeretur. Interfecto Hordeonio commeavere nuntii inter Civilem Classicumque praefectum alae Treverorum. Classicus nobilitate opibusque ante alios. regium illi genus et pace belloque clara origo. ipse e maioribus suis hostis populi Romani quam socius iactabat. Miscuere sese Iulius Tutor et Iulius Sabinus, hic Trevir, hic Lingon. Tutor ripae

Druidae. MS. Flor. teste Victorio *druuidę.*

primores Galliarum. Intellige primores Gall. in urbe praesentes et inde ab Othone missos, ut populares suos adversus Vit. concitarent.

adversus Vitellium. MS. Bud. *versus Vitellium.*

bellorum civilium. MS. Guelf. *civilium bellorum.* Ab ed. Spir. voc. *civilium* abest.

et interna mala. Ed. Spir. *et intervalla.*

Cap. 55. *Hordeonii.* Sic edd. Spir. Ald. Lips. sqq. — *Ordeonii* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Micyll. et ita paulo post, nisi quod MS. Guelf. infra habet *Ordeoneo.*

prorupit. MS. Agr. *erupit.*

commeavere. MS. Guelf. *coniuravere.*

Treverorum. Sic editiones Lipsii sqq. — *Trevirorum* MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium, et ita mox *Treveros* et *Treviros.* Sed c. 57. Victorius e *Treviris* fecit *Treveris.*

ante alios. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Vatic. 1863. Covarruv. Reg. Agr. Bud. (a prima manu) edd. Spir. Pich. Grut. sqq. — *anteibat alios* MSS. Guelf. Harl. Bodl. edd. Put. sqq. ad Pichenam. Sed vid. not. ad An. 1, 27. et Hist. 5, 12.

ipse e maioribus suis etc. Haec ita Lipsius restituit ex ingenio (anno 1574.), ut ipse fatetur. At eadem plane insunt editioni Spirensi et codici Budensi a prima manu. — *is se e maioribus suis* etc. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Bud. (a secunda manu) edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. ad Lipsium. Mercerus, Pichena et Ernestius malebant: *is e maioribus suis hostis* (h. e. *hostes*) *p. R. quam socius iactabat.* Sed vulgata se habent bene. Inest structura Graeca, de qua vid. Butmann. Gr. Gr. §. 129. et Matthiae §. 535. Ceterum MS. Ies. praefert: *is se e moribus suis.*

hic Lingon. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Puteol. sqq. — *hic Lingonus* MS. Flor. testibus Victorio cum Ryckio. — cf. Martial. 8, 75. *Dum repetit sera conductos nocte penates Lingonus a recta Flaminiaque recens.* — *hic Lingonius* MSS. Reg. Agr. ed. Spir. At sunt *Lingones* Hist. 1, 53. 57. 64. et alibi. Duplicatum *hic* sic etiam ponitur An. 14, 8. Virgil. Ecl. 4, 56. Cic. ad divers. 9, 16.

Rheni a Vitellio praefectus: Sabinus super insitam vanitatem falsae stirpis gloria incendebatur, proaviam suam divo Iulio per Gallias bellanti corpore atque adulterio placuisse. Hi secretis sermonibus animos ceterorum scrutari. ubi, quos idoneos rebantur, conscientia obstrinxere, in colonia Agrippinensi in domum privatam conveniunt. nam publice civitas talibus inceptis abhorrebat: attamen interfuere quidam Ubiorum Tungrorumque. sed plurima vis penes Treveros ac Lingonas, nec tulere moras consultandi. certatim proclamant: furere discordiis populum Romanum, caesas legiones, vastatam Italiam, capi cum maxime urbem, omnes exercitus suis quemque bellis distineri. si Alpes praesidiis firmentur, coalita libertate dispecturas Gallias, quem virium suarum terminum velint.

incendebatur. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. Beroald. Alc. sqq. — *incedebatur* ed. Put. V. — *incendebat* MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *incedebat* MS. Bud. — Quam varietatem puta ortam e compendio *incēdebat*.

proaviam. In ed. Weikerti legitur *provinciam.*

hi secretis. MS. Bodl. *his secretis*, quod Broterius vidit etiam in quibusdam editionibus mediae aetatis.

scrutari. Sic libri veteres. — Bipontini e sententia Pichenae ediderunt *scrutati.* Frustra.

obstrinxere. Ed. Spir. *astrinxere.* MS. Bodl. in margine *obstringere.*

in domum. MS. Guelf. omittit praepositionem *in*, quae fortasse absorpta est a praecedenti littera *i.*

inceptis. Sic MS. Guelf. edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. — *incoeptis* edd. Put. M. et V. — Ed. Spir. *coeptis.*

quidam. MS. Guelf. *quidem.* Ed. Put. V. *quida.*

Tungrorumque. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *Turingorumque* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. cf. not. ad Hist. 4, 16.

cum maxime. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. — *tunc maximè* MS. Guelf. — *tum maxime* MSS. Reg. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. — *tamen maxime* ed. Spir. cf. not. ad An. 3, 59. et 4, 27.

quemque. Ed. Spir. *queq3.*

distineri. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Harl. Bodl. Bud. edd. Put. M. Rhenan. Ald. sqq. ad Ernestium, qui e MS. Reg. et ed. Spir. repetiit *detineri.* Sed cf. not. ad An. 11, 12. et 14, 25. — *destineri* (vitio typogr.) edd. Put. V. Beroald. Alciat. — *destinari* MS. Ies.

dispecturas. Sic edd. Rhenan. (tacite) Ald. sqq. — *despecturas* MSS. Reg. Guelf. Agr. aliique codd. et edd. Spir. Put. sqq. ad Rhenanum. MS. Reg. et ed. Spir. ante *despecturas* addunt *alias;* MS. Agr. *altius.* At insignis est scriptura codicis Florentini, qui teste Victorio exhibet *disceptas*, unde Victorius satis ingeniose vult fieri *disceptaturas.* cf. An. 15, 14. *disce-*

LVI. Haec dicta pariter probataque: de reliquiis Vitelliani exercitus dubitavere. plerique interficiendos censebant turbidos, infidos, sanguine ducum pollutos. Vicit ratio parcendi, ne sublata spe veniae pertinaciam accenderent. adliciendos potius in societatem. legatis tantum legionum interfectis ceterum vulgus conscientia scelerum et spe impunitatis facile accessurum. Ea primi consilii forma. missique per Gallias concitores belli. simulatum ipsis obsequium, quo incautiorem Voculam opprimerent. nec defuere qui Voculae nuntiarent. sed vires ad coercendum deerant infrequentibus infidisque legionibus. Inter ambiguos milites et occultos hostes optimum e praesentibus ratus mutua dissimulatione et iisdem, quibus petebatur, artibus grassari in coloniam Agrippinensem descendit. illuc

ptato multum; 14, 18. *disceptator agrorum*. Sed non poenitet emendationis Rhenani. Nam *dispicere* loco bene convenit. Cf. Plin. ep. 1, 5. *dispicies ipse*. Id. 7, 33. *dispice*, et ita saepius. Tacit. An. 13, 27. *dispiceret quisque merita* etc. cf. Ernest. Cl. Cic. h. v.

Cap. 56. *de reliquiis*. MSS. Bud. Agr. (a prima manu) *de reliquis*.

pertinaciam accenderent. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Agr. Reg. edd. Spir. Ernest. Broter. sqq. Victorius, Pichena et Iac. Gronovius silentio transierunt scripturam: *pertinacia accenderentur*, quae exstat in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Ernestium. MS. Bud. *pertinaciam attenderent*.

adliciendos. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *alliciendo*, ut ita haec cum praecedentibus coniungantur et *adliciendo*, ut saepe, sit pro participio *adlicientes*. Ceteri libri vulgatum tuentur. Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. ferunt *aliciendos*. — Mox MS. Flor. teste Victorio *volgus*, uti solet.

consilii. Sic MS. Reg. edd. Spir. Beroald. (cum silent. Vict.) Ernest. Brot. sqq. — *concilii* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. Alc. Rhen. sqq. ad Ernestium. — *consilii* MS. Bud. cf. not. ad Germ. c. 6.

concitores belli. MS. Ies. *concitatores*. Sed cf. not. ad Hist. 3, 2.

opprimerent. Ed. Spir. *opprimeret*.

infidisque legionibus. MS. Reg. et ed. Spir. *inuidisque legionibus*. In MS. Bud. haec desiderantur.

optimum. MS. Agr. et ed. Spir. *oportunum*. — Mox ed. Spir. *hisdem* pro *iisdem*. Ed. Put. V. *issdem*.

dissimulatione. MS. Bodl *discordia*, in margine *dissimulatione*.

artibus. Hoc vocabulum in MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Reg. Bud. ed. Spir. non legitur probante Iac. Gronovio. Habent illud MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Agr. edd. Puteol. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq., et aptius haud dubie *artibus* adest.

grassari. Ed. Spir. *crassari*.

illuc. MS. Guelf. *illic*.

Claudius Labeo, quem captum et extra conventum amandatum in Frisios diximus, corruptis custodibus perfugit, pollicitusque, si praesidium daretur, iturum in Batavos et potiorem civitatis partem ad societatem Romanam retracturum, accepta peditum equitumque modica manu nihil apud Batavos ausus, quosdam Nerviorum Betasiorumque in arma traxit. et furtim magis quam bello Canninefates Marsacosque incursabat. Vocula Gallorum fraude inlectus ad hostem contendit.

LVII. Nec procul Veteribus aberat, cum Classicus ac Tutor per speciem explorandi praegressi cum du-

Claudius. MS. Guelf. *gladius.* Ed. Spir. *gladiis.*

extra conventum amandatum. Sic MS. Agr. edd. Rhenan. Ald. sqq. — *extra commentum amandatum* MS. Bodl. (in margine *continentem* pro *commentum*) edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. — *extra commentum emendatum* MSS. Reg. Bud. ed. Spir. (*emendatum* legitur etiam in margine codd. Harl. et Ies.). — *extra continentem amnem* MSS. Guelf. Harl. Ies. Hariolantur, quia vestigia codicis Florentini sunt obscura. Nam teste Pichena ille habet *cōmtum* pro *conventum.* Victorius intactum reliquit *commentum:* pro *amandatum* idem inde adfert *amendatum.* Accedunt virorum doctorum coniecturae. Boxhornius coniecit: *extra continentem amandatum.* Sed *in Frisios* non est *extra continentem.* Bipontini: *extra civitatem* vel *extra confinium.* Oberlinus: *extra comitium.* I. Fr. Gronovius et Ryckius vulgatam scripturam tuentur atque vocabulum *conventus* accipiunt de civitate Batavorum unum conventum iuridicum efficiente. Solebant enim provinciae dividi in plures conventus. cf. Plin. ep. 3, 1. et 3. Alii, ut Ricklefsius, *conventum* interpretantur societatem eorum, qui arma ceperant contra Romanos. Gutmannus: *außer Landes.* Strombeckius: *von der Verschwörung ausgeschlossen.* Bahrdtius: *von der Versammlung weg.*

diximus. cf. supra c. 18.

iturum. Editio Oberlini lapsu operarum fert *iterum,* quod Herbst. in Animadverss. p. 32. ingeniosissime coniecit esse corrigendum *iturum.* Scilicet *iturum* habent omnes libri ante Oberlinum et editi et manu scripti.

peditum. Ed. Spir. *pedium.*

modica. MS. Guelf. *optima.*

Betasiorumque. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhenan. Ald. Micylli. — *Bettasiorumque* MS. Guelf. (non *Bertasiorum,* uti prodidit Ernestius. Solet autem ille liber duplicare litteram etiam in vocabulo *Batavi,* ut constanter scribat *Battavi*). Lipsius (ab anno 1574.) ediderat *Bethasiorumque,* uti est in cod. Bud. et infr. c. 66. in libris veteribus meis. Ernestius veterem scripturam restituit. — *Becasiorumque* MSS. Reg. Agr. ed. Spir. vulgari illa litterarum *t* et *c* confusione.

Gallorum. Hoc non legitur in ed. Spir.

Cap. 57. *procul Veteribus.* Ed. Spir. *procul a Veteribus.* cf. not. ad Hist. 4, 22. Eadem mox *ac Tutor* pro *et Tutor.*

praegressi. MS. Guelf. *progressi.* cf. not. ad An. 14, 13. sub v.

cibus Germanorum pacta firmavere. tumque primum discreti a legionibus proprio vallo castra sua circumdant, obtestante Vocula non adeo turbatam civilibus armis rem Romanam, ut Treveris etiam Lingonibusque despectui sit. superesse fidas provincias, victores exercitus, fortunam imperii et ultores deos. Sic olim Sacrovirum et Aeduos, nuper Vindicem Galliasque singulis proeliis concidisse. eadem rursus numina, eadem fata ruptores foederum exspectarent. Melius divo Iulio divoque Augusto notos eorum animos. Galbam et infracta tributa hostiles spiritus induisse. nunc hostes, quia molle servitium, cum spoliati exutique fuerint, amicos fore. Haec ferociter locutus, postquam perstare in perfidia Classicum Tutoremque videt, verso itinere Novesium concedit. Galli duum millium spatio distantibus campis consedere. illuc commeantium centurionum militumque emebantur animi, ut (flagitium incognitum) Romanus exercitus in externa verba iurarent pignusque tanti sceleris nece aut vinculis legatorum daretur. Vocula, quanquam plerique fugam suadebant, audendum ratus vocata concione in hunc modum disseruit.

LVIII. „Nunquam apud vos verba feci aut pro „vobis sollicitior aut pro me securior. nam mihi exi-

praegredi, quod si verum ibi est, *praegressi* huic quoque loco erit servandum.

obtestante. Ed. Spir. *obstante*.

Aeduos. Sic MS. Guelf. edd. Lipsii sqq. — *Heduos* edd. Spir. Put. sqq. ad Lipsium cum silentio Victorii.

numina. Ita ediderunt Rhenan. (ex ingenio) Ald. sqq. — *nomina* MSS. Flor. (teste Ryckio) Reg. Agr. ed. Spir., quod haud dubie est pro *numina*. cf. not. ad An. 1, 73. — *omina* MSS. Bodl. Harl. (in margine) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Victorii). — *omnia* MSS. Guelf. Harl. le.. ed. Alc.

Galbam et infracta tributa. cf. Hist. 1, 51. Nam de Gallis in universum Vocula loquitur.

spoliati exutique. Synonyma. cf. Roth. p. 17. — Mox ed. Spir. *fuerunt* pro *fuerint*. Talia etiam vitia e compendio scripturae originem traxerunt.

Novesium concedit. Ed. Spir. *nonesium conscendit*. — Mox eadem *insidere* pro *consedere*, *centurionumque* pro *centurionum militumque*.

Cap. 58. *pro me securior*. Similis locutio exstat in vita Agr. c. 26. *pro salute secure*.

„tium parari, libens audio: mortemque in tot malis „* hostium, ut finem miseriarum exspecto. vestri me „pudet miseretque, adversus quos non proelium et acies „parantur: id enim fas armorum et ius hostium: bel„lum cum populo Romano vestris se manibus gesturum „Classicus sperat imperiumque et sacramentum Gallia„rum ostentat. Adeo nos, si fortuna in praesens vir„tusque deseruit, etiam vetera exempla deficiunt, quo„tiens Romanae legiones perire praeoptaverint, ne loco

*in tot malis * hostium.* Haec verba sunt in codicibus MSS. et veteribus editionibus. Plurimis tamen interpretibus vox *hostium* corrupta est visa. Quare Lipsius coniecit: *portum et finem*, vel: *in tot malis honestam.* I. Fr. Gronovius: *otium et finem miseriarum.* Picheua: *in tot malis hodie ut finem* etc. Trillerus: *ostium et finem*, ut ita mors ostium sive ianua miseriarum dicatur. Hunc Ernestius bene refutavit docendo *ostium miseriarum* potius esse aditum ad miserias quam exitum. Colerus: *in tot manibus hostium.* Bipontini pro *hostium* volunt *extremum.* Oberlinus recepit Lipsii coniecturam: *honestam*, quae tamen nihili esse videtur. Nam de honestate hic plane non est sermo, nec apparet, cur mors in tot malis accepta dicatur honesta. Immo cap. 59. eandem *foedissimam* habitam legemus. Mala saltem morti nil addunt honestatis. Gutmannus adplaudente Ricklefsio emendat: *in tot malis non maestam.* Vix credo verba *non maestam* ita abire potuisse in *hostium*, ut ne vestigium quidem genuinae scripturae in veteribus libris relinqueretur. Broterius cum Huetio in vocabulo *hostium* acquiescit, ut *mala hostium* intelligantur mala ex hostibus imminentia. Ernestius obiicit mala Voculae non modo ab hostibus, etiam a suis fuisse. Ni omnia me fallunt, olim scriptum fuit: *mortem in tot malis haustam.* Sic Virg. Aen. 4, 382. sq. *Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt, Supplicia hausurum scopulis et nomine Dido Saepe vocaturum.* Simile est *luctum haurire* apud Cic. pro Sext. c. 29. Idem pro dom. c. 11, 30. Tusc. quaest. 1, 35, 86. *calamitatem haurire.*

me pudet. MS. Guelf. *ne pudet.*

non proelium. Ed. Spir. *nunc proelium.*

ius hostium. MSS. Flor. (teste Pichena) Bud. Agr. et editio Bekkeri addunt *est*, quod omittitur in ceteris libris cum silentio Victorii.

adeo nos. MSS. Agr. Harl. ed. Ryck. *adeo vos*, idque postulari ob commoti obiurgantisque orationem et ob praecedentia *vestri me pudet* etc. censuit Ryckius. At vocabulum *nos* non significat Voculam eiusque exercitum, sed Romanos in universum. — Ceterum edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alciat. signum interrogationis ponunt post *deficiunt;* MS. Guelf. vero et edd. Rhen. Ald. Micyll. Lips. id collocant post *pellerentur.* Pichena abegit.

virtusque. MS. Bud. omittit *virtus* remanente copula *que.* — Mox MS. Guelf. *et* pro *etiam;* ed. Spir. *acies* pro *legiones.*

praeoptaverint. Editiones Lipsii posteriores *praeoptaverunt*, puncto posito post *deficiunt.*

„pellerentur? socii saepe nostri exscindi urbes suas se„que cum coniugibus ac liberis cremari pertulerunt, „neque aliud pretium exitus quam fides famaque. To„lerant cum maxime inopiam obsidiumque apud Vetera „legiones nec terrore aut promissis demoventur. nobis „super arma et viros et egregia castrorum munimenta „frumentum et commeatus quamvis longo bello pares. „pecunia nuper etiam donativo suffecit: quod sive a „Vespasiano sive a Vitellio datum interpretari mavultis, „ab imperatore certe Romano accepistis. Tot bellorum „victores, apud Geldubam, apud Vetera fuso totiens „hoste, si pavetis aciem, indignum id quidem: sed est „vallum murique et trahendi artes, donec e proximis „provinciis auxilia exercitusque concurrant. sin ego „displiceam, sunt alii legati, tribuni, centurio deni„que aut miles, ne hoc prodigium toto terrarum orbe „vulgetur, vobis satellitibus Civilem et Classicum Ita-

ac liberis. Ed. Spir. *et liberis.* — Mox eadem pergit: *famaque tulerant: cum maxime* etc.

cum maxime. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Bud. edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. — *nunc maxime* MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. — *quur* vel *quor* (h. e. *cur*) *nunc maxime* MSS. Guelf. Harl. Ies. cf. not. ad c. 55.

apud Vetera legiones. MS. Bud. et ed. Spir. *apud veteres legiones.* MS. Guelf. *apud veteras legiones*.

demoventur. MS. Guelf. *dimoventur.* cf. not. ad An. 2, 48. et 6, 24. 30.

et viros. MS. Guelf. *et vires.* — Mox ed. Spir. *et donativo* pro *etiam donativo.*

suffecit. Ex emendatione Lipsii, quam in locum primus recepit Pichena. MSS. et veteres editiones *sufficit.* At donativum iam acceperant.

sin ego. Sic MS. Reg. et ed. Spir., quod magis placet quam *sane ego*, quod praeferunt ceteri libri. Nam indignum est duce fateri atque concedere: *sane ego displiceam.* — *Sin* respicit ad *si.*

centurio denique aut miles. Sic edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc., quam scripturam Lipsius restituit e veteribus libris. — *centurioque aut miles* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Rhenan. Ald. Micyll. — *centurio denique et miles* MS. Reg.

toto terrarum orbe. Haec Ernestio videbantur frigida et suspecta. At inest egregia vis, ut atrocissimum describatur prodigium. Levia enim prodigia procul non audiuntur: quo autem sunt atrociora, eo divulgantur longius. Ceterum veterum librorum auctoritate plenam distinctionem post *miles* sustuli, quam Rhenanus primus posuerat. Nam sententia loci est: Sunt alii ex quibus ducem eligatis, ne Civilem et Classicum duces habeatis et *ne hoc prodigium* etc.

„liam invasuros. An, si ad moenia urbis Germani Gal„lique duxerint, arma patriae inferetis? horret animus „tanti flagitii imagine. Tutorin' Trevero agentur ex„cubiae? signum belli Batavus dabit? et Germano„rum catervas supplebitis? quis deinde sceleris exitus, „cum Romanae legiones contra direxerint? transfugae „e transfugis et proditores e proditoribus inter recens „et vetus sacramentum invisi deis errabitis? Te, Iu„piter Optime Maxime, quem per octingentos viginti „annos tot triumphis coluimus, te, Quirine Romanae „parens urbis, precor venerorque, ut, si vobis non fuit „cordi, me duce haec castra incorrupta et intemerata „servari, at certe pollui foedarique a Tutore et Classico „ne sinatis, militibus Romanis aut innocentiam detis, „aut maturam et sine noxa poenitentiam."

LIX. Varie excepta oratio inter spem metumque ac pudorem. Digressum Voculam et de supremis agitantem liberti servique prohibuere foedissimam mortem sponte praevenire. et Classicus misso Aemilio Longino

an si. Sic edd. Spir. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *aut si* MS. Bodl. — *at si* MSS. Guelf. Harl. Ies. (Harl. a secunda manu *an si*).

Tutorin' Trevero. Sic MS. Flor. (teste Iac. Gronovio) et suadente Iac. Gronovio edd. Oberlin. sqq. — *Tutor in* MSS. Reg. Bud. ed. Spir., quae scriptura codicis Florentini auctoritatem confirmat. — *Tutori* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Puteol. Beroald. (cum silentio Victorii) sqq. Pro *Trevero* MS. Reg. habet *Treuiros.*

agentur. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Rhen. sqq. — *aguntur* ed. Spir. — *augentur* ed. Alc.

signum belli. Vocabulum *belli* in MS. Agr. et ed. Spir. non legitur. Ante *Germanorum* Pichena, Berneggerus sqq. omiserunt copulam *et*: quae quum sit in MSS. et veteribus editionibus (cum silentio Victorii), neque inepte, restituo.

direxerint. MS. Flor. teste Victorio *derexerint.*

e proditoribus. Ed. Spir. *ex proditoribus.*

Iupiter. Ed. Spir. *Iuppiter.*

octingentos viginti. Vid. not. ad Hist. 1, 1. MS. Guelf. hoc loco habet *ducentos xx*[ti]. — Idem mox *colimus* pro *coluimus.*

fuit cordi. A MS. Bud. abest voc. *cordi*, et mox verba: *certe pollui foedarique a Tutore et.*

ne sinatis. Ed. Spir. *non sinatis*

maturam. MS. Guelf. *naturam.*

Cap. 59. *ac pudorem.* Operarum lapsu in editionem Oberlini venit *ad pudorem*, quod Naudetus repetiit.

mortem sponte. Ed. Spir. *mortem morte.*

desertore primae legionis caedem eius maturavit. Herennium et Numisium legatos vinciri satis visum. Dein sumptis Romani imperii insignibus in castra venit. nec illi quanquam ad omne facinus durato verba ultra suppeditavere quam ut sacramentum recitaret. iuravere, qui aderant, pro imperio Galliarum. Interfectorem Voculae altis ordinibus, ceteros, ut quisque flagitium navaverat, praemiis attollit. Divisae inde inter Tutorem et Classicum curae. Tutor valida manu circumdatos Agrippinenses, quantumque militum apud superiorem Rheni ripam, in eadem verba adigit, occisis Magontiaci tribunis, pulso castrorum praefecto, qui detrectaverant. Classicus corruptissimum quemque e deditis pergere ad obsessos iubet, veniam ostentantes, si praesentia sequerentur: aliter nihil spei. famem ferrumque et extrema passuros. Adiecere, qui missi erant, exemplum suum.

LX. Obsessos hinc fides inde egestas inter decus ac flagitium distrahebant. cunctantibus solita insolitaque alimenta deerant, absumptis iumentis equisque et ceteris animalibus, quae profana foedaque in usum ne-

Numisium. Edd. Beroald. et Alc. *Numium.* Victorius e cod. Flor. correxit *Numisium*, quod ceteri libri ferunt.

dein. Ed. Spir. *deinde.*

Romani imperii insignibus. Pichena cogitat de aquilis, vexillis ceterisque Romani exercitus signis; Ernestius rectius intelligit fasces et lictores. Sermo enim est de insignibus, quis circumdatus fuerat Vocula dux exercitus Romani.

altis ordinibus. Ernestius ad h. l. „primorum ordinum centurionem fecit."

flagitium navaverat. cf. infr. 5, 25. *si Vespasiano bellum navaverint.* Cic. ep. ad divers. 9, 2. *navare rem publicam.*

militum. Ed. Spir. *milite.*

occisis M. tribunis. MSS. Reg. Bud. ed. Spir. *occisi M. tribuni*, puncto posito post *adigit*, idque punctum Rhenanus etiam posuerat quanquam retenta scriptura *occisis . . tribunis.* Pichena suadente Mercero illud rursus transtulit post *detrectaverant.* — Pro *Magontiaci* MS. Guelf. habet *maguncziacis;* ed. Spir. *maguntiaci.* — Eadem mox *editius* pro *e deditis*, et *ni praesentia* pro *si praesentia.*

sequerentur. MS. Guelf. *sequeretur.*

nihil spei. Ed. Spir. *nil spei.* — Eadem *ferrum famemque et extremorum passuro.*

Cap. 60. *inter decus ac flagitium.* Ed. Spir. *inde decus et flagitium.* — Mox eadem *animantibus* pro *animalibus.*

in usum. MS. Guelf. *in usu.* — Idem mox *stipes* pro *stirpes.* Ed. Spir. ante *internatas* negligit copulam *et.*

cessitas vertit. virgulta postremo et stirpes et internatas saxis herbas vellentes miseriarum patientiaeque documentum fuere, donec egregiam laudem fine turpi macularent missis ad Civilem legatis vitam orantes. neque ante preces admissae quam in verba Galliarum iurarent. Tum pactus praedam castrorum dat custodes, qui pecuniam, calones, sarcinas retentarent aut qui ipsos leves abeuntes prosequerentur. ad quintum fere lapidem coorti Germani incautum agmen adgrediuntur. pugnacissimus quisque in vestigio, multi palantes occubuere, ceteri retro in castra perfugiunt, querente sane

miseriarum patientiaeque. Ἐν διὰ δυοῖν. cf. Roth. p. 51.

admissae. Ed. Spir. *admisisse.*

pactus. MS. Flor. teste Victorio *pacti.* — Pro *praedam* MSS. Bodl. les. ferunt *praeda.* In MS. Guelf. quoque id vocabulum non recte expressum est: nam post *d* ibi exstat una littera, quae an sit *a* discerni nequit.

aut qui ipsos. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. les. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — *at qui ipsos* MSS. Flor. (test. Pichena) Reg. Bud. ed. Spir. Inde Rhenanus fecit *ac qui ipsos*, quod duravit ad Pichenam. Is emendavit *atque ipsos.* Ernestius denique et Broterius sqq. restituerunt Rhenani scripturam, et iam putant inesse sententiam: *alios custodes esse datos ad pecuniam retentandum* etc., *alios ad prosequendum.* At ea ipsa sententia poscit particulam *aut.* cf. not. ad An. 1, 8. *Aut* et *at* in veteribus libris sexcenties permutantur.

leves abeuntes. MS. Guelf. *leves abnuentes.* Ernestius vocabulum *leves* habet pro glossemate. Ryckius ad h. l. „duorum generum custodes, ait, datos, alios ad praedam castrorum servandam, alios ad victos prosequendos: quos *leves* dicit armaturae gravioris respectu." Broterius, Strombeckius, Gutmannus, Ricklefsius *leves* rectius accipiunt de spoliatis.

coorti. Sic editiones Rhenani sqq. — *cohorti* MS. Guelf. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alciat. cf. not. ad Hist. 1, 2. sub v. *coortae.*

pugnacissimus. Ed. Spir. *pugnatissimus.* — Eadem *in vestigia* pro *in vestigio.*

palantes. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. *pallantes.* Ed. Spir. *p̄liantes* (h. e. *proeliantes*). — Eadem *accubuere* pro *occubuere.*

perfugiunt. Sic MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alciat. — *profugiunt* edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. ad hunc diem. Verum est *perfugium Dianae* An. 3, 62. pro asylo, et Hist. 3, 48. *perfugae* sunt intelligendi, non qui vulgo dicuntur (*Ueberläufer*), sed qui se tutelae alicuius commiserunt. Mox cap. 67. *villam, in quam perfugerat.* cf. Cic. Verr. 5, 48. Liv. 1, 8. *Profugere* est *fortlaufen, entfliehen,* et vix *retro profugitur.* Hic aperte sermo est de iis qui castra petunt ut asylum.

querente etc. Ed. Spir. *querentes sane Ciuilem et increpantes germanos.* — Eadem mox *nequirent* pro *nequiverit.* MS. Guelf. omittit *que* in *cunctosque.* Ed. Spir. *cuncta quae* pro *cunctosque qui.*

Civile et increpante Germanos, tanquam fidem per scelus abrumperent. simulata ea fuerint an retinere saevientes nequiverit, parum adfirmatur. direptis castris faces iniiciunt, cunctosque, qui proelio superfuerant, incendium hausit.

LXI. Civilis barbaro voto post coepta adversus Romanos arma propexum rutilatumque crinem patrata demum caede legionum deposuit. Et ferebatur parvulo filio quosdam captivorum sagittis iaculisque puerilibus figendos obtulisse. Ceterum neque se neque quemquam Batavum in verba Galliarum adegit, fisus Germanorum opibus et, si certandum adversus Gallos de possessione rerum foret, inclutus fama et potior. Mummius Lupercus legatus legionis inter dona missus Veledae. Ea virgo nationis Bructerae late imperitabat vetere apud

Cap. 61. *barbaro voto.* cf. Tacit. Germ. c. 31. Warnefrid. de Gest. Lang. 3, 7.

propexum. MS. Reg. et ed. Spir. *perpexum.* MS. Agr. *perplexum.* Ceteri libri vulgatum tuentur.

rutilatumque. cf. Tacit. Germ. c. 4. Plin. 28, 12. Roth. p. 56. haec refert inter dicta per fig. ἓν διὰ δυοῖν. Nam licet Tacitus, ait, verbo *rutilare* quam adiectivo uti maluerit, ut arte Gallica magis, quam natura rutilas fuisse comas indicaret, tamen adeo solemne fuisse rutilatas arte comas gerere, ut non voti causa Civilis id fecerit, a Plinio aliisque docemur. Tacitus vero rem sic exhibet, quasi duo voti causa fecerit, crinem non tantum promittere, sed etiam rutilare.

crinem. MS. Guelf. *crimen.* Mox *domum* pro *demum.*

iaculisque. Ed. Spir. *ioculisque.*

neque quemquam. MS. Guelf. *nec quenquam.*

inclutus. cf. not. ad An. 6, 37. Hic ed. Spir. *inclitus.* MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. (cum silentio Victorii) *inclytus.*

Mummius. Sic edd. Ryck. Ernest. Brot. sqq. — *Mumius* edd. Beroald. Alc. Rhenan. sqq. et Iac. Gronovii. — *Munius* MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. cf. not. ad c. 18.

Veledae. Sic MSS. Flor. (test. Ryck.) Agr. Bud. edd. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *Velledae* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Ryckium. — *Tede* MS. Reg. et ed. Spir. Mox ed. Spir. *vel ede.* Cap. 65. cod. Reg. *Veledam*; ed. Spir. *Volidam.* Xiphil. 67, 5. Βελήδαν vocat. Statio Sylv. 1, 4, 89. eadem dicitur *Vělēda.* cf. not. ad Germ. c. 8.

ea virgo. Ed. Spir. neglecto pronomine coniungit: *Tede virgo* etc.

Bructerae. Sic edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. — *Bruterae* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. — Ed. Spir. *bruct elate* pro *Bructerae late.* — Eadem *imperitarat* pro *imperitabat.*

Germanos more, quo plerasque feminarum fatidicas et augescente superstitione arbitrentur deas. tuncque Veledae auctoritas adolevit. nam prosperas Germanis res et excidium legionum praedixerat. Sed Lupercus in itinere interfectus. pauci centurionum tribunorumque in Gallia geniti reservantur pignus societatis. cohortium, alarum, legionum hiberna subversa cremataque, iis tantum relictis, quae Magontiaci ac Vindonissae sita sunt.

LXII. Legio sextadecuma cum auxiliis simul deditis a Novesio in coloniam Treverorum transgredi iubetur, praefinita die intra quam castris excederet. medium omne tempus per varias curas egere, ignavissimus quisque caesorum apud Vetera exemplo paventes, melior pars rubore et infamia; quale illud iter? quis dux viae? et omnia in arbitrio eorum, quos vitae necisque dominos fecissent. alii nulla dedecoris cura pecuniam aut carissima sibimetipsi circumdare. quidam expedire arma telisque tanquam in aciem accingi. Haec

arbitrentur. Sic veteres libri MSS. et editiones, praeter editionem Spirensem, unde Ernestius recepit *arbitrantur*, nullam plane rationem esse ratus, cur coniunctivo usus sit scriptor. Ernestium deinde omnes editores sunt secuti. At ponitur hic relativum *quo* cum coniunctivo *arbitrentur*, ut sexcenties apud Nostrum propterea quod sermo est de more, quem nunc demum memorat, ut sciamus qualis sit: neque vero simpliciter mentionem facit eius moris, tanquam e praecedenti historia satis de illo constet. cf. not. ad An. 14, 1. sub vv. *incusaret* ... *vocaret.*

tuncque. MS. Bud. non habet copulam *que.* Ed. Spir. *tunc quae.* Mox ibidem deest *Germanis.*

pignus societatis. cohortium etc. Sic edd. Rhenan. sqq. — Puteol. Berald. Alc. cum cod. Guelf. negligunt distinctionem ante *cohortium.* Ed. Spir. *pigras societati: cohortium* etc.

iis tantum. MS. Guelf. *iis tamen.* Ed. Spir. *his tantum.*

Cap. 62. *Legio sextadecuma.* Hic veteres libri omnes *legio tertiadecuma* non expressis litteris, sed per siglas XIII. — Ryckius quidem e cod. Florentino adfert numerum XVI., sed tacent Victorius, Richena, Iac. Gronovius, dum servant XIII. Recentiores tamen editores inde ab Ernestio huic quoque loco restituerunt *sextamdecumam.* cf. not. ad c. 26.

excederet. Ed. Spir. *accederet.* — Mox MS. Guelf. verbum *advenit* in contextu omissum habet in margine. Idem in contextu pro *exspectatione* fert *expeditione*, quod secunda manus punctis suppositis notavit, vocabulo *exspectatione* in margine addito.

meditantibus advenit proficiscendi hora exspectatione tristior. quippe intra vallum deformitas haud perinde notabilis: detexit ignominiam campus et dies. revulsae imperatorum imagines, inhonora signa, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis: silens agmen et velut longae exsequiae: dux Claudius Sanctus, effosso oculo dirus ore, ingenio debilior. duplicatur flagitium, postquam desertis Bonnensibus castris altera se legio miscuerat. et vulgata captarum legionum fama cuncti, qui paulo ante Romanorum nomen horrebant, procurrentes ex agris tectisque et undique effusi insolito spectaculo nimium fruebantur. Non tulit ala Picentina gaudium insultantis vulgi, spretisque Sancti promissis aut minis Magontiacum abeunt: ac forte obvio interfectore Voculae Longino coniectis in eum telis initium exsolvendae in posterum culpae fecere. Legiones nihil mutato itinere ante moenia Treverorum considunt.

LXIII. Civilis et Classicus rebus secundis sublati, an coloniam Agrippinensem diripiendam exercitibus suis permitterent dubitavere. saevitia ingenii et cupidine

inhonora. Ex emendatione Lipsii, quam in locum primus recepit Pichena. At pridem eandem emendationem Victorius in suo exemplari Beroaldino adnotaverat. Praeiverunt eam codd. MSS. Flor. Reg. Bud., qui ferunt *inhora*; MS. Agr. et ed. Spir. *in ora*. Ante Pichenam edebatur *innexa*, quod exstat in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. Lipsius *inhonora signa* interpretatur squalida, non uncta, non nitidata. Opponuntur fulgentibus Gallorum vexillis. cf. not. ad An. 1, 24. Iac. Gronovius frustra coniecit *viliora signa*. An. 15, 25. et Hist. 2, 31. simile vitium in cod. Flor. invenimus: nam ibi est *inhosta* pro *inhonestus*.

Sanctus, effosso. Ed. Spir. *secum effosso*. — Eadem *bonesibus* pro *Bonnensibus*, et deinde *sane* pro *Sancti*.

minis. MS. Guelf. *minus*.

Cap. 63. *Agrippinensem*. MS. Flor. teste Victorio *Agrippiensem*.

diripiendam. Edd. Beroaldi et Alciati e vitio typographico ferunt *diripendam*. Victorius e cod. Florentino addidit litteram, quae aberat.

saevitia ingenii. MSS. Flor. (test. Pich.) Vatic. (test. Lips.) Reg. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Spir. Put. Beroald. Alc. *saevitia ingenti*. Inde Rhenanus fecerat *ingenita*: melius Lipsius *ingenii*, quod Pichena in locum primus recepit, idemque exstat in MS. Agr. a secunda manu, in quo a prima manu videtur fuisse *ingente*. — Mox edd. Spir. Put. M. et V. Ber. (cum sil. Vict.) Alc. *incohantibus*, MS. Guelf. *incoantibus*. Sed libri sibi non constant in hac scriptura.

praedae ad excidium civitatis trahebantur: obstabat ratio belli et novum imperium inchoantibus utilis clementiae fama. Civilem etiam beneficii memoria flexit, quod filium eius primo rerum motu in colonia Agrippinensi deprehensum honorate custodierant. sed Transrhenanis gentibus invisa civitas opulentia auctuque. neque alium finem belli rebantur, quam si promiscua ea sedes omnibus Germanis foret aut disiecta Ubios quoque dispersisset.

LXIV. Igitur Tencteri, Rheno discreta gens, missis legatis mandata apud concilium Agrippinensium edi iubent, quae ferocissimus e legatis in hunc modum protulit: „Redisse vos in corpus nomenque Germaniae „communibus deis et praecipuo deorum Marti grates „agimus: vobisque gratulamur, quod tandem liberi in„ter liberos eritis. nam ad hunc diem flumina ac ter„ras et coelum quodammodo ipsum clauserant Romani, „ut colloquia congressusque nostros arcerent, vel, quod „contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac „prope nudi sub custode et pretio coiremus. Sed ut „amicitia societasque nostra in aeternum rata sit, postu-

Civilem etiam. MS. Guelf. fert *et* pro *etiam.*

honorate custodierant. Ed. Spir. *honoratę custodię erant.* — Mox *universa* pro *invisa*, *actuque* pro *auctuque.*

opulentia auctuque. Utrum sint synonyma, an ad ἓν διὰ δυοῖν figuram referenda dubitat Roth. p. 21. Mihi videntur esse synonyma.

quam si promiscua. MS. Guelf. *quanq̃* pro *quam.* MS. Flor. (test. Vict.) *promisca*, uti solet.

Ubios quoque. Ed. Spir. *ubi hos quos.*

Cap. 64. *concilium.* Ed. Spir. *consilium.*

et praecipuo. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Corb. Agr. Bud. edd. Spir. Ryck. Ernest. Brot. sqq. — *sed praecipuo* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Ryckium et postea ed. Iac. Gronovii, vulgari vitio, quia *s* e praecedenti vocabulo cum *et* particula coaluit.

ac terras et coelum. Ed. Spir. *et cęlum et terrā.* MS. Corb. *ac terram.*

colloquia. MS. Flor. teste Victorio *conloquia.* Ceterum *colloquia congressusque* esse synonyma docuit Roth. p. 10.

nostros. Ed. Spir. *vestros.*

inermes ac prope nudi. MS. Bud. *inermes nec probe nudi.*

sub custode et pretio. Ed. Spir. *sub precio*, mediis omissis.

amicitia societasque. Synonyma. cf. Roth. p. 10.

rata sit. Sic MSS. Reg. Agr. edd. Spir. Ernest. Brot. sqq. — *rata sint* MSS. Guelf. Harl. Bodl.

„lamus a vobis, muros coloniae munimenta servitii de„trahatis: etiam fera animalia, si clausa teneas, virtu„tis obliviscuntur. Romanos omnes in finibus vestris „trucidetis: haud facile libertas et domini miscentur. „bona interfectorum in medium cedant, ne quis occu„lere quidquam aut segregare causam suam possit. li„ceat nobis vobisque utramque ripam colere, ut olim „maioribus nostris. quomodo lucem diemque omni„bus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura „aperuit. instituta cultumque patrium resumite, ab„ruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus sub„iectos quam armis valent. sincerus et integer et ser„vitutis oblitus populus aut ex aequo agetis aut aliis im„peritabitis."

LXV. Agrippinenses sumpto consultandi spatio, quando neque subire conditiones metus futuri neque pa-

les. Bud. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alo. Rhen. sqq. ad Ernestium, quae scriptura minime est absurda et fortasse restituenda. cf. Hist. 3, 70. *pax et concordia victis utilia, victoribus tantum pulchra sunt.* Sallust. Iug. c. 52. *plerosque velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt.* Plura exempla vide apud Ramshorn. Gr. §. 95, p. 155. b).

etiam fera. MSS. Guelf. Harl. les. *et fera.* MS. Flor. teste Victorio *etiam vera.* Parenthesis, quam Ernestius aliique verbis: *etiam fera ... obliviscuntur* circumdederunt, nihili est: nam eodem iure uncis includeres sequentia: *haud facile ... miscentur.*

teneas. Ed. Spir. cum MS. Reg. *tenetis.* — Pro *clausa* MS. Corb. *inclusa.* — Mox *quidquam* in MS. Guelf. non legitur.

lucem diemque. Sic MSS. Flor. (teste Pichena) Guelf. Harl. Bodl. les. Bud. Agr. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *lucem noctem* MSS. Vatic. 1863. Reg. edd. Spir. et Lips., quia lux et dies non differant. Sed synonyma coniungere Noster ita solet. Quare optime Pichena veterem scripturam restituit. cf. Plin. Panegyr. c. 45. *in lucem ac diem proferebant.* Sunt etiam qui figuram ἓν διὰ δυοῖν hic esse velint. cf. Roth. p. 5. Ramshorn. Gr. §. 204. 1. et §. 206. 4.

instituta cultumque patrium. MS. Guelf. *patrum.* Ed. Spir. *institutum cultumque patrię.*

voluptatibus. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Vatic. (t. Lips.) Guelf. Harl. Bodl. les. Corb. Agr. edd. Lips. (inde ab an. 1574.) sqq. — *voluntatibus* MS. Reg. et ed. Spir. — *vectigalibus* edd. Put. sqq. ad Lipsium. — Ad rem cf. Tac. Agr. c. 21.

aut aliis imperitabitis. MS. Flor. (test. Vict.) pro *aliis* fert *avis.* — MS. Corb. *imperabilis* pro *imperitabitis.* MS. Guelf. *imperitantibus.*

Cap. 65. *metus futuri.* Sic MSS. Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *metu futuri* MSS. Guelf. Harl. Bodl. les. edd.

iam aspernari conditio praesens sinebat, in hunc modum respondent: „Quae prima libertatis facultas data „est, avidius quam cautius sumpsimus, ut vobis ceteris„que Germanis consanguineis nostris iungeremur. Mu„ros civitatis congregantibus se cum maxime Romano„rum exercitibus augere nobis quam diruere tutius est. „Si qui ex Italia aut provinciis alienigenae in finibus „nostris fuerant, eos bellum absumpsit vel in suas quis„que sedes refugere. deductis olim et nobiscum per „connubium sociatis, quique mox provenere, haec „patria est. nec vos adeo iniquos existimamus, ut in„terfici a nobis parentes, fratres, liberos nostros veli„tis. Vectigal et onera commerciorum resolvimus. sint „transitus incustoditi, sed diurni et inermes, donec „nova et recentia iura in vetustatem consuetudine ver„tantur. Arbitrum habebimus Civilem et Veledam, „apud quos pacta sancientur." Sic lenitis Tencteris legati ad Civilem et Veledam missi cum donis cuncta ex

Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Victorii) Alc. — Mox ed. Beroald. *respondet*, neglecta lineola.

cautius. MS. Bud. *cautum.*

cum maxime. Sic MSS. Reg. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *tum maxime* MSS. Guelf. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc., vulgari confusione. cf. not. ad c. 58. MS. Corb. *cum maximis.*

absumpsit. MS. Bud. *assumsit.*

deductis. Edd. Lipsii (inde ab anno 1574.) *eductis*, quod unde hauserit non invenio: fortasse ex editione Rhenani altera. Nam ceteri libri omnes habent *deductis*, quod ipse Lipsius iussit restitui.

et nobiscum per connubium sociatis. MSS. Flor. (teste Victorio) Bud. pro *sociatis* ferunt *societatis.* MS. Guelf. *per connubium et nobis consotiatis.*

provenere, haec patria est. Ed. Spir. *pervenerunt haec prima est.*

existimamus. MS. Guelf. (a secunda manu) edd. Put. M. et V. *estimanus.* Vulgatam habent edd. Spir. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. sqq.

sint transitus. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. *sunt transitus.*

in vetustatem consuetudine. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Farnes. Reg. Agr. edd. Lips. sqq. — *in vetustatam consuetudinem* MS. Corb. et ed. Spir. — *in vetustatem et consuetudinem* MS. Harl. (a prima manu) edd. Puteol. sqq. ad Lipsium. — *in vetustate et consuetudine* MSS. Guelf. Harl. (a sec. manu) Bodl. Ies. Bud.

vertantur. MS. Reg. et ed. Spir. *vertuntur.* Ed. Weikert. *versantur.*

sancientur. MS. Guelf. *sancirentur.* Ed. Spir. *santientur.*

legati. MS. Guelf. *legatis.*

ad Civilem et Veledam. Ed. Spir. *ad Civilem ac veledā.* Paulo ante et post eadem *Velidam.* Ceteri libri veteres mei *Velledam* tribus locis (cum silentio Victorii).

missi cum donis. Ed. Spir. *cum*

voluntate Agrippinensium perpetravere. sed coram adire adloquique Veledam negatum. arcebantur aspectu, quo venerationis plus inesset. Ipsa edita in turre: delectus e propinquis consulta responsaque ut internuntius numinis portabat.

LXVI. Civilis societate Agrippinensium auctus proximas civitates adfectare aut adversantibus bellum inferre statuit. occupatisque Sunicis et iuventute eorum per cohortes composita, quo minus ultra pergeret, Claudius Labeo Betasiorum Tungrorumque et Nerviorum tumultuaria manu restitit, fretus loco, quia pontem Mosae fluminis anteceperat. pugnabaturque in angustiis ambigue, donec Germani transnatantes terga Labeonis invasere. simul Civilis ausus an ex composito intulit se agmini Tungrorum et clara voce: „non ideo" inquit „bellum sumpsimus, ut Batavi et Treveri genti-

donis missi. — Eadem mox cum MS. Corb. *colloquique* pro *adloquique.*

edita in turre. Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *edita intrare* MS. Reg. (teste Broterio) et ed. Spir. — Lallemandus e cod. Reg. adfert *adita intrare.* MS. Agr. *adyta intrare.* Ryckius explicat: Veleda, quotiens consuleretur, intrabat adyta. Sed scriptura vulgata satis tuta videtur.

delectus. Sic MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. usque ad Lipsium, qui more suo edidit *dilectus.* Veterem scripturam revocarunt Pichena, Gruterus sqq.

ut internuntius numinis. MS. Guelf. negligit *ut.* Ed. Spir.; mirum dictu, pro *numinis* fert *humeris.*

Cap. 66. *societate A. auctus.* Ed. Spir. *societatem A. nactus.*

Sunicis. Sic MSS. Flor. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. Teste Iac. Gronovio in cod. Flor. alterum *n* superiore spatio adscriptum est, ut legas *Sunnicis.* — MS. Agr. *Sinnicis.* — MS. Bud. *Sunucis*, ut MSS. apud Plin. 4, 17. — MS. Reg. *summis.* — Ed. Spir. *sumas et iuuentutem eorum p cohortes compositam.*

Tungrorumque. Sic edd. Spir. Rhenan. sqq. — *Turingorumque* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. Alc.; at mox eaedem editiones exhibent *Tungrorum*, et deinde iterum *Turingorum*, ubi Victorius e MS. Flor. correxit *Tungrorum.* cf. not. ad c. 55. et alibi.

transnatantes. Sic edd. Spir. Pichen. Bernegg. sqq. Nam in cod. Flor. Pichena vidit *tranatantes.* — *tranantes* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Pichenam. In margine cod. Bodl. adscriptum est *tranatantes*, quod cur Pichena respuerit non assequor.

non ideo, inquit. MSS. Guelf. Bodl. Ies. *nondum, inquit.* — Mox ed. Spir. *ut treueri et bathaui.*

„bus imperent. procul haec a nobis adrogantia. accipite societatem. transgredior ad vos, seu me ducem „seu militem mavultis." Movebatur vulgus condebantque gladios, cum Campanus ac Iuvenalis ex primoribus Tungrorum universam ei gentem dedidere. Labeo, antequam circumveniretur, profugit. Civilis Betasios quoque ac Nervios in fidem acceptos copiis suis adiunxit, ingens rerum, perculsis civitatum animis vel sponte inclinantibus.

LXVII. Interea Iulius Sabinus proiectis foederis Romani monimentis Caesarem se salutari iubet: magnamque et inconditam popularium turbam in Sequanos rapit, conterminam civitatem et nobis fidam. nec Sequani detrectavere certamen. Fortuna melioribus adfuit. fusi Lingones. Sabinus festinatum temere proelium pari formidine deseruit. utque famam exitii sui faceret, villam, in quam perfugerat, cremavit: illic vo-

ac Iuvenalis. MS. Corb. *atque Juvenalis.*

ex primoribus. Ed. Spir. *ei primores.* — Eadem mox *batasios.* — Deinde *et nervios* pro *ac Nervios*, *adiungit* pro *adiunxit.*

ingens rerum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Ies. Reg. Agr. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. cf. An. 1, 69. *ingens animi femina.* — *vigens rerum* MS. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — MSS. Guelf. (in margine) Reg. Agr. ed. Spir. post *rerum* addunt *tumultus.* Eandem vocabulorum *ingens* et *vigens* confusionem vidimus An. 15, 53.

perculsis civitatum animis. MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. *perculsit civitatum animis*, vitiose.

Cap. 67. *proiectis foederis Romani monimentis.* Lipsius pinguia et insulsa haec esse ratus emendabat: *prolectus Romani generis monimentis*, vel *prolatis R. generis documentis.* Respice ad c. 55. At I. Fr. Gronovius docuit intelligenda esse monimenta, quis inscripta esset formula foederis Romani. cf. Dionys. Hal. 4, 26. et 58. Cic. pro Balb. c. 23. Liv. 2, 33. 26, 24. Ceterum scriptura *monimentis* hic exstat in edd. Spir. Put. Beroald. Alc. Rhen. Ald. — *monumentis* MS. Guelf. edd. Lipsii sqq.

inconditam. MS. Guelf. *increditam.*

popularium. Ed. Spir. *populi.*

proelium. Sic MS. Corb. edd. Lips. Pichen. sqq. — *bellum* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Micyll., neque est quod hanc scripturam impediat. Si quid recte video, Sabinus non solum proelium, sed omnino bellum deseruisse dicendus erat. Vix abstineo quin *bellum* restituam. Ed. Spir. nugatur *festinatur temere*, neglecto tertio vocabulo.

luntaria morte interiisse creditus. sed, quibus artibus latebrisque vitam per novem mox annos traduxerit, simul amicorum eius constantiam et insigne Epponinae uxoris exemplum suo loco reddemus. Sequanorum prospera acie belli impetus stetit. resipiscere paulatim civitates fasque et foedera respicere, principibus Remis qui per Gallias edixere, ut missis legatis in commune consultarent, libertas an pax placeret.

LXVIII. At Romae cuncta in deterius audita Mucianum angebant, ne quanquam egregii duces (iam enim Gallum Annium et Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent. nec relinquenda urbs sine rectore. et Domitiani indomitae libidines timebantur, suspectis, uti diximus, Primo Antonio Varoque Arrio. Varus praetorianis praepositus vim atque arma retinebat. eum Mucianus pulsum loco, ne sine solatio

interiisse creditus. Ed. Spir. *creditur interiise*, MS. Guelf. et edd. Put. *interisse*.

Epponinae. Sic MSS. Harl. Bodl. edd. Puteol. sqq. (cum silentio Victorii). — *Eponinae* ed. Spir. cum MSS. Reg. Agricoles. — *Opponinae* MS. Guelf. — Xiphilino 66, 16. ea mulier audit *Πεπονίλα*; Plutarcho in Erot. p. 770. D. ed. Frcft. *Ἐμπονή*, quod Salmasius mutat in *Σεμονή*, quia Plutarchus nomen illud interpretatur *Ἡρωΐδα*.

suo loco reddemus. Periit is locus, nec est in libris qui adhuc extant. Vide tamen de hac re Xiphil. 66, 3. et Plutarch. l. l. p. 770. D. - 771. C. Delituit illa cum coniuge in sepulcro subterraneo per novem annos, et duos ibi ex illo filios genuit. Deinde cum marito Romam perducta iussu Vespasiani occisa est, cui filios suos ostendens dixisse fertur: *Ταῦτα, Καῖσαρ, καὶ ἐγέννησα ἐν τῷ μνημείῳ καὶ ἔθρεψα, ἵνα σε πλείονες ἱκετεύσωμεν.*

resipiscere. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Alc Rhen. Ald. sqq. — *rescipiscere* edd. Put. M. et V. Beroald. — *recipiscere* ed. Spir.

edixere. Hoc in ed. Spir. non legitur. — Eadem mox *in communi* pro *in commune*.

Cap. 68. *ne quanquam egregii duces .... tolerarent.* Ex emendatione Merceri, quam a Lipsio valde probatam Pichena primus in locum recepit. Prius edebatur: *Mucianum angebant. Nequaquam egregii duces, iam enim Gallum Annium et Petilium Cerialem delegerat* (Lips. *dilegerat*), *summam belli parum tolerare.* Neque alia codd. MSS. suppeditant.

Varoque. Ed. Spir., uti solet, *Varroque.* Edd. Rhenan. Ald. et Lipsii priores *Ario.* Pichena *Arrio* restituit e cod. Flor., cum quo MS. Guelf. et edd. ante Rhenanum consentiunt. — Mox MS. Flor. teste Victorio *praepositos* pro *praepositus.*

eum Mucianus etc. Ed. Spir. *Quin eum Mutianus loco ne sine* etc.

ageret, annonae praefecit. utque Domitiani animum Varo haud alienum deleniret, Arrecinum Clementem domui Vespasiani per adfinitatem innexum et gratissimum Domitiano praetorianis praeposuit, patrem eius sub Caio Caesare egregie functum ea cura dictitans: laetum militibus idem nomen atque ipsum quanquam senatorii ordinis ad utraque munia sufficere. Adsumuntur e civitate clarissimus quisque et alii per ambitionem. simul Domitianus Mucianusque accingebantur dispari animo, ille spe ac iuventa properus, hic moras nectens, quis flagrantem retineret, ne ferocia aetatis et pravis impulsoribus, si exercitum invasisset, paci belloque male consuleret. Legiones victrices, sexta et octava, Vitellianarum unaetvicesima, e recens conscriptis secunda Penninis Cottianisque Alpibus, pars monte Graio

deleniret. Sic editio Spirensis. — *deliniret* MS. Guelf. edd. Put. sqq. cf. not. ad An. 2, 33. et 11, 87.

Arrecinum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. et ita fere inscriptio apud Gruter. p. 104. Nam ibi est: *M. Arricinus Clemens.* — *Arretinum* MSS. Guelf. Harl. Bodl. les. Agr. edd. Put. sqq. ad hunc diem, et ita Ryckius in cod. Flor. legi prodidit, incertum qua fide: videtur enim e Pichenae et Iac. Gronovii silentio id collegisse. *Arretinus* etiam dicitur apud Sueton. Domit. c. 11. Sed innumera sunt exempla confusionis, qua in libris permutantur litterae *t* et *c*. Quare confugiendum est ad inscriptiones. MSS. Reg. et Corb. *Arrentinum.* Ed. Spir. *Aretinum.*

gratissimum. Ed. Spir. *gratissime.* — Mox *lectum* pro *laetum.*

idem nomen. MS. Guelf. *id nomen.*

quanquam senatorii ordinis. MS. Reg. et ed. Spir. *tanquam senatorii ordinis.* — Eadem ed. Spir. mox omittit *Mucianus*, relicta copula *que.*

dispari animo. MS. Guelf. *dispersi animo*, in margine *dispari.* — Ibidem mox est *prosperus* pro *properus.*

sexta et octava. Sic edd. Pichen. Bernegg. sqq. ex emendatione Savilii. cf. Hist. 2, 83. et 85. — MS. Flor. testibus Victorio cum Pichena *uim XIKIII.* MSS. Guelf. Harl. Bodl. les. Vatic. 1958. edd. Put. sqq. ad Pichenam exhibent *VI. et XVIII.* — MSS. Vatic. 1863. Reg. ed. Spir. pro utroque numero *XXVIII.* — MSS. Vatic. 1863. et Corb. habere *octavam* Broterius prodidit; quid amplius habeant tacuit. — MS. Agr. *tertia decima octava.* — MS. Bod. *viz XI, VIII.* Vides in *octavam* posteriore loco positam omnes conspirare.

unaetvicesima. MS. Flor. teste Victorio *una et vicensima.* Mox ed. Spir. negligit *e* ante *recens.*

Penninis Cottianisque. Sic editiones Oberlini sqq. — *Peninis Cottianisque* edd. Ryck. Iac. Gronov. sqq. — *Peninis Coctianisque* edd. Lips. sqq. — *Poeninis Coctianisque* edd. Put. sqq. ad Lipsium.

traducuntur: quartadecuma legio e Britannia, sexta ac decuma ex Hispania accitae. Igitur venientis exercitus fama et suopte ingenio ad mitiora inclinantes Galliarum civitates in Remos convenere. Treverorum legatio illic opperiebatur, acerrimo instinctore belli Tullio Valentino. Is meditata oratione cuncta magnis imperiis obiectari solita contumeliasque et invidiam in populum Romanum effudit, turbidus miscendis seditionibus et plerisque gratus vecordi facundia.

LXIX. At Iulius Auspex e primoribus Remorum vim Romanam pacisque bona dissertans et sumi bellum etiam ab ignavis, strenuissimi cuiusque periculo geri iamque super caput legiones, sapientissimum quemque reverentia fideque, iuniores periculo ac metu continuit. et Valentini animum laudabant, consilium Auspicis sequebantur. Constat obstitisse Treveris Lingonibusque apud Gallias, quod Vindicis motu cum Verginio steterant. deterruit plerosque provinciarum aemulatio: quod bello caput? unde ius auspiciumque peteretur? quam, si cuncta provenissent, sedem imperio legerent?

— *apeninis coctianisque* MS. Guelf. — *peninis cocianisque* MS. Reg. et ed. Spir. cf. not. ad Hist. 1, 61. 70. 87. — Mox post *quartadecuma* voc. *legio* abest a MS. Corb.

sexta ac decuma. Ex emendatione Savilii, quam in locum primus recepit Pichena: nam has legiones in Hispania fuisse testis est ipse Tacitus in libro praecedenti. — Ed. Spir. *tertia ac decima*, et fuit sane in Hispania etiam *tertia*. — Edd. Puteol. sqq. ad Pichenam (cum silentio Victorii) *tertia ac prima*, et ita codd. MSS. Guelf. Agr. Bud. aliique. Ryckius tamen e MS. Flor. adfert: *sexta ac prima.*

ex Hispania. MS. Corb. *de Hispania.*

Cap. 69. *Iulius Auspex.* MS. Reg. *Iulius haruspex;* sed mox *Auspicis.*

et Valentini. MS. Ies. *ut Valentini.*

obstitisse. Sic MSS. et edd. ante Rhenanum, qui edidit *obstetisse*, vitio typographico, ut videtur, quod duravit usque ad Ryckium, postquam Lipsius anno 1607. iam restituerat *obstitisse*, neglectum tamen illud ab insequentibus editoribus, etiam Iac. Gronovio.

quod bello caput? MS. Guelf. hic et paulo ante *capud*, uti solet.

unde ius auspiciumque. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum aliis) Guelf. Harl. Bodl. Bud. Agr. edd. Spir. (haec *unum ius*) Rhen. sqq. — *unde vis auspiciumque* MS. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc., vulgari vitio.

provenissent. Ed. Spir. *pervenissent.* Sed vid. not. ad An. 1, 19. et Hist. 2, 16. 3, 41.

Nondum victoria, iam discordia erat, aliis foedera, quibusdam opes viresque aut vetustatem originis per iurgia iactantibus. Taedio futurorum praesentia placuere. scribuntur ad Treveros epistolae nomine Galliarum, ut abstinerent armis impetrabili venia et paratis deprecatoribus, si poeniteret. Restitit idem Valentinus obstruxitque civitatis suae aures haud perinde instruendo bello intentus quam frequens concionibus.

LXX. Igitur non Treveri neque Lingones ceteraeve rebellium civitates pro magnitudine suscepti discriminis agere. ne duces quidem in unum consulere. Sed Civilis avia Belgarum circumibat, dum Claudium Labeonem capere aut exturbare nititur. Classicus segne plerumque otium trahens velut parto imperio fruebatur. ne Tutor quidem maturavit superiorem Germaniae ripam et ardua Alpium praesidiis claudere. Atque interim unaetvicesima legio Vindonissa, Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Raetiam inrupere. accessit ala singularium, excita olim a Vitellio, deinde in partes Vespasiani transgressa. praeerat Iulius Briganticus sorore Civilis genitus, ut

per iurgia. Ex emendatione Paulli Manutii, quam hic cum Lipsio communicavit, isque eam in locum recepit anno 1574. — *periuria* MSS. Flor. (teste Ryckio) Bud. Reg. Corb. ed. Spir., eandemque scripturam Lipsius in suis codicibus vidit. — *periuriaque* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium. — *pro iure* MS. Agr. edd. Ryck. Bipont. — Manutius rem acu tetigit.

impetrabili. MS. Guelf. *impenetrabili.* — Mox omnes libri *perinde.*

Cap. 70. *circumibat.* MS. Guelf. *circuibat.*

ne Tutor quidem. Ed. Spir. *nec Tutor quidem.* — Mox *una et legio vicesima.*

Raetiam. Ed. Spir. *Retiam.* — MS. Guelf. edd. Put. M. et V. *Rhätiam.* — Edd. Beroald. sqq. *Rhaetiam.* Sed vid. not. ad An. 1, 44.

inrupere. MS. Guelf. *irrumpere.*

ala singularium. Fabrettus (Inscriptt. c. 5. p. 354.) *singulares* fuisse gradum militiae praetorianae proximum censet. Ernestius quoque cogitat de gradu honoratioris militiae equestris. Sed hae nimis vagae sunt opiniones, nec quidquam inde doctiores evadimus. Quum omnis res pendeat e coniectura, possis etiam *singulares* intelligere equites non turmatim, sed singulatim et suo quisque modo pugnantes, μονομάχους.

Briganticus. Ed. Spir. *brigaticus.* — Mox eadem *retenti* pro *recenti.*

ferme acerrima proximorum odia sunt, invisus avunculo infensusque. Tutor Treverorum copias recenti Vangionum, Caeracatium, Tribocorum delectu auctas veterano pedite atque equite firmavit, corruptis spe aut metu subactis legionariis, qui primo cohortem praemissam a Sextilio Felice interficiunt: mox ubi duces exercitusque Romanus propinquabant, honesto transfugio rediere, secutis Tribocis Vangionibusque et Caeracatibus. Tutor Treveris comitantibus vitato Magontiaco Bingium concessit, fidens loco, quia pontem Navae fluminis abruperat, sed incursu cohortium, quas Sextilius ducebat et reperto vado proditus fususque. ea clade perculsi Treveri et plebes omissis armis per agros palatur. quidam principum, ut primi posuisse bellum viderentur, in civitates, quae societatem Romanam non

Caeracatium. Vocabulum alibi inauditum: quare puto scripturam eius omnino pendere e librorum auctoritate, quae fert id quod edimus. Nam sic MS. Flor. testibus Victorio cum Ryckio. Nec multum absunt alii libri. *Ceracatium* MS. Corb. — *Ceratacum* MS. Reg. — *Ceraecatium* MS. Bud. — *Ceratacium* MS. Agr. et ed. Spir. — *Caracatium* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq., quod hodie vulgo editur. — Mox MS. Florent. iterum *Caeracatibus*, ed. Spir. *Ceracatibus*. Vulgo *Caracatibus*.

delectu auctas. Sic MSS. Flor. (teste Pichena) Corb. Harl. (a sec. manu) edd. Spir. Pich. Gruter. sqq. — *lectu auctas* MSS. Guelf. Harl. (a prima manu) Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. ad Pichenam.

exercitusque Romanus. MS. Flor. (teste Iac. Gronovio) per compendium *Roman;*, quod videtur esse pro *Romanus*, et ita MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Agr. Bud. ed. Spir. Ceteri libri ante Rhenanum exhibent *Ro.* Rhenanus ediderat *Romani*, quod duravit usque ad Ernestium, qui auctore Iac. Gronovio restituit *Romanus*.

propinquabant. MSS. Guelf. Harl. Ies. *propinquabat*. MS. Agr. *appropinquabant*. cf. not. ad c. 33. et 85.

secutis Tribocis. Ed. Spir. *sicut istribocis*. — Mox MS. Agr. *vitata Mogontiaco*.

Bingium concessit. Ed. Spir. *bigium conscendit*.

Navae fluminis. Ex emendatione Rhenani, quam ipse in locum recepit. cf. Ausonius in Mosella ab initio. MSS. Flor. (test. Ryck.) Bud. aliique, edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. *Navas fluminis*. — MS. Guelf. et ed. Spir. *naves fluminis*. — MS. Agr. *vis fluminis*.

abruperat. Ed. Spir. *arruperant*.

plebes. Sic edd. Spir. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *plebs* MSS. Guelf. Harl. Ies. Corb.

palatur. MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. *pallatur*.

exuerant, perfugerunt. legiones a Novesio Bonnaque in Treveros, ut supra memoravimus, traductae se ipsae in verba Vespasiani adigunt. Haec Valentino absente gesta: qui ubi adventabat furens cunctaque rursus in turbas et exitium conversurus, legiones in Mediomatricos, sociam civitatem, abscessere. Valentinus ac Tutor in arma Treveros retrahunt occisis Herennio ac Numisio legatis, quo minore spe veniae cresceret vinculum sceleris.

LXXI. Hic belli status erat, cum Petilius Cerialis Magontiacum venit. eius adventu erectae spes. ipse pugnae avidus et contemnendis quam cavendis hostibus melior ferocia verborum militem incendebat, ubi primum congredi licuisset, nullam proelio moram facturus. delectus per Galliam habitos in civitates remittit ac nuntiare iubet sufficere imperio legiones: socii ad munia pacis redirent securi velut confecto bello, quod Romanae manus excepissent. Auxit ea res Gallorum obsequium. nam recepta iuventute facilius tributa toleravere, proniores ad officia quod spernebantur. At Civilis et Classicus, ubi pulsum Tutorem, caesos Treveros, cuncta hostibus prospera accepere, trepidi ac properantes, dum dispersas suorum copias conducunt, crebris interim nuntiis Valentinum monuere, ne summae rei periculum faceret. Eo rapidius Ceria-

perfugerunt. MS. Agr. et ed. Spir. *perfugere.*

ut supra memoravimus. cf. cap. 62.

se ipsae. Ex emendatione Ernestii. Codd. MSS. et edd. ante Ernestium *se ipsas*, nisi quod cod. Bud. fert *se ipsa.* Sed cf. c. 11. *se ipse interfecit.*

gesta. Ed. Spir. *acta.* — Eadem post *qui* omittit *ubi.* — Mox MS. Flor. teste Victorio *absessere* pro *abscessere.*

Herennio. MS. Guelf. *hernio.*

Cap. 71. *Magontiacum.* MS. Flor. teste Victorio hic *Mogontiacum*, supra c. 70. *Mogontiaco* et infra *Mogontiaci.* Etiam MS. Guelf. hic *Mogonciacum.* Supra et infra *Maganciacum.* Ed. Spir. ubique fere habet *Maguntiacum.* Edd. Put. sqq. *Mogontiacum.*

erectae spes. MS. Bud. *erepta spes.* — Mox MS. Guelf. *concredi* pro *congredi.* Ed. Spir. *in civitatem* pro *in civitates.*

auxit. MS. Flor. teste Victorio *ausit.* — Mox MS. Agr. *Galliarum* pro *Gallorum*; ed. Spir. *primores* pro *proniores*; MS. Flor. teste Victorio *ad* pro *at.*

lis missis in Mediomatricos, qui breviore itinere legiones in hostem verterent, contracto quod erat militum Magontiaci quantumque secum transvexerat, tertiis castris Rigodulum venit: quem locum magna Treverorum manu Valentinus insederat montibus aut Mosella amne septum. et addiderat fossas obicesque saxorum. Nec deterruere ea munimenta Romanum ducem, quo minus peditem perrumpere iuberet, equitum aciem in collem erigeret spreto hoste, quem temere collectum haud ita loco iuvari, ut non plus suis in virtute foret. Paulum morae in ascensu, dum missilia hostium praevehuntur: ut ventum in manus, deturbati ruinae modo

missis in Mediomatricos. MS. Guelf. *missus in* etc. Ed. Spir. *missis ĩ medio matricis*, et mox *breviori* pro *breviore*.

quantumque. MS. Agr. a prima manu *quantumcunque*. Secunda manus fecit *quantumque*.

tertiis castris. MS. Corb. *ternis castris*.

Rigodulum. Sic MSS. Guelf. Bodl. les. edd. Put. sqq. (cum silentio Victorii). — *Rigodolum* MSS. Reg. Corb. Agr. ed. Spir. — *Ridogulum* MS. Vatic. 1863. Colerus coniiciebat *Rigolodunum*, quae est frequens locorum Gallicanorum forma.

aut Mosella. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Bodl. Corb. Bud. edd. Rhenan. sqq. ad Pichenam, qui revocavit *et Mosella* e MSS. Reg. Harl. edd. Spir. Put. Beroald. Alc. — MS. Guelf. *ac Mossella.* — Iac. Gronovius restituit *aut.* Recte. Nam *montibus et Mosella* significat simul montibus et Mosella; *aut* vero sibi vult partim montibus, partim Mosella, quae est sententia scriptoris. cf. not. ad An. 1, 8. Sic An. 1, 9. *mari Oceano aut amnibus longinquis septum imperium.* Germ. c. 1. *mutuo metu aut montibus separatur.*

septum. MS. Guelf. ante *septum* addit *et*, habetque *anne* pro *amne*. — Mox idem liber *Romanorum* pro *Romanum*.

addiderat. Ed. Spir. *addidit.* — Mox *munimina* pro *munimenta.*

erigeret. MS. Guelf. *figeret.* Ed. Spir. *fugeret.*

collectum. MS. Flor. teste Victorio *conlectum.*

in ascensu. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhen. sqq. — *in assensu* MS. Guelf. (a prima manu) edd. Put. V. Beroald. Alc.; secunda manus in Guelf. litteram *c* adscripsit. — A MS. Corb. abest *in.*

dum missilia hostium praevehuntur. Ed. Spir. *mussilia* pro *missilia.* Intellige *praevehuntur* milites *missilia* (accusativ.) *hostium.* cf. An. 2, 6. *qua Germaniam praevehitur.* Nostrates varie interpretantur. Bahrdtius: *weil* (immo corrige *solange*) *sie dem Geschosse der Feinde ausgesetzt waren.* Woltmannus: *indem der Feind Wurfwehr vorbeischiesst.* Strombeckius; *während die Wurfgeschosse der Feinde entgegen flogen.* Gutmannus: *solange das feindliche Wurfgeschoss daherflog.* Ricklefsius: *bis sie außer den Wurfgeschossen der Feinde waren.* Proxime ad veritatem accessit Bahrdtius.

in manus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Reg. Bud. Corb.

praecipitantur. et pars equitum aequioribus iugis circumvecta nobilissimos Belgarum, in quis ducem Valentinum, cepit.

LXXII. Cerialis postero die coloniam Treverorum ingressus est avido milite eruendae civitatis: hanc esse Classici, hanc Tutoris patriam: horum scelere clausas caesasque legiones. quid tantum Cremonam meruisse, quam e gremio Italiae raptam, quia unius noctis moram victoribus attulerit? stare in confinio Germaniae integram sedem spoliis exercituum et ducum caedibus ovantem. redigeretur praeda in fiscum: ipsis sufficere ignes et rebellis coloniae ruinas, quibus tot castrorum excidia pensarentur. Cerialis a metu infamiae, si licentia saevitiaque imbuere militem crederetur, pressit iras: et paruere, posito civium bello ad

Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. cf. An. 2, 80. Hist. 4, 76. Liv. 2, 46. ibique I. Fr. Gronovius. — *ad manus* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Ryckium. — In MS. Bodl. secunda manus emendavit *in*.

ruinae modo. MSS. Agr. Corb. *ruinae more*.

Cap. 72. *postero die*. MS. Guelf. *postera die*.

eruendae civitatis. cf. Virgil. Aen. 2, 611 sqq. *fundamenta quatit, totamque ab sedibus urbem eruit*. — Mox MS. Corb. *attulerat* pro *attulerit*.

et ducum caedibus. Sic edd. Puteol. sqq. — *et ducum spoliis* MS. Guelf. — *et sum caedibus* MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir.

redigeretur praeda in f. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Reg. Corb. edd. Spir. Pichen. Bernegg. sqq. Ernestius deceptus vitio editionis Gronovianae (1672.) tradidit in cod. Flor. legi *redigetur*, eumque nuntium Broterius aliique propagaverunt. Sed Pichena et Ryckius (e collatione Iac. Gronovii) diserti cum Victorio testes sunt de scriptura *redigeretur*. Eodem modo interpretes aliquoties peccarunt in codicem Florentinum. — *redigeret praedam in f.* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. sqq. ad Pichenam. — *redigeretur praedam in f.* MS. Bud. — Pro *fiscum* in Guelferb. scribitur *physcum*.

Cerialis a metu etc. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Bud. Reg. Guelf. Bodl. Ies. et editiones veteres usque ad Lipsium et nuper editiones Ernestii, Broterii sqq. — Lipsius praepositionem *a* deleverat, et abest illa a MSS. Corb. et Agr. — Ernestius et recentiores *a* accipiunt positum pro *propter*. cf. Liv. 24, 30. 26, 1. Quaeritur vero, cur Tacitus hoc potissimum loco adposuerit praepositionem, quam sexcentis aliis locis huic simillimis neglexit. Lipsio videbatur vox aliqua excidisse atque legendum: *C. emptus an metu infamiae*, vel: *C. clementia an metu*. Bipontini: *C. autem metu infamiae*. — Mox ed. Spir. pergit: *crederet. Pressit* etc.

civium bello. Sic MSS. Flor. (teste Pichena) Reg. Bud. Agr. edd. Spir. Ernest. Broter. sqq. — *civili*

externa modestiores. Convertit inde animos accitarum e Mediomatricis legionum miserabilis aspectus. stabant conscientia flagitii maestae fixis in terram oculis. nulla inter coeuntes exercitus consalutatio. neque solantibus hortantibusve responsa dabant abditi per tentoria et lucem ipsam vitantes. nec perinde periculum aut metus quam pudor ac dedecus obstupefecerat, attonitis etiam victoribus, qui vocem precesque adhibere non ausi lacrimis ac silentio veniam poscebant, donec Cerialis mulceret animos, fato acta dictitans quae militum ducumque discordia vel fraude hostium evenissent. primum illum stipendiorum et sacramenti diem haberent: priorum f. . inorum neque imperatorem neque se meminisse. Tunc recepti in eadem castra et edictum per manipulos, ne quis in certamine iurgiove seditionem aut cladem commilitoni obiectaret.

LXXIII. Mox Treveros ac Lingonas ad concionem vocatos ita adloquitur: „Neque ego unquam fa-

bello MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Ernestium. cf. not. ad c. 4.

e Mediomatricis. Ed. Spir. *ex mediomatricis.*

maestae. MS. Agr. *maesti.*

consalutatio. Sic MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. — *consultatio* MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. ed. Spir. Saepius in eodem vocabulo peccatum vidimus.

tentoria. Ed. Spir. *temptoria.*

nec perinde. Sic edd. Beroald. Alc. Rhen. sqq. — *nec proinde* MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. edd Spir. Puteol. cf. not. ad An. 3, 17. — Mox MS. Guelf. *obstufecerat* pro *obstupefecerat.*

qui vocem precesque. Sic MSS. et veteres editiones. Recte. *Qui* respicit ad vocabulum *victoribus*, quos minime dedecet lacrimis veniam petiisse miseris commilitonibus. Quare nec cum Mureto *qui* deleas, neque cum Acidalio in *quia* aut cum Bipontinis et Oberlino in *quis* (h. e. *quibus*) mutes. Bekkerus iam restituit *qui.* Lünemannus retinuit *quis.* Ryckius interpunxerat: *obstupefecerat, attonitis etiam victoribus: qui* etc. atque ita sibi videbatur effecisse, ut *qui* non ad victores, sed ad conscientia flagitii maestos respiceret. Frustra. Ea non est vis punctorum istorum. Ceterum in verbis *vocem precesque* esse ἓν διὰ δυοῖν docuit Roth. p. 27. (*laute Bitten*).

mulceret. Ed. Spir. *mulceret.*

militum ducumque. Sic MSS. Flor. (teste Pichena) Bud. Corb. edd. Spir. Pichen. Grut. Bernegg. sqq. Victorius intactum reliquit *ducumve*, quod exstat in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Pichenam.

primum illum. Sic codd. MSS. edd. Spir. Beroald. Rhen. sqq. — *primum illorum* edd. Put. M. et V. Alciat.

Cap. 73. *ac Lingonas.* Sic MSS. et veteres editiones. — *ac*

„cundiam exercui, et populi Romani virtutem armis „adfirmavi. sed quia apud vos verba plurimum valent „bonaque ac mala non sua natura sed vocibus seditio„sorum aestimantur, statui pauca disserere, quae pro„fligato bello utilius sit vobis audisse quam nobis dixis„se. Terram vestram ceterorumque Gallorum ingressi „sunt duces imperatoresque Romani nulla cupidine, sed „maioribus vestris invocantibus, quos discordiae usque „ad exitium fatigabant. et acciti auxilio Germani so„ciis pariter atque hostibus servitutem imposuerant. „Quot proeliis adversus Cimbros Teutonosque, quan„tis exercituum nostrorum laboribus, quove eventu „Germanica bella tractaverimus, satis clarum. nec „ideo Rhenum insedimus, ut Italiam tueremur, sed ne „quis alius Ariovistus regno Galliarum potiretur. An „vos cariores Civili Batavisque et Transrhenanis gen„tibus creditis quam maioribus eorum patres avique „vestri fuerunt? eadem semper causa Germanis trans„scendendi in Gallias, libido atque avaritia et mutandae „sedis amor, ut relictis paludibus et solitudinibus suis „fecundissimum hoc solum vosque ipsos possiderent. „Ceterum libertas et speciosa nomina praetexuntur: nec

Lingones edd. Oberl. sqq. operarum vitio, quod ab uno libro in alium migravit. Bekkerus restituit *Lingonas*.

adfirmavi. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *affirmavi* MS. Guelf. et editiones veteres.

sed quia. Sic MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. — *sed quae* MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *sed quoniam* MS. Corb., quam varietatem e compendio scripturae ortam puta.

ac mala. MS. Corb. et ed. Spir. *atque mala.* Haec totum locum edit sic: *sed quae plurimum verba apud vos valent bona atque mala non sui natura* etc.

aestimantur. Sic edd. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq. — *estimantur* edd. Put. M. et V. — *extimantur* MS. Guelf. (a sec. manu) et ed. Spir.

dixisse. Ed. Spir. *vidisse.*

Teutonosque. MSS. Reg. Agr. ed. Spir. *Teutonesque.*

satis clarum. MSS. Vatic. 1863. Reg. Agr. ed. Spir. *satis claret.* cf. Lucret. 6, 935. Vulgatum tuentur MSS. Guelf. Bud. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. sqq.

gentibus. Hoc vocabulum non comparet in MS. Corb., neque mox *suis.*

fuerunt? Ed. Spir. *fuere.* — Mox cod. Bud. *ceterorum* pro *ceterum.* MS. Guelf. *p̃ciosa* pro *speciosa.*

„quisquam alienum servitium et dominationem sibi con-„cupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet."

LXXIV. „Regna bellaque per Gallias semper „fuere, donec in nostrum ius concederetis. nos quan-„quam totiens lacessiti iure victoriae id solum vobis ad-„didimus, quo pacem tueremur. nam neque quies „gentium sine armis neque arma sine stipendiis neque „stipendia sine tributis haberi queunt. cetera in com-„muni sita sunt. Ipsi plerumque legionibus nostris „praesidetis: ipsi has aliasque provincias regitis. nihil „separatum clausumve. et laudatorum principum usus „ex aequo quamvis procul agentibus: saevi proximis „ingruunt. quomodo sterilitatem aut nimios imbres et „cetera naturae mala, ita luxum vel avaritiam domi-„nantium tolerate. vitia erunt, donec homines: sed „neque haec continua et meliorum interventu pensan-„tur. nisi forte Tutore et Classico regnantibus mo-„deratius imperium speratis, aut minoribus quam nunc „tributis parabuntur exercitus, quibus Germani Bri-„tannique arceantur. Nam pulsis (quod dii prohi-„beant) Romanis, quid aliud quam bella omnium inter „se gentium exsistent? Octingentorum annorum for-„tuna disciplinaque compages haec coaluit, quae con-„velli sine exitio convellentium non potest. sed vobis „maximum discrimen, penes quos aurum et opes, prae-„cipuae bellorum causae. Proinde pacem et urbem

Cap. 74. *nos quanquam.* MS. Guelf. *nos tanquam.*

addidimus. Sic MSS. et editiones. — Ursinus in vetere cod. vidit *adiicimus.* Ipse malebat *ademimus.* Frustra.

in communi. Ed. Spir. *in commune.* — Mox *nostris* post *legionibus* in MS. Guelf. non apparet. Ibidem pro *separatum* legitur *seperatum*, quam scripturam originem traxisse e compendio *seprатum* in propatulo est.

mala. Ed. Spir. *mali.* — Eadem mox *tolerare* pro *tolerate*; *sed meliorum* pro *et meliorum.*

aut minoribus. MS. Guelf. *et minoribus.* MS. Ies. *ac minoribus.*

parabuntur. Sic MSS. Bud. Guelf. edd. Spir. Put. M. Rhenan. Ald. sqq. — *parabantur* edd. Put. V. Beroald. Alciat.

Britannique. MS. Bodl. in margine *Battavi*, ex emendandi studio.

coaluit. Ed. Spir. *caluit.* — Eadem mox ante *opes* omittit *et.*

proinde. Sic libri omnes (cf. not. ad An. 3, 17.), nisi quod ed. Spir. vitiose exhibet *puide* (h. e.

„quam victi victoresque eodem iure obtinemus, amate, „colite. Moneant vos utriusque fortunae documenta, „ne contumaciam cum pernicie quam obsequium cum „securitate malitis." Tali oratione graviora metuentes composuit erexitque.

LXXV. Tenebantur victore exercitu Treveri, cum Civilis et Classicus misere epistolas ad Cerialem, quarum haec sententia fuit: Vespasianum, quanquam nuntios occultarent, excessisse vita. Urbem atque Italiam interno bello consumptam. Muciani ac Domitiani vana et sine viribus nomina. Si Cerialis imperium Galliarum velit, ipsos finibus civitatum suarum contentos: si proelium mallet, ne id quidem abnuere. Ad ea Ce-

prouide). — Eadem mox *amante* pro *amate; moveant* pro *moneant.* MS. Ies. omittit *que* in *victoresque.* MS. Corb. *obtinebimus* pro *obtinemus.*

ne contumaciam. Ed. Spir. *nec contumaciam.*

Cap. 75. *Treveri.* Sic MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *Treviri* MS. Guelf. edd. Put. sqq. constanter. Victorius in exempl. suo Beroaldino plerumque e cod. Flor. correxit *Treveri:* nonnunquam reliquit *Treviri.*

epistolas ad Cerialem. Ed. Spir. *ad Cerialem epistolas.* — Eadem mox *fuit sententia.*

quanquam nuntios occultarent. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *nuntii* MSS. Farnes. Corb. Agr. ed. Broterii. Idem voluerunt exhibere MS. Reg. et ed. Spir., dum edunt *nutu.* Et *nuntii* non prorsus ineptum est. Tum Civilis et Classicus mittunt epistolas ad Cerialem tanquam ipsum edocturi de excessu Vespasiani, adduntque *quanquam nuntii occultarent* h. e. quanquam nuntii (*Nachrichten*), quos Cerialis Roma acciperet, nihil de illo obitu memorarent. Simulabant igitur accuratiorem de rebus Romae gestis notitiam, quae nondum venisset ad aures Cerialis. — Mox ed. Spir. *vitam* pro *vita.*

Muciani ac Domitiani vana etc. Copulam *ac* Pichena restituit e MSS. Flor. et Bud. — *et* habent MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. ad Pichenam. — *atque* MS. Corb. et ed. Spir. — Pro *vana* MS. Guelf. exhibet *una*, vulgari confusione. Ed. Spir. hoc loco fert *Cerealis* et *Cerealem:* alibi *Cerialis*, ut ceteri libri.

si . . . velit . . ., si . . . mallet. Sic libri veteres. Ernestius correxit *malit.* Nam *velit . . . mallet* vitiosum esse adfirmat legendumque aut *vellet* aut *malit.* Ernestium imitati sunt Bipontini, Oberlinus sqq. Sed egregie falluntur. Aeque bene vetus scriptura huius loci se habet ac locus c. 20. *si . . . obsisteret . . ., sin . . . occurrant.* Scribitur vero: *si velit;* offerunt enim imperium sumuntque hoc fieri posse. Contra *si mallet* illi scripsere, quia haec res pendet e cogitatione tantum, et nesciebant an eo res ventura esset. cf. not. ad An. 1, 19. In ipsa epistola verba fuere in hunc modum scripta: *Si imperium Galliarum velis* (*wenn du willst*), et.

rialis Civili et Classico nihil: eum qui attulerat, ipsas epistolas ad Domitianum misit. Hostes divisis copiis advenere undique. plerique culpabant Cerialem passum iungi, quos discretos intercipere licuisset. Romanus exercitus castra fossa valloque circumdedit, quis temere antea intutis consederat. Apud Germanos diversis sententiis certabatur.

LXXVI. Civilis opperiendas Transrhenanorum gentes, quarum terrore fractae populi Romani vires obtererentur. Gallos quid aliud quam praedam victoribus? et tamen, quod roboris sit, Belgas secum palam aut voto stare. Tutor cunctatione crescere rem Romanam adfirmabat, coeuntibus undique exercitibus. transvectam e Britannia legionem, accitas ex Hispania, adventare ex Italia, nec subitum militem, sed veterem

deinde *si proelium malles (wenn du solltest wollen).* Ceterum vide quae disputaverunt Hermannus ad Viger. adnot. 312. et Buttmannus Gr. Gr. §. 126. q.

attulerat. Ed. Spir. *attulerit.* Ceterum cum Acidalio et Bekkero locum interpungo sic: *eum qui attulerat, ipsas epistolas,* ut sit asyndeton pro *ipsasque,* quod idem Acidalius coniecit, in locum recepit Dottevillius. Interpunctio vulgaris: *eum, qui attulerat ipsas epistolas* inepta est. Nam cur *ipsas?* et quis sibi persuadebit eum tantum esse missum, qui attulerat, nec ipsas epistolas? Immo hae potissimum erant mittendae. — Mox ed. Spir. interpungit *advenere. Undique* etc.

passum iungi. MSS. Ies. et Corb. *passim iungi.* In Corb. *passum* supra adscriptum est. Ed. Put. V. *passum ungi.*

intutis. Sic vulgo MSS. et edd. Beroald. sqq. — *in tutis* MS. Reg. et edd. Puteol. — *intutius* MS. Guelf. — *intutus* ed. Spir.

Cap. 76. *opperiendas.* MS. Guelf. et ed. Spir. *operiendas.* — Eadem ed. Spir. *transrhenarum.*

obtererentur. Sic MS. Harl. (a secunda manu) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *obterrerentur* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. ed. Gronovv. (anno 1672). — *obterentur* MS. Reg. et ed. Spir. Vulgatum esse verum nemo dubitabit. cf. An. 15, 11. *legionarios obtrivit.* Agr. c. 18. *alam ... prope universam obtriverat.*

quid aliud. MS. Guelf. *qui aliud.*

aut voto stare. Sic edd. Spir. Put. sqq. (cum silentio Victorii). — *aut vastari* MSS. Guelf. (in margine ibi est *voto stare*) Harl. Bodl. Ies. — *aut vastare* MS. Bud. (neque tamen Guelf., uti prodidit Ernestius).

e Britannia. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) edd. Pich. Bernegg. sqq. — *ex Britannia* MS. Reg. et ed. Spir. — *a Britania* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. ad Pichenam.

veterem. MS. Guelf. *ueterū.*

expertumque belli. Nam Germanos, qui ab ipsis sperentur, non iuberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere: pecuniamque ac dona, quis solis corrumpantur, maiora apud Romanos: et neminem adeo in arma pronum, ut non idem pretium quietis quam periculi malit. quod si statim congrediantur, nullas esse Ceriali nisi ex reliquiis Germanici exercitus legiones foederibus Galliarum obstrictas. idque ipsum, quod inconditam nuper Valentini manum contra spem suam fuderint, alimentum illis ducique temeritatis. ausuros rursus venturosque in manus non imperiti adulescentuli, verba et conciones quam ferrum et arma meditantis, sed Civilis et Classici: quos ubi aspexerint, redituram in animos formidinem, fugam famemque ac totiens captis precariam vitam. neque Treveros aut Lingonas benevolentia contineri: resumpturos arma, ubi metus abscesserit. Dire-

expertumque. Ed. Spir. *expertemque.*

sperentur. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Rhen. sqq. — *spernentur* edd. Beroald. Alciat. — *seperentur* MS. Guelf.

non iuberi. MS. Corb. *nón haberi.*

non regi. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. *non cogi.* In Bodl. adscriptum est *non regi.*

maiora. MS. Guelf. *maiorē.*

pronum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronovio) Reg. Corb. Agr. Bud. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronovii sqq. — *promptum* MSS. Guelf. Harl. Ies. edd. Put. sqq. ad Ryckium.

nisi ex reliquiis. MS. Guelf. *nec ex reliquiis.* MS. Flor. (teste Iac. Gronovio) pro *ex* habet *e*.

Germanici exercitus. Sic MSS. Bud. Bodl. (a secunda manu) edd. Rhenan. sqq. — MS. Flor. (test. Vict.) exhibet *Germanicis.* Codd. MSS. Guelf. aliique, edd. Spir. Put. Beroald. Alc. *germani.* cf. not. ad Hist. 1, 8.

fuderint. Ed. Spir. *fuderit.*

non imperiti adulescentuli. Scripturam *adulescentuli* praefert ed. Spir. — Ceteri libri *adolescentuli.* MS. Guelf. *adoloscentuli.* Totum locum, uti nunc legitur, constituit Rhenanus ediditque. Eadem insunt MSS. Corb. Bud. ed. Spir., nisi quod pro *imperiti* ii libri ferunt *imperitia*, attracta nimirum littera *a* e voce proxima. Alii libri auctiores sunt: nam in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. exstant haec: *non imperitia militum sed adolescentuli verba* etc. — *Imperitum adulescentulum* intellige Valentinum. cf. c. 68.

famemque. MS. Bud. et ed. Spir. *famamque.* — Mox MS. Guelf. *nec* pro *neque.*

benevolentia. Sic editiones Lipsii sqq. — *benivolentia* MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium.

mit consiliorum diversitatem adprobata Tutoris sententia Classicus, statimque exsequuntur.

LXXVII. Media acies Ubiis Lingonibusque data: dextro cornu cohortes Batavorum: sinistro Bructeri Tencterique. pars montibus, alii viam inter Mosellamque flumen tam improvisi adsiluere, ut in cubiculo ac lectulo Cerialis (neque enim noctem in castris egerat) pugnari simul vincique suos audierit, increpans pavorem nuntiantium, donec universa clades in oculis fuit. Perrupta legionum castra, fusi equites: medius Mosellae pons, qui ulteriora coloniae adnectit, ab hostibus insessus. Cerialis, turbidis rebus intrepidus et fugientes manu retrahens, intecto corpore promptus inter tela felici temeritate et fortissimi cuiusque adcursu reciperatum pontem electa manu firmavit. Mox in castra reversus palantes captarum apud Novesium Bonnamque legionum manipulos et rarum apud signa militem ac

diversitatem. Ed. Spir. *diuersitate*.

adprobata Tutoris sententia. MS. Corb. et ed. Spir. *probata*, et ed. Spir. diverso ordine: *Tutoris probata sententia*: MS. Guelf.: *approbari Tutoris sententia*.

Cap. 77. *Bructeri Tencterique*. Ed. Spir. *Tencteri Bructerique*. In margine codicum Harl. et Guelf. adnotatur: „Hic deficit." Quod satis credibile est. Nam verba: *pars montibus* etc. satis abrupte adduntur. Broterius suspicatur nomina aliquot populorum excidisse. MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Bud. ed. Spir. habent: *pars: montibus alii: alii viam*. Alterum *alii* aut vitio debetur, aut vocabulum *pars* superest ex iis quae hic periisse dicuntur. Sed certi quid definiri nequit. De altero *alii* e cod. Flor. Victorius nihil adnotavit. MS. Agr. inter *agmen* et *tam* addit *dispositi per pontem*.

improvisi. Sic MS. Agr. edd. Rhenan. sqq. — *improvisa* MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Reg. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Spir. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc., quod an more Graecorum pro adverbio *improvisâ* (i. q. *improviso*) accipi possit, iam non definio.

lectulo. MS. Guelf. *lecticulo*.

qui ulteriora. Ed. Spir. *quę ulteriora*.

insessus. Ed. Spir. *obsessus*. — Mox eadem ante *rebus* addit ĩ h. e. *in*, exhibetque *manus* pro *manu*.

adcursu. Sic MS. Flor: teste Victorio. — *accursu* MS. Guelf. et editiones veteres.

electa manu. Sic MSS. et edd. ante Lipsium et nuper edd. Ernest. Broter. sqq. — *lecta manu* edd. Lips. Grut. Plchen. sqq. ad Ernestium. — Ryckius e cod. Flor. adfert *delecta*; sed Iac. Gronovius ibi vidit *electa*.

palantes. Sic edd. Spir. Rhen. sqq. — *pallantes* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc.

Bonnamque. Ed. Spir. *et bonnam*. — Mox *vidit* pro *videt*.

prope circumventas aquilas videt. incensus ira „non „Flaccum" inquit „non Voculam deseritis. nulla hic „proditio, neque aliud excusandum habeo quam quod „vos Gallici foederis oblitos rediisse in memoriam Ro„mani sacramenti temere credidi. Adnumerabor Nu„misiis et Herenniis, ut omnes legati vestri aut militum „manibus aut hostium ceciderint. Ite, nuntiate Vespa„siano, vel quod propius est, Civili et Classico re„lictum a vobis in acie ducem. venient legiones, quae „neque me inultum neque vos impunitos patiantur."

LXXVIII. Vera erant et a tribunis praefectisque eadem ingerebantur. Consistunt per cohortes et manipulos: neque enim poterat patescere acies effuso hoste et impedientibus tentoriis sarcinisque, cum intra vallum pugnaretur. Tutor et Classicus et Civilis suis quisque locis pugnam ciebant, Gallos pro libertate, Batavos pro gloria, Germanos ad praedam instigantes. et cuncta pro hostibus erant, donec legio unaetvicesima patentiore quam ceterae spatio conglobata sustinuit ruentes, mox impulit. nec sine ope divina mutatis re-

oblitos rediisse in memoriam etc. Ex emendatione Lipsii, quam in locum receperunt Bipontini, Oberlin. sqq. — MSS. Flor. (teste Pichena) Reg. Corb. edd. Pichen. sqq. *oblitos praedixerim, memoriam Romani sacramenti temere credidi.* Eadem insunt MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq., nisi quod ii libri pro *temere* ferunt *tenere.* In ed. Spir. nec *temere* nec *tenere* legitur. E sententia Rhenani ed. Micylli habet *praedixi* pro *praedixerim.* MS. Agr. *oblitos proximam memoriam Romani sacramenti tenere credidi.* Praeter Lipsium et alii in emendando hoc loco operam posuerunt. Pichena coniecit: *oblitos et retinere memoriam R. s. temere credidi.* Gruterus: *oblitos produxisse memoriam R. s. temere credidi.* I. Fr. Gronovius: *oblitos repetisse memoriam R. s. temere credidi.* Iac. Gronovius: *oblitos praefiscini memoriam R. s. tenere credidi.*

Numisiis. Ed. Spir. *numesiis.* — Mox eadem *nostri* pro *vestri, multum* pro *inultum.*

Cap. 78. *impedientibus.* MS. Guelf. *impedimentis.* — Mox edd. Put. M. et V. Alc. ante *Civilis* negligunt copulam *et.*

legio unaetvicesima patentiore quam ceterae. Ed. Spir. *legio ex prima potentiore quam ceterae.* Etiam MS. Bud. habet *potentiore.* Edd. Put. cum MS. Guelf. numerum exhibent per siglas: *XXI.* — Edd. Alc. Rhenan. sqq. *vicesima-prima.* Pichena restituit *unaetvicesima* e Taciti usu dicendi.

spatio. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Lipsii sqq. — *spacio* MS. Guelf. et edd. ante Lipsium.

pente animis terga victores vertere. ipsi territos se cohortium aspectu ferebant, quae primo impetu disiectae summis rursus iugis congregabantur ac speciem novi auxilii fecerant. Sed obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen omisso hoste spolia consectandi. Cerialis, ut incuria prope rem adflixit, ita constantia restituit, secutusque fortunam castra hostium eodem die capit exscinditque.

LXXIX. Nec in longum quies militi data. orabant auxilium Agrippinenses offerebantque uxorem ac sororem Civilis et filiam Classici, relicta sibi pignora societatis. atque interim dispersos in domibus Germanos trucidaverant. unde metus et iustae preces invocantium, antequam hostes reparatis viribus ad spem vel ad ultionem accingerentur. Namque et Civilis illuc intenderat non invalidus flagrantissima cohortium suarum integra: quae e Chaucis Frisiisque composita Tolbiaci

omisso hoste. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *hoste omisso* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad hunc diem.

rem adflixit. Sic MS. Bud. edd. Spir. Rhen. sqq. — *res adflixit* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Quaeritur an Rhenanus recte mutaverit.

eodem die. Ed. Spir. *eadem die.*

Cap. 79. *reparatis.* MS. Guelf. *reparatibus.*

vel ad ultionem. MS. Guelf. omittit *ad.* Ed. Spir. *vel adulationem.*

integra, quae e Chaucis. Ex emendatione Pichenae, quam suppeditavit codex Florentinus. Nam ibi Pichena vidit *integraque*, in quo Victorius et Iac. Gronovius consentiunt. Post *integraque* teste Iac. Gronovio in Florent. legitur *et ex Cauchis;* teste Victorio *et e Cauchis.* Quare Iac. Gronovius locum haud inepte constituebat sic: *non invalidus flagrantissima cohortium suarum integrâque et ex Chaucis Frisiisque composita. Tolbiaci in f. A. agebat.* Huetius minus feliciter distinguebat: *non invalidus (flagrantissima cohortium suarum integra: quae ex Ch. F. q. composita) Tolbiaci* etc. — MS. Corb. habet: *integraque et Chaucis.* — MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Rhenan. sqq. *integra et e Chaucis* (Guelf. *Chauchis*) etc. — MSS. Reg. Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alciat. *integra manu et e Chaucis* (edd. Put. *Cauchis.* Sed cf. An. 1, 38. 60. 2, 17. 13, 55.).

Tolbiaci. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Agr. edd. Spir. Lips. sqq. cf. Itinerar. Antonin. et Cluver. Germ. Ant. lib. II. c. 17. — Victorius intactum reliquit *Galbiaci*, quod exstat in edd. Beroald. Alciat. — *Calbiaci* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. — *Colbiaci* MS. Farnes. — *Talbiaci* edd. Rhen. Ald. Micylli.

in finibus Agrippinensium agebat. Sed tristis nuntius avertit deletam cohortem dolo Agrippinensium: qui largis epulis vinoque sopitos Germanos clausis foribus igne iniecto cremavere. simul Cerialis propero agmine subvenit. Circumsteterat Civilem et alius metus, ne quartadecuma legio adiuncta Britannica classe adflictaret Batavos, qua Oceano ambiuntur. sed legionem terrestri itinere Fabius Priscus legatus in Nervios Tungrosque duxit. eaeque civitates in deditionem acceptae. classem ultro Canninefates adgressi sunt: maiorque pars navium depressa aut capta. Et Nerviorum multitudinem sponte commotam, ut pro Romanis bellum capesseret, iidem Canninefates fudere. Classicus quoque adversus equites Novesium a Ceriale praemissos secundum proelium fecit. quae modica sed crebra damna famam victoriae nuper partae lacerabant.

LXXX. Iisdem diebus Mucianus Vitellii filium interfici iubet, mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset. Neque Antonium Primum adsciri inter comites a Domitiano passus est, favore militum anxius et superbia viri aequalium quoque, adeo superiorum intolerantis. profectus ad Vespasianum

deletam. MS. Guelf. *delectam.*

largis. Ed. Spir. *longis.* — Mox *prospero* pro *propero.* Deinde: *adiuncto britannico classe.*

qua Oceano. MS. Guelf. *q̄ oceano.* MS. Corb. *qui Oceano.* Ed. Spir. *quia occeano.* Vulgatum est in edd. Puteol. sqq. cum silentio Victorii.

Tungrosque. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhenan. sqq. — *Turingosque* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. — Mox MS. Guelf. *hegque* pro *eaeque.*

in deditionem. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. edd. Spir. Lipsii posteriores sqq. — *in ditionem* edd. Puteol. sqq. cum Lipsii prima.

classem ultro. MS. Agr. *classem vero*, quod Ryckio videbatur melius. „Nam qui adgrediuntur" ait „ultro pugnam incipiunt." Sed *ultro est insuper.* cf. Drakenb. ad Liv. 40, 12, 4.

depressa. Sic edd. Puteol. sqq. cum silentio Victorii. — *dispersa* MS. Guelf. — *deprehensa* ed. Spir.

capesseret. MS. Guelf. edd. Spir. Ald. *capesceret.*

Cap. 80. *ni semina.* Ed. Spir. *in semina.* Edd. Put. M. et V. Beroald. *ni saemina.* — Mox veteres libri mei omnes *adsciri*, non *asciri.*

passus est. Ed. Spir. omittit *est.* — Mox eadem *a Vespasiano* pro *ad Vespasianum.*

Antonius ut non pro spe sua excipitur, ita neque averso imperatoris animo. trahebatur in diversa hinc meritis Antonii, cuius ductu confectum haud dubie bellum erat, inde Muciani epistolis: simul ceteri ut infestum tumidumque insectabantur adiunctis prioris vitae criminibus. neque ipse deerat adrogantia vocare offensas, nimius commemorandis quae meruisset. alios ut imbelles, Caecinam ut captivum ac dediticium increpat. unde paulatim levior viliorque haberi manente tamen in speciem amicitia.

LXXXI. Per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriae statos aestivis flatibus dies et certa maris opperiebatur, multa miracula evenere, quis coeli favor et quaedam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. e plebe Alexandrina quidam oculorum tabe

excipitur. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. Bud. Bodl. (a secunda manu) edd. Spir. Rhen. sqq. — *accipitur* MSS. Guelf. Harl. Bodl. (a prima manu) Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc.

averso. Ed. Spir. cum MSS. Corb. Bud. *adverso*. cf. An. 14, 26. *aversos animis*.

vocare offensas. Ed. Spir. *notare offensas*. MS. Agr. *provocare*. Sed *vocare* eodem significatu dicitur. cf. An. 6, 34. Germ. c. 14. Virgil. Georg. 4, 76.

levior viliorque. Synonyma. cf. Roth. p. 15.

Cap. 81. *statos aestivis flatibus dies*. Ed. Spir. pro *statos* exhibet *statis*. Edd. Put. M. et V. *estuus* pro *aestivis*. Lipsius coniiciebat *statos etesiarum flatibus dies*; ipse tamen eam coniecturam postea delevit. Acidalius volebat *etesiis flatibus*. Immo Vespasianus opperiebatur *statos aestivis flatibus dies*, ut hisce flatibus uteretur ad navigationem, qua Romam peteret. Etesiae autem sunt contrarii Romam navigantibus Alexandria. cf. Caes. B. C. 3, 107. *Ipse enim necessario etesiis tenebatur, qui Alexandria navigantibus sunt adversissimi venti*. Ioseph. Bell. Iud. 4, 11. Αὐτὸς μέν τοι (Vespasianus) εἰς τὴν Ῥώμην ὥρμητο λήξαντος τοῦ χειμῶνος ἀνάγεσθαι κ. τ. λ.

opperiebatur. Ed. Spir. more suo *operiebatur*.

coeli favor. Sic MSS. Guelf. Bodl. edd. Spir. Ernest. Broter. sqq. — *e coelis favor* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Mycill. et nuper Bipontini. — *celis* MS. Reg. — *celitis* MS. Corb. — *coelitum* MS. Agr. — *coelestis* edd. Rhen. Ald. sqq. ad Ernestium, ad quam scripturam praeivit cod. Bud. Nam ibi est *celis est favor*. Ceterum *coeli favor et quaedam in Vesp. inclinatio numinum* inter synonyma referuntur a Rothio p. 10.

e plebe. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. Agr. Bud. ed. Spir. — *ex plebe* MS. Guelf. edd. Put. sqq.

notus genua eius advolvitur remedium caecitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit: precabaturque principem, ut genas et oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manum aeger eodem deo auctore, ut pede ac vestigio Caesaris calcaretur orabat. Vespasianus primo inridere, aspernari: atque illis instantibus modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum et vocibus adulantium in spem induci. postremo aestimari a medicis iubet, an talis caecitas ac

genua eius. MS. Corb. et ed. Spir. *genibus eius.* cf. not. ad An. 1, 13.

gemitu. MS. Guelf. *i gemitu.* Ernestii aures offendebat duplex ablativus *gemitu, monitu;* spurium aut corruptum ipsi videbatur *gemitu.* Emendabat *ingenitum,* quod vix potest ferri. *Gemitu* est ablativus, quo indicatur, quomodo ille expoposcerit (*seufzend*) poniturque adverbii loco. cf. Hist. 3, 17. *fuga palabantur;* 3, 29. *nituntur cuneis.* An. 4, 51. *catervis decurrentes;* 14, 37. *cuneo erupit.* Κακοφωνία eo mollitur, quod *gemitu* et *monitu* ad diversa membra pertinent.

Serapidis. Sic MSS. Flor. (teste Pichena) Guelf. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium et postea edd. Pichen. Bernegg. sqq. — *Sarapis* edd. Lipsii. — *Serapis* MSS. Reg. Corb. Agr. ed. Spir. — *Sarapidis* ed. Gruteri et ita Graecis Σαράπις, Σαράπιδος dicitur.

dedita superstitionibus gens. MS. Agr. et ed. Spir. *dicta gens superstitionibus.*

respergere oris excremento. Ed. Spir. *respuere oris excreamento.* MS. Guelf. *expergere oris excremento.*

manum aeger. Sic MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Iac. Gronov. sqq. cf. not. ad An. 2, 15. sub vv. *onusta vulneribus tergum.* — Victorius intactum reliquit *manu aeger,* quod exstat in MS. Reg. edd. Spir. Put. sqq. ad Iac. Gronovium. — MS. Bud. corrupte *magnum* pro *manum.* Ceterum Sueton. Vespas. c. 7. haec narrat de debili crure, non de manu. Cum Tacito consentit Xiphilin. 66, 5.

pede ac vestigio. Roth. p. 58. „h. e. pede insistentis Caesaris, nisi malis synonyma esse."

inridere. Sic MS. Flor. (test. Vict.) et ed. Spir. — *irridere* MS. Guelf. edd. Puteol. sqq.

illis instantibus. MS. Corb. *aliis instantibus.* — Mox edd. Put. V. Beroald. Alc. ferunt *obsecrationes* pro *obsecratione.* Ed. Spir. *adulationum* pro *adulantium.*

aestimari. Sic MSS. Reg. Harl. Bodl. edd. Put. M. et V. (ibi est *estimari*) Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Ernestium, qui praetulit *existimari.* Nam ita legendam putabat scripturam *extimari,* quae exstat in MSS. Guelf. Ies. Bud. ed. Spir. At *aestimari* est, quod tum Vespasianus a medicis fieri iussit h. e. perpendere, *schätzen: existimari,* quod est consequens aestimationis, ille iubere nequibat. cf. Plin. epp. 10, 78. *aestimabo, an debeas cognoscere de agnoscendis liberis* etc. Vide not. ad An. 13, 17.

debilitas ope humana superabiles forent. medici varie disserere: Huic non exesam vim luminis et redituram, si pellerentur obstantia: illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. id fortasse cordi deis et divino ministerio principem electum. denique patrati remedii gloriam penes Caesarem, inriti ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunae suae patere ratus nec quidquam ultra incredibile laeto ipse vultu, erecta quae adstabat multitudine, iussa exsequitur. statim conversa ad usum manus ac caeco reluxit dies. utrumque, qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.

LXXXII. Altior inde Vespasiano cupido adeundi sacram sedem, ut super rebus imperii consuleret. ar-

ope humana. Ed. Spir. *humana ope.*

disserere. MS. Ies. *dixere.*

exesam. In MS. Guelf. secunda manus superscripsit *c*, ut legas *excesam*, hoc sibi vult *excessam*, quod exstat in ed. Spir.

et redituram. Bipontini *sed rediturum.* Frustra et male. cf. not. ad An. 1, 18.

elapsos in pravum artus. elapsos ... artus MSS. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. M. Rhen. Ald. sqq. — *elapso ... artus* edd. Put. v. Beroald. — *elapso ... artu* ed. Alciati, quae varietas primum e vitio typographico videtur originem traxisse. — Pro *in pravum* MS. Guelf. a prima manu habuit *in parvum*, unde secunda manus fecit *in pravum.* Similis confusio est Hist. 3, 78.

integrari. Sic MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. — *integrare* MSS. Flor. (teste Victorio) Reg. Bud. ed. Spir., ut intelligas salubrem vim, si adhibeatur, posse integrare artus. Sed in verborum terminationibus saepe peccant veteres libri et melius ea res indicatur e locorum ratione.

patrati remedii. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. edd. Spir. Lipsii sqq. — *peracti remedii* MSS. Guelf. Harl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Lipsium. — *parati remedii* MS. Bud.

patere ratus. Sic MSS. et editiones praeter cod. Reg., qui fert *patriae ratus*, et ed. Spir., cui inest *primae ratus*, omisso vocabulo *suae.* Vulgata scriptura indubiae veritatis speciem praefert, et frustra Ernestius coniecit *parere* pro *patere.* Etenim non satis recte ille iudicat notionem aditus aperti, quae sit in verbo *patere*, hic admitti non posse. Immo *cuncta fortunae suae patere*, h. e. aditum ad cuncta patere fortunae suae, rectissime dicitur. cf. Ovid. Metam. 11, 283. *Mediae quoque commoda plebi nostra patent.* Vide ibi adnott. Gierigii, qui animadvertit: „patent quorum copia facilis est."

erecta quae adstabat multitudine. MS. Bud. *erepta* pro *erecta.* Pricaeus ad Apulei. Metam. 2, p. 125. coniecit legendum esse *adrecta.* Sed vid. not. ad An. 3, 7. — Mox ed. Spir. post *conversa* addit *est.*

Cap. 82. *sacram sedem.* Bre-

ceri templo cunctos iubet. atque ingressus intentusque numini, respexit pone tergum e primoribus Aegyptiorum nomine Basilidem, quem procul Alexandria plurium dierum itinere et aegro corpore detineri haud ignorabat. percunctatur sacerdotes, num illo die Basilides templum inisset? percunctatur obvios, num in urbe visus sit? denique missis equitibus explorat illo temporis momento octoginta millibus passuum abfuisse. tunc divinam speciem et vim responsi ex nomine Basilidis interpretatus est.

LXXXIII. Origo dei nondum nostris auctoribus celebrata: Aegyptiorum antistites sic memorant: Ptolemaeo regi, qui Macedonum primus Aegypti opes firmavit, cum Alexandriae recens conditae moenia templaque et religiones adderet, oblatum per quietem decore eximio et maiore quam humana specie iuvenem, qui moneret, ut fidissimis amicorum in Pontum missis effigiem suam acciret: laetum id regno magnamque et inclutam sedem fore, quae excepisset. simul visum eundem iuvenem in coelum igne plurimo attolli. Ptolemaeus omine et miraculo excitus sacerdotibus Aegyptiorum, quibus mos talia intelligere, nocturnos visus aperit. atque illis Ponti et externorum parum gnaris

terius ex ed. Spir. dedit *sacram aedem*, nemine adplaudente. — Eadem ed. Spir. dein pro *cunctos* exhibet *cuncta*.

e primoribus Aegyptiorum. Apud Sueton. Vespas. c. 7. est *Basilides libertus:* quippe frequens est in eiusmodi historiolis narrandi varietas. cf. not. ad An. 1, 6. — Mox utroque loco MS. Guelf. pro *num* habet *nō*, ut saepe. Ed. Spir. *unde in urbe.*

missis equitibus. MSS. Reg. Corb. Agr. ed. Spir. *missis militibus.* — Mox ed. Spir. *Tum divinam.* Post *interpretatus* eadem omittit *est.*

Cap. 83. *antistites.* Edd. Put. M. et V. *antistes*, vitiose.

Ptolemaeo. MS. Guelf. edd. Put. *Ptolomeo.* Mox *Ptolomeus.*

inclutam. cf. not. ad An. 6, 37. Hic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. *inclytam;* ed. Spir. *inclitam.*

iuvenem in coelum etc. Ed. Spir. *iuuenem plurimum in cęlum attolli.*

quibus mos. Heinsius coniiciebat *quibus dos.* Frustra. Brevius Noster loquitur vultque sibi hoc: sacerdotes illos de more adiri, ut talia interpretentur tanquam talium rerum gnari; tum vero nihil intellexisse. Igitur fuit illis *mos* talia intelligere, neque tamen semper *dos.*

Timotheum Atheniensem, e gente Eumolpidarum, quem ut antistitem caerimoniarum Eleusine exciverat, quaenam illa superstitio, quod numen? interrogat. Timotheus quaesitis, qui in Pontum meassent, cognoscit urbem illic Sinopen nec procul templum vetere inter adcolas fama Iovis Ditis. namque et muliebrem effigiem adsistere, quam plerique Proserpinam vocent. Sed Ptolemaeus, ut sunt ingenia regum, pronus ad formidinem, ubi securitas rediit, voluptatum quam religionum adpetens, negligere paulatim aliasque ad curas animum vertere, donec eadem species terribilior iam et instantior exitium ipsi regnoque denuntiaret, ni iussa patrarentur. Tum legatos et dona Scydrothemidi regi (is tunc Sinopensibus imperitabat) expediri iubet: praecepitque navigaturis, ut Pythium Apollinem adeant.

Eumolpidarum. Ed. Spir. *emolpidarum.* MS. Guelf. *comoppidarum.*

Eleusine exciverat. Sic edd. Lallemand. Broter. sqq. ex emendatione I. Fr. Gronovii, adprobantibus Ryckio, Iac. Gronovio et Ernestio. Nam MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Reg. Corb. Bud. ed. Spir. habent *Eleusim.* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. *Eleusi.* Rectius fortasse ex *Eleusim* fecissent *Eleusinarum.*

vetere inter adcolas fama. MSS. Reg. Guelf. (a secunda manu) ed. Spir. *veteres.* — Mox ed. Alciat. *quaesitus* pro *quaesitis*, vitio typographico.

Iovis Ditis. Ed. Spir. *Iovis ditissimum*, et ita in cod. Guelf. correxit secunda manus. — Mox ed. Spir. omittit *et* ante *muliebrem.*

vocent. MS. Guelf. *vocant.* — Mox MS. Agr. *pronius* pro *pronus.* Ed. Spir. post *terribilior* omittit *iam.* Pro *vertere* MS. Bud. habet *verteret.*

ni iussa patrarentur. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *pararentur.* MS. Bodl. in margine *peragerentur.* MS. Bud. *paterentur.* Pro *ni iussa* in ed. Oberlini vitio typographico venit *ne iussa*, quod nuper Naudetus repetiit.

Scydrothemidi. Sic MS. Bud. edd. Puteol. sqq. cum silentio Victorii. — *scydrote, midi* MS. Guelf. Idem mox bis *scydrometidi.* — MSS. Bodl. Ies. *Sydrothemidi* vel *Sidrothemidi.* — MS. Reg. et ed. Spir. *Ciarothemadi.* — MS. Agr. *Ciarothemidi.* — MS. Corb. *Cyarothemedi* et mox *Cyarochemedi.*

regi. Ed. Spir. *regi regi.*

imperitabat. MS. Corb. *imperabat*, quod exortum est e compendio *impitabat.*

praecepitque. Sic MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Guelf. Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *praecipitque* MS. Bud. edd. Rhenan. sqq. ad Iac. Gronovium, qui restituit *praecepitque.* At Ernestius reduxit *praecipitque*, quia sequatur *adeant.* Sed ea non est idonea ratio. cf. Sallust. Catil. c. 41, 5. *Cicero ... legatis praecepit, ut studium coniura-*

Illis mare secundum, sors oraculi haud ambigua: irent simulacrumque patris sui reveherent, sororis relinquerent.

LXXXIV. Ut Sinopen venere, munera, preces, mandata regis sui Scydrothemidi adlegant. qui versus animi, modo numen pavescere, modo minis adversantis populi terreri, saepe donis promissisque legatorum flectebatur. Atque interim triennio exacto Ptolemaeus non studium, non preces omittere. dignitatem legatorum, numerum navium, auri pondus augebat. tum minax facies Scydrothemidi offertur, ne destinata deo ultra moraretur. Cunctantem varia pernicies morbique et manifesta coelestium ira graviorque in dies fatigabat. advocata concione iussa numinis, suos Ptolemaeique visus, ingruentia mala exponit. vulgus adversari regem, invidere Aegypto, sibi metuere templumque circumsedere.

tionis vehementer simulent, ceteros adeant, bene polliceantur etc. Iug. 28, 1. *praecepit, omnis — adgrediantur.* Quare merito revoco *praecepitque.* Per formam *adeant* res iubetur. cf. not. ad An. 1, 19.

Pythium. Sic MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. — *Pythicum* MSS. Flor. (test. Vict. cum lac. Gronovio) Agr. Corb. Bud., quod non videtur absurdum esse. — *Phiticum* ed. Spir.

reveherent. Ed. Put. V. *reueherent.*

Cap. 84. *Scydrothemidi adlegant.* Ed. Spir. *Ciarothemadi regi: is tunc Sinopensibus allegant.* Repetit haec e superiore loco.

versus animi. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Agr. Corb. Bud. edd. Spir. Bipont. Oberlin. sqq. Victorius intactum reliquit *diversus animi*, quod exstat in edd. Puteol. sqq. ad Bipontinos. — *adversus animi* MS. Ies. — *diversis animi* MS. Guelf. — Ceterum *versus* ut saepius dicitur pro *eversus*, ut An. 3, 36. *abolitas leges et funditus versas;* 3, 34. *civitatem verti.* Igitur *versus animi* erit, cui animus est ademptus, *bestürzt*, *muthlos*, *unschlüssig*, consilii inops. Oberlinus non satis recte interpretatur *mutatus*, *mutabilis.*

numerum navium. Ed. Spir. *numero navium.* — Mox eadem pergit: *ne destinata ultra a deo*, omisso verbo *moraretur.* — *a deo* exstat etiam in MSS. Corb. et Agr.

morbique. Ed. Spir. negligit copulam *que.*

et manifesta. MS. Guelf. *ac manifesta.*

graviorque. Ed. Spir. *grauior atque.* — Mox: *vulgus aduersari: reges: iuidere* etc. — *reges* exstat etiam in MSS. Corb. et Agr. — Pro *adversari* Muretus et Ernestius volebant *aversari.* Sed cf. not. ad An. 1, 28.

circumsedere. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. cum Lipsii prima. Mox Lipsius et posteriores ediderunt *circumsidere.* Sed aeque bona est vetus scriptura. cf. not. ad An. 15, 5.

Maior hinc fama tradidit deum ipsum adpulsas litori navis sponte conscendisse. mirum inde dictu, tertio die tantum maris emensi Alexandriam adpelluntur. templum pro magnitudine urbis exstructum loco, cui nomen Rhacotis. fuerat illic sacellum Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum. haec de origine et advectu dei celeberrima. nec sum ignarus esse quosdam qui Seleucia urbe Syriae accitum regnante Ptolemaeo, quem tertia aetas tulit: alii auctorem eundem Ptolemaeum, sedem, ex qua transierit, Memphim perhibent, inclutam olim et veteris Aegypti columen. deum ipsum multi Aesculapium, quod medeatur aegris corporibus: quidam Osirim antiquissimum illis gentibus numen: plerique Iovem ut rerum omnium potentem: plurimi Ditem patrem insignibus, quae in ipso manifesta, aut per ambages coniectant.

maior hinc fama. H. e. fama maius miraculum ferens. MS. Guelf. *Maiorum hinc fama.*

litori. Ed. Spir. *lictori*, vulgari confusione, quae orta est e scriptura *littori*. Nam in duplicatione *tt* prius *t* plerumque ita scribitur, ut vix discerni possit a *c*.

naves. Edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. *navis.* — Mox MS. Guelf. *miro inde dictu.*

tantum maris. MS. Reg. et ed. Spir. *totum maris.*

adpelluntur. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *appelluntur* MS. Guelf. et editiones veteres.

Rhacotis. fuerat illic etc. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. — *Rhacotis fuerat. Illic* etc. MS. Guelf. edd. Spir. Put. Beroald. Alc.

Serapidi atque Isidi. MS. Reg. *Serapidi Isidi.* Ed. Spir. *Serapidi Ysidi.* Edd. Lips. et Grut. *Sarapidi atque Isidi.* cf. not. ad c. 81. Ceterum ne cum Savilio mireris templum dei tunc demum advecti iam prius fuisse apud Aegyptios, neve mutes in *Osiridi atque Isidi.* Vetat Plutarchus, qui de Isid. et Osir. p. 362. A. refert: εἰς Ἀλεξάνδρειαν κομισθεὶς τὸ παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Πλούτωνος ἐκτήσατο τὸν Σάραπιν. Serapidis igitur nomen iam prius cognitum fuit apud Aegyptios; simulacrum vero Sinopense antiquo nomine coli coepit.

advectu. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Bud. edd. Rhen. Ald. sqq. — *adventu* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alciat., quod revocarunt Broterius et Bipontini. Oberlinus bene restituit *advectu.* cf. not. ad Germ. c. 9. et An. 12, 27. — MS. Corb. *de adventu et origine dei.*

inclutam. Hic MS. Guelf. et ed. Spir. *inclitam.* Edd. Puteol. sqq. (cum silentio Victorii) *inclytam.* cf. not. ad c. 83. — Mox ante *veteris* editiones Lipsii priores omittunt *et*, quod Pichena restituit consentientibus libris veteribus.

deum ipsum. Ed. Spir. *Deinde ipsum.*

quae in ipso. MS. Guelf. et ed. Spir. *quaeque in ipso.*

coniectant. Ed. Spir. *obiectant.*

LXXXV. At Domitianus Mucianusque, antequam Alpibus propinquarent, prosperos rerum in Treveris gestarum nuntios accepere. praecipua victoriae fides dux hostium Valentinus, nequaquam abiecto animo, quos spiritus gessisset, vultu ferebat. auditus ideo tantum, ut nosceretur ingenium eius, damnatusque inter ipsum supplicium exprobranti cuidam patriam eius captam, accipere se solatium mortis respondit. Sed Mucianus, quod diu occultaverat, ut recens exprompsit: quoniam benignitate deum fractae vires hostium forent, parum decore Domitianum confecto prope bello alienae gloriae interventurum. si status imperii aut salus Galliarum in discrimine verteretur, debuisse Caesarem in acie stare: Canninefates Batavosque minoribus ducibus delegandos. ipse Lugduni vim fortunamque principatus e proximo ostentaret nec parvis periculis immixtus et maioribus non defuturus.

LXXXVI. Intelligebantur artes: sed pars obsequii in eo, ne deprenderentur. ita Lugdunum

Cap. 85. *Alpibus propinquarent.* MS. Guelf. *propinquaret* (omissa lineola). MS. Corb. *appropinquarent*, vulgari permutatione. cf. not. ad Hist. 4, 33. et 70.

Valentinus, nequaquam abiecto animo. Ed. Spir. *obiecta* pro *abiecto.* Bipontini: *Valentinus. Is nequaquam* etc., inutili emendatione.

auditus ideo. MS. Corb. *auditus igitur.*

supplicium. MS. Guelf. *iudicium.*

exprompsit. Ed. Spir. *expressit.*

vires hostium. MS. Guelf. et ed. Spir. *hostium vires.*

aut salus Galliarum. MS. Guelf. *aut status Galliarum*, repetito eodem vocabulo.

in discrimine verteretur. Sic MSS. Flor. (teste Iac. Gronovio) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Bud. Agr. edd. Spir. Rhen. sqq. — *in discrimen verteretur* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Pichen. Lips. (1607.) Bernegg. sqq. ad Ernestium. Nam disertis verbis Pichena testatus est ita legi in libris veteribus. Ernestius reduxit *in discrimine.* Coniicio terminationem vocabuli in Florent. esse per compendium scriptum.

ostentaret. Sic edd. Rhen. Ald. sqq., verissima emendatione. — *ostentare* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc.

nec parvis. Ed. Spir. *ne parvis.* — Mox eadem omittit copulam *et* ante *maioribus.*

Cap. 86. *Intelligebantur.* MS. Flor. teste Victorio *intellegebantur.* cf. not. ad An. 1, 11. 2, 42. 3, 15.

artes etc. Ed. Spir. *arces: sed*

ventum. unde creditur Domitianus occultis ad Cerialem nuntiis fidem eius tentavisse, an praesenti sibi exercitum imperiumque traditurus foret. qua cogitatione bellum adversus patrem agitaverit an opes viresque adversus fratrem, in incerto fuit. nam Cerialis salubri temperamento elusit, ut vana pueriliter cupientem. Domitianus sperni a senioribus iuventam suam cernens modica quoque et usurpata antea munia imperii omittebat: simplicitatis ac modestiae imagine in altitudinem conditus studiumque litterarum et amorem carminum simulans, quo velaret animum et fratris aemulationi subduceretur,

pars obsequi ĩ eo ne deprehendētur. — *deprenderentur* MS. Guelf., quod in locum recipio, quia est e Taciti usu. cf. An. 3, 53. Vulgo libri ferunt *deprehenderentur.* Edd. Put. M. et V. *depraehenderentur.* De formula *pars obsequii* cf. Hist. 3, 46.

ventum. Ed. Spir. *ventum est.*

creditur. MS. Guelf. *credatur.*

qua cogitatione . . . agitaverit. Sic MSS. Flor. (teste Pichena) Corb. edd. Beroald. (cum silentio Victorii) Pichen. Gruter. Bernegg. sqq. — *qua cogitatione ... cogitaverit* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. Alc. Rhen. sqq. ad Pichenam, adprobante Salinerio. — *qua contagione . . . cogitaverit* MSS. Reg. Agr. ed. Spir., unde Ryckio videbatur sententia optima fluere. Lipsius pro *cogitatione* coniecit *contatione*, Gruterus *rogitatione*, Ernestius *sollicitatione.* Sed cf. An. 15, 54. *magnae cogitationis manifestus erat.* Hist. 2, 74. *esse privatis cogitationibus regressum.*

viresque. MS. Bud. *virosque.*

a senioribus. Barthius coniecit *a sanioribus.* Refutatus est a Ryckio. Etenim *seniores* hic aptissime opponuntur *iuventae.*

et usurpata antea munia. Et abest a MS. Corb. Sed cf. not. ad An. 1, 55. sub vv. *initio veris et repentino incursu.* MSS. Flor. (teste Ryckio) Bud. Agr. pro *antea* ferunt *ante ea.* Victorius cum Pichena et Iac. Gronovio tacent de hac re.

simplicitatis. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. huic vocabulo praemittunt *simul*, quod cum absit a MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Bud. Corb. ed. Spir., Pichena recte delevit.

in altitudinem conditus. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *in altitudine conditus* MSS. Reg. Corb. Agr. ed. Spir., scilicet lineola neglecta. Ernestius frustra coniecit: *in solitudinem conditus.* Namque *in altitudinem* simpliciter significat *penitus* augetque vim vocabuli *conditus*, ut cogites de profunda dissimulatione intimo pectore sensus claudente. Iuvabit ad h. l. conferre Homer. Iliad. τ', 125. τὸν δ' ἄχος ὀξὺ κατὰ φρένα τύψε βαθεῖαν.

studiumque . . . simulans. cf. Sueton. Domit. c. 2.

subduceretur. MSS. Guelf. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. *subduceret*, et ita quoque MS. Flor., si fides est habenda Iac. Gronovio. Pichena et Victorius intactum reliquerunt *subduceretur*, quod le-

cuius disparem mitioremque naturam contra interpretabatur.

gitur in edd. Spir. Beroald. Alciat. sqq. — Iac. Gronovius probat activam formam intelligitque *animum*. Sed non poenitet vulgatae scripturae.

contra interpretabatur. MS. Agr. *interpretabantur*. MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Harl. Bodl. Ies. Corb. Bud. ed. Spir. post *interpretabantur* addunt: *neque vos impunitos patiantur*, verba repetita ex oratione Cerialis c. 77. — In MS. Farnes. adscribitur: *deest hic aliquantulum*. Decepit librarium additamentum illud spurium. Codex Guelf. in margine habet haec: *post haec scriptum erat*. Sed deinde nihil additur.

C. CORNELII TACITI HISTORIARUM

LIBER QUINTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Interim Titus cum valido exercitu prope Hierosolyma castra facit. 2—5. Iudaicae gentis primordia, sacra, instituta deque iis maligna profanorum iudicia. 6. 7. Descriptio terrae finiumque, balsami, Libani, Iordanis, lacus bitumen egerentis, camporum torridorum, fructuum in cinerem vanescentium, Beli amnis, cuius arenae vitro inservientes. 8. Hierosolyma genti caput. Immensae opulentiae templum. Iudaeorum sub aliis gentibus et suis regibus fata: 9. varia sors sub Romanis. 10—12. Bellum sub Gessio Floro procuratore ortum. Titus Iudaeos in urbem compulsos obsidet. Hierosolymorum munitiones, copiae, duces. 13. Prodigia ante obsidium.

14. Interea Civilis reparato per Germaniam exercitu bellum renovat. 15. Manum conserit cum Ceriale satis prospere. uterque ad maturandum summae rei discrimen erectus 16. 17. aciem instruit, suos adloquitur. 18. Fit atrox pugna, qua proditione cuiusdam Batavi Germani vincuntur. 19. 20. Civilis in Batavorum insulam transgressus praesidia Romanorum invadit, Verace, Classico, Tutore suffultus. 21. Ambiguum proelium. subvenit Cerialis fortunamque vertit: 22. at parum providus ferme opprimitur. 23. Civilis navalem aciem ostentat, sed a Ceriale trans Rhenum pellitur. Hic insulam Batavorum populatus superfuso amne novum discrimen adit. 24. 25. Tum hostium animos occultis nuntiis labefactat. 26. Civilis petito colloquio ad deditionem se pronum profitetur.

I. Eiusdem anni principio Caesar Titus perdomandae Iudaeae delectus a patre et praelatis utrius-

COMMENTARIUS.

Cap. 1. *delectus a patre.* Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *delegatus* MS. Reg. et ed. Spir. — *electus* MS. Bodl. — Ernestius coniecit *relictus* e loco Suet. Tit. c. 5. Nam *delectus* imperatoris filio non satis dignum esse verbum nimis anxie

que rebus militia clarus maiore tum vi famaque agebat certantibus provinciarum et exercituum studiis. atque ipse, ut super fortunam crederetur, decorum se promptumque in armis ostendebat comitate et

censebat. Nihil tamen ignobile in illo verbo esse video, immo praecipuum decus. cf. An. 1, 59. *Ille delectus Tiberius*. Vid. ibi not.

et praelatis utriusque rebus militia clarus. MS. Flor. *et p̄latis* (teste Victorio), quod est compendium pro *praelatis* in veteribus libris frequens. Ryckius inde attulit *p̄latis*, quod idem est. — MSS. Vatic. (test. Lips.) Agr. Corb. *prelatis*. Ed. Spir. *prelatus utrisque rebus*, non *praelatis*, uti tradiderunt Ernestius et Broterius. — MS. Bud. *preliatis*. — MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *proeliantis* vel *praeliantis* vel *p̄liantis* (uti Guelf.). — Quae cum vana essent, Rhenanus correxit *privatis* secundum Hist. 3, 65. *privatis utriusque rebus*. Rhenani emendationem retinuere Ald. Micyll. Lips. sqq. ad Bipontinos, quia melius quid non poterat inveniri. Sed quid tum sibi vult *utriusque?* Sufficiebat dici: *et privatis rebus*. Miror Bekkerum et Lünemannum Rhenani correctionem revocasse, eodemque rediisse Strombeckium, Gutmannum et Ricklefsium. Melius Bipontini et Oberlinus, qui reposuerunt *praelatis*, quanquam contorte explicant. Volunt *praelatas utriusque res* esse honores utrique delatos. Quae sententia quomodo inesse possit aut quid faciant ad hanc rem honores utrique delati, non video. Neque tamen de idoneo verbi sensu desperes. *Res* sunt res gestae. *Praeferri* dicuntur res insignes, quibus dignitas aut gloria alicuius notescit, locutione a triumpho repetita. Igitur Germanice convertas: *und durch die vor ihm hergehenden väterlichen und eigenen Thaten als Krieger berühmt* etc. Ceterum Gutmannus locum distinguit ita: *Eiusdem ... a patre. Et privatis* etc. Putat enim duplicem temporis definitionem (*anni principio* et *tum*) non pati, ut ad unum idemque verbum (*agebat*) referatur. Fallitur. Titum perdomandae Iudaeae delectum a patre Tacitus iam supra 4, 51. narraverat: quare huius loci verba ad prius narrata respiciunt. Igitur verba *eiusdem anni principio* pertinent ad *delectus: tum* referendum est ad verbum *agebat*.

ut super fortunam. Ex emendatione Lipsii, quam praeivit cod. Vaticanus, in quo Lipsius vidit: *ut superiori unam*. Quam coniecturam Pichena primus in locum recepit, quia codicem Florentinum cum illo Vaticano viderat consentientem, quod idem testatur Victorius. MS. Bud. *ut superior unam*. MSS. Farnes. Reg. Corb, Agr. ed. Spir. *ut superior omnibus*, quae Ryckio videbantur haud spernenda: sed Ernestius ea languida esse sensit. MSS. Guelf. Harl. Ies. *ut imperio dignus iam crederetur*. MS. Bodl. edd. Puteol. sqq. ad Pichenam *ut superior sui iam crederetur*. Rhenanus coniecit: *ut superiori via ingrederetur*. Trillerus: *ut superior animo crederetur*. Ernestius: *ut suae par fortunae crederetur*. At haec non valuere ad depellendam Lipsii emendationem.

decorum se promptumque in armis. Ed. Spir. pro *decorum* fert *clarum*. Vulgatam scripturam varie interpretantur. Strombeckius: *stets thätig in herrlicher Waffenrüstung*. Sed de pulchris armis hic non esse sermonem bene viderunt Lamallius et Gutmannus, quorum hic locum explicat: *erschien*

adloquiis officia provocans: ac plerumque in opere, in agmine gregario militi mixtus incorrupto ducis honore. Tres eum in Iudaea legiones, quinta et decuma et quintadecuma, vetus Vespasiani miles, excepere. addidit e Syria duodecumam et adductos Alexandria duoetvicesimanos tertianosque. Comitabantur viginti sociae cohortes, octo equitum alae: simul Agrippa Sohemusque reges et auxilia regis Antiochi validaque et, solito inter adcolas odio, infensa Iudaeis Arabum manus: multi, quos urbe atque Italia sua quemque spes acciverat occu-

in seiner Schönheit und kriegerischem Lebhaftigkeit. Ricklefsius: *zeigte sich mit Anstand und rasch in den Waffen.* Veram sententiam non adsequuntur. Namque *decorum* non solum ad externam speciem, sed etiam ad omnium dictorum factorumque dignitatem pertinet. Sic *decora iuventa* Hist. 1, 53. Igitur *decorum se ostendebat* h. e. ita se ostendebat, ut cuncta dicta factaque sua ad decorum essent composita. *Promptum* significat, quod Germanice dicimus *gewandt und kräftig.* *In armis* h. e. quando ducem agebat, ducis officia obibat. Nam *arma* vocabulum dicitur omnino pro re militari.

adloquiis. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *alloquiis* MS. Guelf. et editiones veteres.

tres eum in Iudaea. Sic MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Rhen. Ald. sqq. — MS. Bud. pro *eum* habet *cum.* — Edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. *tum,* haud inepte: nam pronomen intelligi potest. — MS. Reg. et ed. Spir. voculam omittunt.

miles. Ed. Spir. *milites*: sed antea *vetus.*

addidit e Syria. Sic MS. Reg. edd. Spir. Ernest. Broter. sqq. — *tradidit e Syria* MSS. Bodl. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *tradidit ei Syria* MSS. Guelf. Harl. Ies. — *tradidit et Syria* edd. Rhenan. Ald. sqq. ad Ernestium. Haud scio an *tradidit e Syria* ita possit defendi, ut intelligatur de legionibus, quae hucusque fuerint in manu Titi ab eoque datae et traductae sint ad bellum Iudaicum. Duoetvicesimanos tertianosque tum cogita Alexandria navibus adductos in Syriam et inde cum copiis Syriacis in Iudaeam tramissos. Veterum librorum auctoritas sane stat pro ea scriptura, et *addidit* emendationi similius est quam *tradidit.*

duodecumam. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *duodecimam* MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. — Ed. Spir. *duodecima,* omissa lineola.

adductos. Sic MS. Guelf. (a secunda manu) edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. — *abductos* MSS. Bodl. Guelf. (a prima manu) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc., nec video quid hanc scripturam impediat.

duoetvicesimanos. Ed. Spir. *duos et vicesimanos.* MS. Flor. teste Victorio *duo et vicensimanos,* uti solet.

Sohemusque. Sic MS. Guelf. edd. Rhenan. Ald. sqq. — *Soheniusque* edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. cf. not. ad An. 12, 23. 13, 7. et Hist. 2, 81.

multi, quos. Ed. Spir. *multis quoque.*

pandi principem adhuc vacuum. His cum copiis fines hostium ingressus composito agmine, cuncta explorans paratusque decernere, haud procul Hierosolymis castra facit.

II. Sed, quia famosae urbis supremum diem tradituri sumus, congruens videtur primordia eius aperire. Iudaeos Creta insula profugos novissima Libyae insedisse memorant, qua tempestate Saturnus vi Iovis pulsus cesserit regnis: argumentum e nomine petitur: inclutum in Creta Idam montem, adcolas Idaeos; aucto in barbarum cognomento Iudaeos vocitari: quidam regnante Iside exundantem per Aegyptum multitudinem ducibus Hierosolymo ac Iuda proximas in terras exoneratam: plerique Aethiopum prolem, quos rege Cepheo metus atque odium mutare sedes perpulerit. Sunt qui tradunt, Assyrios convenas, indigum agrorum popu-

facit. MS. Guelf. *fecit.*

Cap. 2. *congruens.* Ed. Spir. *congruum.*

inclutum. Hic MS. Guelf. *inclitum.* Edd. Puteol. sqq. (cum silent. Vict.) *inclytum.* cf. not. ad Hist. 4, 83 et 84. — Ed. Spir. totum locum misere corrumpit: *Argumentum inde iuste iniuste sumitur. dicāt ī creta ida mōtes accolas iudeos aucto in barbarum cognomento* etc.

aucto in barbarum cognomento. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Bud. edd. Rhenan. Ald. sqq. et ita An. 6, 42. *civitas potens, septa muris neque in barbarum corrupta.* Vid. ibi not. — *aucto in barbarum morem cognomento* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. — *aucto in barbarorum cognomento* MS. Agr. cum ed. Spir. — Post *vocitari* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. sqq. addunt *quasi Idaeos* (vel *Ideos*, *Ydeos*), quae apertam glossematis speciem praeferunt. Delevit Pichena auctoritate MSS. Flor. (de quo idem testatur Victorius) Vatic. et ed. Spir., postquam Lipsius inde ab anno 1574. eadem verba uncis incluserat atque damnaverat.

exundantem etc. Ed. Spir. nugatur: *exundante per egyptum multitudine ducibus hierosolimo et iuda proximas in terras exoneratas.* De verbo *exonerare* cf. not. ad An. 3, 54.

Cepheo. Sic edd. Puteol. sqq. cum silentio Victorii. — *Coefeo* MS. Guelf. — *Copheo* ed. Spir.

perpulerit. Ed. Spir. *ꝑpulerit* (h. e. *propulerit*).

sunt qui tradunt. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. — *sunt qui tradant* MS. Bud. edd. Spir. Rhen. Ald. sqq. Sed non intelligo, quae sit necessitas coniunctivi. cf. Sallust. Cat. c. 19, 4. *Sunt qui ita dicunt, imperia eius iniusta, superba, crudelia barbaros nequivisse pati*, ibique Kritzium. Cic. Off. 1, 24, 2. *Sunt, quemadmodum supra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponunt.* Plura vide apud Ramshorn. Gr. §. 184. 2. Not. 2. p. 551.

indigum agrorum. Ed. Spir. *indignum agrorum.*

lum, parte Aegypti potitos, mox proprias urbes Hebraeasque terras et propiora Syriae coluisse: clara alii Iudaeorum initia Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditae urbi Hierosolyma nomen e suo fecisse.

mox proprias urbes. MS. Guelf. *mox urbes proprias.* MS. Bud. ante *mox* addit *an*, unde Rhenanus fecerat *ac*, quod duravit usque ad Ryckium. Is inutilem particulam delevit, quia ceteri codd. MSS. et editiones ante Rhenanum eam respuunt.

propiora. MS. Bud. *propriora.* Eadem confusio est Hist. 3, 65. Sed cf. infr. c. 16. *propiora fluminis.*

clara alii Iudaeorum initia Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditae urbi Hierosolyma nomen e suo fecisse. Hic locus prae aliis iniuriam ab editoribus interpretibusque inlatam queritur. Ed. Spir. *Clara alii iudeorum initia solimos carminibus celebratam homeri gẽtem.. conditã urbẽ nomĩe suo hierosolimã fecisse.* Edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *Clara alii Iudaeorum* (Put. *Iudeorum*) *initia Solymos* (Put. *Solimos*) *carminibus Homeri celebratam gentem: conditam urbem nomine suo fecisse.* Quae quum non satis apta essent, Rhenanus adripuit scripturam codicis Budensis *conditae urbi*, ut ederet: *Clara alii Iudaeorum initia: Solymos carminibus Homeri celebratam gentem, conditae urbi Hierosolymam nomen e suo fecisse.* Haec duraverunt usque ad Bipontinorum editionem, quamquam Pichena censuerat legendum esse: *condita urbe, Hierosolymam nomine suo fecisse,* quia in veteribus libris omnibus est *nomine suo.* At Bipontini et cum illis Oberlinus audaciore suo modo fecere: *coluisse rura. Alii Iudaeorum initia, Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditam urbem Hierosolyma nomine suo fecisse.* Et *Hierosolyma* quidem pro *Hierosolymam* recte videntur reposuisse. cf. Hist. 2, 4. 5, 1. 9. 10. 11. et Oudendorp. ad Sueton. Oct. c. 93. Verum quid sibi velint *rura* illa non intelligo: sufficiunt verba *propiora Syriae coluisse.* cf. c. 16. *laeva ac propiora fluminis Transrhenani tenuere.* Delectantur tamen Bipontinorum coniectura Strombeckius, Lünemannus et alii. Bekkerus Puteolani scripturam restituit hac interpunctione: *clara alii Iudaeorum initia, Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditam urbem Hierosolyma nomine suo fecisse.* Favent et Rickleſsius cum Gutmanno, nisi quod diversam instituerunt membrorum distinctionem. Nam Gutmannus: *Andere geben den Judäern einen edlern Ursprung; die Solymer, ein in Homers Gesängen gefeyertes Volk, hätten die von ihnen erbaute Stadt nach ihrem Namen Hierosolyma genannt.* Rickleſsius: *Andere: „berühmt sey der Judäer Beginn; die Solymer, ein Volk, in Homers Gesängen gefeyert, hätten die von ihnen gegründete Stadt nach ihrem Namen benannt.* Sed primum scripturae *conditam urbem* parum auctoritatis est e codicibus MSStis. Nam MSS. Flor. (test. Vict.) et Guelf. cum Bud. ferunt *conditae urbi*, in quo haud dubie alii codices MSS. cum his consentient. Nam et Lipsius et Broterius ediderunt *conditae urbi* nulla variantis scripturae mentione facta. Satis igitur verisimile est formam *conditam urbem* ex inscitia esse or-

III. Plurimi auctores consentiunt, orta per Aegyptum tabe, quae corpora foedaret, regem Bocchorim adito Hammonis oraculo remedium petentem purgare regnum et id genus hominum, ut invisum deis, alias in terras avehere iussum. Sic conquisitum conlectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrimas torpentibus, Moysem unum exsulum monuisse, ne quam deorum hominumve opem

tam ob verbum *fecisse*, et *nomine suo*, quod omnibus inest libris, natum e compendio *nom̄ e suo* vel *nō e suo*. Rhenanus igitur hanc loci partem egregie emendavit. Deinde vocabulo *clara* significatum tribuunt ab hoc loco alienum. Nam de claritudine generis hic non est sermo: sed *clara Iudaeorum initia* ponuntur eodem sensu, quo Cicer. Catil. 1, 3. dicit: *luce sunt clariora nobis tua consilia omnia.* Germanice igitur converte: *Andere, der unverkennbare Urstamm der Iudäer, die Solymer, ein in Homers Gedichten gefeyertes Volk, haben für die erbauete Stadt den Namen Hierosolyma aus dem ihrigen gemacht.* De formula *urbi nomen facere* cf. Virgil. Georg. 1, 137. *Navita tum stellis numeros et nomina fecit.* Formulam dicendi *conditam urbem nomine suo facere* vix idoneis exemplis probabis. Solymos cognosce apud Homer. Iliad. ζ, 184. 204. Odyss. ε, 283.

Cap. 3. *tabe.* Iustin. 36, 2. *scabiem et vitiliginem* dicit.

Bocchorim. Sic MSS. Flor. (teste Pichena) Vatic. 1958. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. ad Lipsium, qui maluit *Occhorim* e MSS. Vaticc. 1863. et 1864. Reg. Agr. ed. Spir. Mox Pichena priorem scripturam restituit. MS. Bud. *Bocchorum.* *Bocchorim* habet etiam Orosius 1, 10. ubi videbis totum hunc Taciti locum repetitum.

adito. MS. Guelf. *aditto.* Ed. Spir. *hamonis*, et mox *āmonis.*

ut invisum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. — *et invisum* edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. — Pro *deis* ed. Spir. *diis.* — Mox *alias* in MS. Corb. non legitur.

avehere. Ed. Spir. *abdicere.* MSS. Reg. Corb. Guelf. (a secunda manu) *abire*: a prima manu in cod. Guelf. fuit exaratum *avehere.* — Mox in eodem libro *sit* post *relictum* desideratur.

vastis locis. Tertullian. Apol. c. 16. e Taciti loco adfert: *in vastis Arabiae locis.* Scilicet nomen *Arabiae* ut Tacito de hac re edoctior de suo addidit. Orosius ut Noster.

per lacrimas. H. e. *inter lacrimas.*

torpentibus. De inertia animique desidia. cf. Ovid. Metam. 5, 195. *vitioque animi non viribus, inquit, Gorgoneis torpetis.*

Moysem. Sic (sive *Moysen*) MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. (idem mox *Moises*) Harl. Ies. Corb., unde recipio. — *Moisen* MS. Reg. et ed. Spir., quae infra c. 4. *Moyses* exhibet. — *Mosen* et deinde *Moses* edd. Puteol. sqq.

unum exsulum. MS. Reg. et ed. Spir. *unum exulem.*

exspectarent, utrimque deserti, et sibimet duci coelesti crederent, primo cuius auxilio credentes praesentis miserias pepulissent. Adsensere atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil aeque quam

utrimque. Sic MSS. Reg. Corb. Agr. edd. Spir. Ryck. Iac. Gronov. sqq. In MS. Flor. huius folii litterae evanescebant teste Iac. Gronovio. Id tamen apparebat voculae *ab* nullum esse vestigium, unde Iac. Gronov. fuisse et ibi *utrimque* colligebat. Victorius intactum reliquit *ab utrisque*, quod legitur in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Ryckium. — MS. Bud. *utrisque* absque praepositione.

et sibimet duci coelesti crederent, primo cuius auxilio credentes praesentis miserias pepulissent. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Reg. ed. Spir.; ita et Orosius in ed. Augustana 1471. (teste Oberlino), egregia sententia, sed quae interpretum mentem adhuc fugit. Quare inde a Puteolano maluerunt scripturam aliorum codicum sequi aut virorum doctorum coniecturas. Namque MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. habent: *sed sibimet, ut duci coelesti, crederent, primo cuius auxilio credentes, praesentes miserias pepulissent.* MS. Corb. *ni sibimet.* MS. Agr. *ut sibimet duci celesti crederent.* Secunda manus pro *ut* ibi adscripsit *et.* Quae veterum librorum verba quum viderentur vitio laborare, accesserunt variae virorum doctorum coniecturae. Schelius coniecit: *adessent sibimet: ut duci coelesti crederent, primo cuius* etc. I. Fr. Gronovius: *se sibimet, et, ut duci coelesti, crederent primo, cuius auxilio praesentes* etc. Ernestius: *sed sibimet, et ut duci coelesti crederent, primo cuius* etc., vel: *sed sibimet, ut duci coelesti crederent, et primo cuius* etc., vel cum Groslotio: *cuius primo auxilio.* Freinshemius: *cuius consilio.* Bipontini: *sed sibimet quaerentes, ut duci coelesti, crederent primo, cuius auxilio praesentes miserias pepulissent.* Oberlinus edidit: *sed sibi, ut duci coelesti crederent, primo cuius auxilio praesentes miserias pepulissent*, resecta particula *met*, ne ipsi Iudaei, sed ut Moyses significetur, expulsoque verbo *credentes* ut spurio. Sed quaero quomodo Moyses se ducem coelestem (h. e. a diis missum) potuerit ostentare, postquam monuerat, ne quam deorum opem exspectarent. Ita haud dubie sibi repugnat. Deinde quod sit primum illud auxilium, de quo loquitur, non invenio. Referunt illud auxilium ad opem a Moyse praestitam in Aegypto et in transitu maris rubri. At tum Tacitus non scripsisset *primo*, sed *priore*. Iam vero de priore aliquo auxilio a Moyse suis praestito nihil hucusque Tacitus dixit: quare ineptum est Moysem loquentem de illo auxilio induci. Redeamus igitur ad veterum librorum scripturam. Variant inter *et* et *sed*: nam sexcenties ita *sed* pro *et* ex emendandi studio substituitur. cf. not. ad An. 1, 13. Omnes consentiunt in *sibimet*, ut cogites de ipsis Iudaeis, non de Moyse. *Sibimet crederent* h. e. in se ipsis ponerent fiduciam. cf. Ovid. Metam. 11, 108. *vix sibi credens.* Nam cui nihil opis exspectandum deorum hominumve, ei nihil aliud reliquum est quam ut sibimet credat, a se ipso auxilium exspectet. *Dux coelestis* est sol, lux diurna. Nam Iudaei per haec incitantur ad peregrinationem, qua novas quaerant sedes: duce igitur illo coelesti opus est, qui monstret iter. Ad verba *duce coelesti* intellige *eo*, quod ob sequens *cuius* omittitur. *Primum auxilium* est

inopia aquae fatigabat. Iamque haud procul exitio totis campis procubuerant; cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moyses coniectura herbidi soli largas aquarum venas aperit. Id levamen. et continuum sex dierum iter emensi septimo pulsis cultoribus obtinuere terras, in quis urbs et templum dicata.

IV. Moyses quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quae apud nos sacra: rursum concessa apud illos, quae nobis incesta. Effigiem animalis,

auxilium quod primum praestatur; loci vero sententia haec: cuius auxilio quam primum credidissent praesentes miserias pepulissent (*durch dessen erste Hülfe sie, wenn sie Vertrauen hätten*, vel: *durch dessen Hülfe sie sogleich, wenn sie Vertrauen hätten, das gegenwärtige Elend vertreiben würden*). *Pepulissent* est optativus aoristi, qui omni tempori se accommodat et cui hoc loco inest significatio futuri exacti. Verbum *credentes* multum abest ut redundet, ut praecipuam habeat vim: nam eo respicit quod ante dictum est *crederent*, enuntiatque ipsam conditionem miseriarum pellendarum. Ceterum Tacitus haud dubie scripsit *credentes praesentis*, non *praesentes*, uti libri ferunt e male sedulo pellendi antiquam formam studio. Ignorantia verae loci sententiae exorta est scriptura: *ut duci coelesti*. Quod verbum *credentes* deest in MSS. Orosii et Othonis Frising., levissimi videtur momenti: nam maior est in hac re auctoritas codicum MSStorum Taciti.

nihil aeque. Ed. Spir. *nil aeque*. — Mox MS. Corb. omittit *que* in *iamque*.

asinorum agrestium. Ed. Spir. *assiriorum agrestum*. In MS. Guelf. secunda manus ex *asinorum* fecit *asiriorum*.

e pastu. MS. Flor. teste Victorio *e pasto*.

concessit. Ed. Spir. *conscendit*.

venas aperit. Huëtius frustra coniecit *venas reperit*.

id levamen. Intellige *fuit*. MS. Guelf. *idem levamen*. — Mox idem codex *pulsi* pro *pulsis*.

obtinuere. MS. Bud. *continuere*.

in quis. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronovio) edd. Spir. Ernest. Broter. sqq. — *in quibus* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Bud. edd. Puteol. sqq. ad Ernestium. cf. not. ad Hist. 4, 53.

dicata. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronovio) Agr. Corb. edd. Ernest. Broter. sqq. — *dicata sunt* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Puteol. sqq. ad Ernestium. — *dedicata sunt* MS. Reg. et ed. Spir.

Cap. 4. *in posterum*. MS. Guelf. *imposterum*, uti solet.

gentem. MS. Corb. *gentes*.

effigiem animalis. De fabula asini a Iudaeis culti multo consensu apud veteres tradita disputavit Broterius ad h. l. Stephan. Morinus Dissertt. octo. Gen. 1683. p. 157. Bochart. Hierozoic. 1, 2, 18. T. Faber. Epp. 1, 6.

quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere: caeso ariete velut in contumeliam Hammonis. Bos quoque immolatur, quem Aegyptii Apin colunt. Sue abstinent memoria cladis, quod ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem crebris adhuc ieiuniis fatentur: et raptarum frugum argumentum panis Iudaicus nullo fermento detinetur. Septimo die otium placuisse ferunt: quia in finem laborum tulerit: dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviae datum. Alii, honorem eum Saturno haberi: seu principia religionis tradentibus Idaeis, quos cum Saturno pulsos et condi-

quo monstrante. MS. Guelf. *quomō strate* (h. e. *quomodo strate*, vitiose).

errorem sitimque. Sitim asinis monstrantibus depulisse neque errorem obiectant quidam, locumque emendant; *ardorem* vel *maerorem* vel *aegrorem.* Frustra. Est hic ἓν διὰ δυοῖν, ut intelligas sitim, qua errabundi cruciabantur Iudaei.

sacravere. Ed. Spir. *sacraverunt.*

caeso ariete. Cogita de ariete pro peccatis populi immolato.

sue. MS. Guelf. et ed. Spir. *suae.*

memoria cladis. MS. Flor. teste Victorio *merito cladis*, h. e. cladis causa. cf. Cic. ad Divers. 14, 2. *Pisonem nostrum merito eius amo plurimum.* Consideres an *merito* sit restituendum.

quod ipsos scabies. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. Guelf. edd. Spir. Lips. Pichen. sqq. ad Ernestium, qui pro *quod* reposuit *qua* e MSS. Bodl. Ies. Bud. edd. Puteol. sqq. ad Lipsium. Pichenae nomine e Flor. adferunt *qua.* Sed neque in ed. Pichen. de anno 1607., neque in altera de anno 1609. ipse quidquam de hac re adnotavit. Conicio Pichenam eam scripturam e MS. Flor. falso prodidisse in Adnotationibus anno 1604. seorsim editis, deinde vero agnitum errorem correxisse. Varietas orta est e compendio q̄, quod nonnulli accepere pro *qua.* In MS. Guelf. a prima manu videtur fuisse q̃ (h. e. *quam*). Bipontini malunt *qua.* Puteolani scriptura *qua* non satis elegans est, quia alterum membrum incipit per *cui.* — Mox ed. Spir. pro *olim* habet *adhuc*; MS. Guelf. *panis* pro *panis.*

detinetur. Sic MS. Guelf. (a secunda manu) edd. Spir. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Lips. Pichen. Gruteri. — *retinetur* MSS. Harl. Guelf. (a prima manu). — *retinet* edd. Put. M. et V. Bernegger. sqq. Facile intelligas *retinetur* et *retinet* deberi emendandi studio. At *detinetur* probum est. cf. An. 12, 44. *regnum senecta patris detineri*; 6, 23. *cum se miserandis alimentis . . . nonum ad diem detinuisset.* Sueton. Oth. c. 9. *quas* (copias) *secum ad secundos casus detinuerat.*

septimo die. MS. Corb. *septima die.*

datum. Ed. Spir. addit *est.*

tradentibus Idaeis. Ex emendatione Lipsii, quam ipse in locum recepit anno 1574. MSS. et edd. ante Pichenam *Iudaeis* vel *Iudeis.*

tores gentis accepimus, seu quod e septem sideribus, quis mortales reguntur, altissimo orbe et praecipua potentia stella Saturni feratur: ac pleraque coelestium vim suam et cursum septimos per numeros commearent.

V. Hi ritus quoquo modo inducti antiquitate defenduntur. cetera instituta sinistra foeda pravitate valuere. nam pessimus quisque spretis religionibus patriis tributa et stipes illuc gerebant: unde auctae Iudaeorum

e septem sideribus. Sic edd. Rhenan. Ald. sqq. — *de septem sid.* MSS. Guelf. Bud. edd. ante Rhenanum, non absurde. cf. Cornel. Nep. 2, 4. *de servis suis, quem habuit fidelissimum.* Cic. de Fin. 2, 20. *unusque de multis.* De aliis libris silentium est.

pleraque. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Corb. Bud. edd. Spir. Rhenan. sqq. — *plerisque* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Rhenanum. In marg. Harl. additur *pleraque.*

vim suam et cursum s. p. n. commearent. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) et Bud. — *commeare* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Lipsium. Rhenanus pro *vim suam et cursum* posuit *vi sua et cursu*, an e MS. Bud. ipse et Oberlinus reticent. Lipsio auctore hodie vulgatur: *vim suam et cursum p. s. n. conficiant.* Nam MS. Vatic. 1863. et ed. Spir. ferunt *coniciant;* MS. Corb. *comiciant;* MSS. Reg. et Agr. *coniiciant*, uti et Harl. in margine. Pro *cursum* in ed. Spir. legitur *cursus.* Bipontini coniectant: *ac plerisque coel. vim suam recursu septimos per numeros commeare*, nemine plaudente. Quod vero Lipsii emendationem unanimi consensu recentiores amplectuntur, non satis recte faciunt. Nam sana esse nequit. Scribit Noster: *Alii honorem eum Saturno haberi*, et dein duplicem adfert quae esse possit eius honoris rationem: *seu .... seu .... feratur.* Iam vero quaero an eiusdem honoris Saturno habiti ratio esse possit, quod pleraque coelestium vim suam et cursum septimos per numeros conficiant? quid hoc ad Saturnum? Omni nexu haec carent. Unice vera sunt quae leguntur in cod. Flor. Post *feratur* plenius interpunge. Nam ibi finiuntur, quae spectant ad Saturnum. Addit scriptor observationem, quae in universum valet ad explicandam causam septimi diei sancte apud Iudaeos habiti: *pleraque coelestium .... commearent.* Enuntiat eam sententiam, uti modestiae causa enuntiari solent res, quae non sunt ita certae, ut fide tua interposita adfirmes, nimirum per optativum *commearent.* Accusativi *vim suam et cursum* Graeco more ponuntur, explicandi per formulam *quod attinet ad.* Germanice: *und die meisten Himmelskörper durchliefen in Ansehung ihres Einflusses und ihrer Bahn die Siebenzahl.*

Cap. 5. *Hi ritus quoquo modo inducti.* MSS. Guelf. et Harl. (a prima manu) *his quoqꝫ modo inducti.* Vocabulum *ritus* deest.

tributa et stipes. Spectant haec ad Iudaeos ἐν διασπορᾷ agentes, et proselytos, qui donaria, primitias, pecunias Hierosolyma mittebant. cf. Cicer. pro Flacc. c. 28. Philo de legat. ad Caium p. 1023. et p. 1014. Ioseph. Ant. Iud. 14, 12. Uberius de hac re disputavit Broterius ad h. l.

illuc gerebant. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Corb. Bud.

res. et quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu: sed adversus omnes alios hostile odium. separati epulis, discreti cubilibus, proiectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent; inter se nihil inlicitum; circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur. Transgressi in morem eorum idem usurpant: nec quidquam prius imbuuntur, quam contemnere deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere. Augendae tamen multitudini consulitur. Nam et necare quemquam ex agnatis nefas: animasque proelio aut suppliciis peremptorum aeternas putant. Hinc generandi amor et moriendi contemptus. Corpora condere, quam cremare, e more Aegyptio: eademque cura et de infernis persuasio. Coelestium

Agr. edd. Spir. Oberlin. sqq. — *illuc congerebant* edd. Put. M. et V. Beroald. sqq. — *illuc congrebant* MS. Ies. — *illuc congregabant* MSS. Guelf. et Harl.

et quia apud ipsos etc. Varia hic locus in libris utitur interpunctione. Priores editiones omnes punctum ponunt ante *separati*, quod commate mutarunt hodierni editores. At *quia apud ipsos fides obstinata*, consequens haud dubie est *misericordia in promptu*. Quo animo sint inter se scriptor praemittit, ut dein doceat, quo adversus alios.

in promptu. MS. Guelf. *impromptu*. Ed. Spir. *imprompta*.

alienarum concubitu. H. e. alienigenarum. Neque tamen opus est, ut cum Heinsio ita scribas. MS. Bud. *alienarum cubitu*.

inlicitum. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *illicitum* MS. Guelf. et editiones veteres. — Mox MS. Agr. *transgressique*.

quidquam. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *quicquam* editiones veteres.

imbuuntur. Ed. Spir. *imbuitur*. — Eadem cum MS. Reg. *exire* pro *exuere*. Deinde *consulatur* pro *consulitur*.

quemquam ex agnatis. *Agnati* hic et Germ. c. 19. sunt post priores et super numerum definitum nati, superflui (*Nachgeborne*). cf. Plin. 11, 52. *Membra animalibus agnata mutila sunt, sicut sextus homini semper digitus*. Adde Varron. de re rust. 3, 16, 29. Frustra igitur Lipsius corrigebat: *quemquam ex natis*; frustra etiam Sam. Petitus Observv. 2, 4. *ex a. d. natis* h. e. ex ante diem natis.

animasque .... aeternas. MS. Agr. et ed. Spir. *animosque .... aeternos*. MS. Reg. *animos .... aeternis*. MS. Corb. *animos .... aeternas*. — Pro *aut suppliciis* in MS. Guelf. a secunda manu legitur *et suppliciis*.

corpora condere. Trillerus coniecit *condire*. Refellitur ab Elsnero in schediasm. cr. p. 31. Nam eo spectant potius verba: *eademque cura*.

e more Aegyptio. MSS. Guelf. Harl. Ies. omittunt praepositionem. MS. Bud. *amore Aegyptio*.

eademque cura et de infernis persuasio. coelestium contra Aegyptii pleraque etc. Veteres libri punctum ponunt post *coelestium*.

contra Aegyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur; Iudaei mente sola unumque numen intelligunt. profanos, qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant: summum illud et aeternum neque imitabile neque interiturum. igitur nulla simulacra urbibus suis nedum templis sinunt. non regibus haec adulatio, non Caesaribus honor. Sed quia sacerdotes eorum tibia tympanisque concinebant, hedera vinciebantur vitisque aurea templo reperta, Liberum Patrem coli domitorem Orientis quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis. quippe Liber festos laetosque ritus posuit; Iudaeorum mos absurdus sordidusque.

VI. Terra finesque qua ad Orientem vergunt Arabia terminantur: a meridie Aegyptus obiacet: ab

MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alciat. ultro addunt *et* ante *persuasio*. Abest ea particula a MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. Bud. edd. Spir. Rhenan. sqq. Rhenanus mutata etiam interpunctione edidit: *et de infernis persuasio. coelestium contra. Aegyptii* etc. quomodo hodie locus vulgatur. Verum ita genitivus *coelestium* non habet unde aptus sit. Dele igitur punctum ante *Aegyptii*, ut *coelestium* pendeat e voce *pleraque*, et ita poscit loci sententia. Nam *pleraque animalia* Aegyptios esse veneratos mendacium est. Immo pleraque coelestium effinxere animalia atque venerati sunt. MS. Corb. *pleraque animalium*.

effigiesque compositas. Intellige formas e diversorum animalium partibus compositas. Ed. Spir. omittit copulam *que*.

unumque numen. MSS. Reg. Guelf. (a secunda manu) ed. Spir. *unum tantum numen*.

effingant. MS. Guelf. *effingebant*.

summum illud. MS. Reg. et ed. Spir. *solum illud*.

neque imitabile. Ita MS. Flor. teste Victorio, unde in locum recipio. Vulgo editur *neque mutabile*, quod exstat in MS. Guelf. edd. Spir. Puteol. sqq. Sed hoc est in *interiturum*. cf. Virgil. Aen. 6, 590. *non imitabile fulmen*.

sinunt. Ex aptissima I. Fr. Gronovii emendatione, quam in locum receperunt Lallemand. Broter. Dottevill. Oberlin. sqq. MSS. et priores editiones habent *sunt* pro *sinunt* invita latinitate, nisi deleveris vocem *suis*.

concinebant. MS. Flor. teste Victorio *cōtinebat*, e permutatione litterarum *t* et *c*.

hedera. MS. Guelf. *eadera*. — Paulo ante idem liber *sed qui* pro *sed quia*.

vitisque aurea. cf. Ioseph. B. I. 5, 5. et Ant. Iud. 15, 11. et Broterius ad h. l. — Mox pro *templo* MS. Corb. exhibet *templis*.

Liberum Patrem coli. cf. Plutarch. Sympos. 4, 5. p. 671. et Broterius ad h. l.

laetosque. Ed. Spir. *lectosque*.

Cap. 6. *terminantur*. Ed. Beroald. *teminantur*. Correxit Victo-

occasu Phoenices et mare: septentrionem a latere Syriae longe prospectant. Corpora hominum salubria et ferentia laborum. rari imbres, uber solum: fruges nostrum ad morem: praeterque eas balsamum et palmae. Palmetis proceritas et decor. Balsamum modica arbor: ut quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeas, pavent venae: fragmine lapidis aut testa aperiuntur: humor in usu medentium est. Praecipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus. Idem amnem Iordanem alit funditque. nec Iordanes pelago accipitur: sed unum atque alterum lacum integer perfluit, tertio retinetur. Lacus immenso ambitu, specie maris, sapore corruptior, gravitate odoris adcolis pestifer neque vento impellitur neque pisces aut suetas aquis volucres patitur.

rius in suo exemplari. Paulo ante *qua* in ed. Spir. non apparet. — Mox verba *a meridie* in ed. Beroald. omissa Victorius e MS. Flor. adposuit et MS. Corb. ante *Aegyptus* addit *et*.

a latere Syriae. Sic MSS. Flor. (teste Ryckio) Bud. et inde edd. Rhenan. sqq. Victorius intactum reliquit *e latere S.*, quod exstat in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc.: et fortasse Ryckius e silentio Pichenae et Iac. Gronovii coniecit in cod. Flor. esse *a*. Sed hoc silentium non satis tutum est.

rari imbres. MS. Corb. *raro imbres*.

uber solum: fruges etc. Sic suadente Lipsio locus editur a Bipont. Oberlin. sqq. MSS. et veteres editiones ante *fruges* addunt *exuberant* (MSS. Guelf. et Bud. *exuperant*). Oberlinus falso prodidit verbum *exuberant* a MSS. Flor. et Agr. abesse. Nam Ryckius diserte: „Lipsius τὸ *exuberant* inducit, sed repugnantibus Flor. et meo MSS." Nec quidquam de hac re prodiderunt Pichena, I. Gronovius aut Victorius.

Balsamum. cf. Iustin. 36, 3. Ioseph. Ant. Iud. 8, 6. Plin. 12, 25.

intumuit. Ed. Spir. *intimuit*.

si vim ferri adhibeas etc. Plin. l. l. *Inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis: ferro laedi vitalia odit*. cf. Ioseph. Ant. Iud. 14, 4. MS. Bud. ante *vim* omittit *si*.

erigit. Intelligitur *terra Iudaeorum*.

nivibus. Sic edd. Spir. Puteol. sqq. cum silentio Victorii. — *nimbis* MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. In margine Harl. est *nivibus*.

alit funditque. Ed. Spir. *fundit alitque*. Edd. Put. M. et V. mala litterarum divisione: *Iordane molit funditque*.

nec Iordanes pelago accipitur. MS. Guelf. locum exhibet sine *nec*. Ed. Spir. *nec iordanis a pelago accipitur*.

integer. MS. Guelf. *inter*, mediis litteris neglectis. — Mox idem liber cum edd. Put. M. et V. *habitu* pro *ambitu*.

patitur. Ed. Spir. *pa:itur*.

incertae undae superiacta, ut solido, ferunt: periti imperitique nandi perinde attolluntur. certo anni bitumen egerit: cuius legendi usum ut ceteras artes experientia docuit. Ater suapte natura liquor et sparso aceto concretus innatat. hunc manu captum quibus ea cura in summa navis trahunt. Inde nullo iuvante influit oneratque, donec abscindas. nec abscindere aere ferrove possis: fugit cruorem vestemque infectam sanguine, quo feminae per menses exsolvuntur. sic veteres auctores. sed gnari locorum tradunt, undantes

incertae undae. Sic MSS. Flor. Vatic. Reg. Corb. Bud. Agr. edd. Spir. Beroald., nisi quod quidam horum librorum scribunt *incerte unde.* Inde veram scripturam restituit Lipsius. — *incertum unde* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. Alciat. sqq. ad Lipsium. Quam scripturam deinde revocarunt Berneggerus et Bipontini nemine plaudente. — Pro *superiacta* ed. Lipsii de anno 1607. habet *superiecta.* — Formam *ferunt* Ernest. Broter. sqq. suadentibus Pichena et Iac. Gronovio restituerunt e MSS. Flor. (ubi est *fer* test. Pich.) Vatic. Reg. Bud. ed. Spir. — *feruntur* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum sil. Vict.) sqq. — *fert* MSS. Corb. et Agr. (a sec. manu): a prima manu in MS. Agr. est *feret.* — Grotius coniectabat *inerti undae*, quod probabant Freinshemius et nuper Gulmannus cum Ricklefsio. Heinsius idem adfert e cod. Spinae: ipse malebat *inertes undae.* Crus. Probab. Crit. p. 88. vult: *inertes undae ac superiacta ut solidae ferunt.* Nimirum absurda multis videbatur recepta scriptura, quia interpretes non satis recte eam explicuerant. Et Pichena quidem *incertam undam* intelligit eam, quae intuentes quasi ambigere cogat, verane unda sit an solidum solum, idque propter bituminis colorem. Consentiunt I. Frid. Gronovius, Ernestius et Oberlinus. Structuram et interpunctionem alii constituerunt hanc: *Incertae undae: superiacta* etc. Alii: *incertae undae* (dativ.) *superiacta* etc. Alii denique: *incertae undae* (nominativ.) *superiacta ut solido ferunt.* Et ii quidem recte, licet *incertae undae* non sint, quas plerumque illi volunt. *Incertae undae* hic opponuntur *solido. Solidum* vero non est *feste Erde*, quomodo solent interpretari, sed cogitat scriptor de nave vel ratibus: nam navigium ex oppositione undarum est *solidum.* Sententia: nudae undae, quae alias incertae esse solent, superiacta ita ferunt, tanquam solidum aliquid, ut navis, lignum, subesset. — Ceterum cum Tacito vix conciliari poterit Iustinus 36, 3., qui de eodem lacu scribit: *neque navigationis patiens est, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur: nec materiam ullam sustinet, nisi quae alumine illinatur.*

attolluntur. MS. Bud. *attollunt.* Rem Vespasiano expertam tradit Ioseph. B. I. 4, 5.

certo anni. Sic MSS. Flor. (teste Victorio) Vatic. edd. Lipsii sqq. — *certo anno* ed. Spir. — *certo anni tempore* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Puteol. sqq. ad Lipsium.

tradunt. MS. Guelf. *tradunt.* — Idem liber paulo post *inaruerit* a sec. manu; *inaruerint* fuit a prima manu.

bitumine moles pelli manuque trahi ad litus: mox ubi vapore terrae, vi solis, inaruerint, securibus cuneisque ut trabes aut saxa discindi.

VII. Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes magnisque urbibus habitatos fulminum iactu arsisse; et manere vestigia terramque ipsam specie torridam vim frugiferam perdidisse. nam cuncta sponte edita aut manu sata sive herba tenus aut flore, seu solitam in speciem adolevere, atra et inania velut in cinerem

vi solis. MS. Corb. *vique solis.*

Cap. 7. *habitatos.* MS Orosii Perizon. edd. Venet. Aug. *habitos.*

fulminum iactu. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. Bud. edd Rhenan. sqq. — *fulminis iactu* MS. Reg. edd. ante Rhenanum. — Lipsius ex Orosio 1, 5. malebat *ictu.* Sed ibi quoque optimi codd. MSS. et edd. ferunt *iactu.* Heinsius coniecit *tactu.* cf. An. 13, 24. 14, 12. Pro vulgata scriptura adferuntur exempla Cic. Catil. 3, 8. Divin. 2, 18. cf. Drakenb. ad Liv. 26, 40.

terramque ipsam. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Guelf. Bud. Agr. edd. Spir. Pichen. Bernegger. sqq. Ita et libri Orosii. Edd. Puteol. sqq. ad Pichenam omittunt *ipsam.*

specie torridam. Ed. Spir. pro *specie* exhibet *spem.* MSS. et veteres editiones Orosii habent *specie solidam* vel *solida*, unde Bipontini coniectant *specie solita.* Strabo 16, p. 764. dicit τεφρώδη. Hasselquist, voyages dans le Levant, II. p. 86. ait solum esse cretam friabilem, sale imbutam.

sive herba tenus aut flore, seu solitam in speciem adolevere. MS. Flor. teste Ryckio: *sive herbas tenues aut flore seu solitam* etc. — MS. Bud. teste Rhenano: *sive herbarbas tenus aut flores.* — MS. Guelf. *sive herbas tenues* (ita a sec. manu) *at flores seu solitam* etc. Idem edd. Put. M. et V. cum MSS. Broterii, nisi quod his libris inest *tenus* pro *tenues* et deinde *aut flores.* — Ed. Spir. *sive herbas tenues aut flores ut solitam* etc. Inde edd. Beroald. Alc. *sive herbas tenues aut flores seu solitam.* — Rhenanus emendavit: *sive herba tenus aut flore, seu solitam* etc., quae duraverunt per omnes sequentis aetatis editiones, nisi quod Ryckius et post eum Bipont. Oberl. aliique e MS. Agr. maluerunt: *sive herbae tenues aut flores, ut solitam in speciem* etc. Nuper eam scripturam enixe defendit Hermann. Iustus de fide Tac. p. 30. studuitque confirmare exemplo e Virgil. Aen. 12, 684. petito: *Ac veluti, montis saxum de vertice praeceps Quum ruit, avulsum vento, seu turbidus imber Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas, Fertur in abruptum* etc. At verba illa e cod. Agr. repetita non tam sunt suspecta dictione, quam auctoritate. Praeferunt enim apertam speciem emendationis (cuius multa sunt vestigia in illo libro), quia ab ceterorum librorum scriptura insigniter abhorrent. Verum vidit Rhenanus, cuius emendationem cum Bekkero restituo. Dicit scriptor: *cuncta* (et distinguit) *sponte edita aut manu sata,* (iterum distinguit diversam utriusque generis rationem) *sive herba tenus aut flore* (intell. adolevere), *solitam in speciem adolevere, ... vanescunt.* Opponuntur *adulta in solitam speciem* (h. e. quae in-

vanescunt. Ego, sicut inclutas quondam urbes igne coelesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque fetus segetum et autumni putrescere reor solo coeloque iuxta gravi. Et Belus amnis Iudaico mari inlabitur: circa cuius os lectae arenae admixto nitro in vitrum excoquuntur: modicum id litus et egerentibus inexhaustum.

stam sui generis formam ac maturitatem sunt adsecuta) iis, quae herba tantum aut flore tenus adolevere. Docet igitur scriptor quasdam plantarum ad iustam quidem pervenire sui generis speciem, ut tum atrae et inanes velut in cinerem vanescant; aliam vero partem tantum herba tenus aut flore adolescere et statim velut in cinerem vanescere. Gutmannus praefert coniecturam Salmasii: *seu solidam in speciem adolevere.* Priora verba idem legit e codice Agr. *sive herbae tenues aut flores.* Heinsius malebat: *solidam in spem.* Ceterum de re cf. Chateaubriand, Itinéraire de Paris à Jérusalem, Tom. II. p. 188.

inclutas. De scriptura vocabuli cf. not. ad An. 6, 37. Hic MSS. Agr. Corb. edd. Spir. Pichen. sqq. *inclitas.* MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Ies. *indicas.* MSS. Guelf. Harl. Bodl. edd. Puteol. sqq. ad Pichenam *iudaicas.* — Trillerus in Observv. crit. 3, 10. p. 196. coniectat *integras.* Sed minime poenitet vulgatae scripturae, quae confirmatur ab Orosio. MS. Guelf. pro *ego, sicut* fert *et sicut.*

igne. Ed. Spir. *ingne.* — Mox *alitu* pro *halitu.*

infici. MS. Guelf. *interfici;* in margine a sec. manu *infici.* — Idem pro *corrumpi* in contextu exhibet *abrumpi,* in margine a sec. manu *corrumpi.*

autumni. Ed. Spir. *autūpri.*

Belus. cf. Plin. N. H. 36, 26. MS. Guelf. et edd. ante Rhenanum *Bellus,* cum silentio Victorii.

inlabitur. Sic MS. Flor. teste Victorio. — *illabitur* MS. Guelf. et editiones veteres.

lectae. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pichena) Reg. Farnes. Corb. Agr. ed. Spir., unde in locum restituo. MS. Bud. *tecte.* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. *coniectae,* quod Lipsius mutavit in *conlectae,* idque hodie vulgatur.

admixto nitro. Sic MS. Reg. et edd. Rhenan. sqq. cf. Plin. l. l. — *admixto vitro* codd. MSS. et edd. ante Rhenanum, nisi quod ed. Spir. fert *admixtio vitro.*

modicum id litus. cf. Plin. l. l. Ioseph. B. Iud. 2, 17. Bochart. Hieroz. 2, 5, 9.

et egerentibus. Intell. *arenam.* cf. Ioseph. l. l. Rhenanus correxerat *sed egerentibus.* Ernestius auctoritate codicum MSS. et veterum editionum restituit *et.* cf. not. ad An. 1, 13.

inexhaustum. H. e. quod exhauriri nequit. Similia sunt Tac. Germ. c. 20. *inexhausta pubertas.* Agr. c. 33. *vix munimentis coercitum militem.* Sallust. Iug. c. 91. *neque metu coercitum.* Id. Iug. c. 43. *animum invictum gerebat.*

VIII. Magna pars Iudaeae vicis dispergitur. habent et oppida. Hierosolyma gentis caput. illic immensae opulentiae templum. et primis munimentis urbs, dein regia, templum intimis clausum. ad fores tantum Iudaeo aditus: limine praeter sacerdotes arcebantur. dum Assyrios penes Medosque et Persas Oriens fuit, despectissima pars servientium: postquam Macedones praepotuere, rex Antiochus demere superstitionem et

Cap. 8. *dispergitur.* H. e. vici disperguntur per magnam partem Iudaeae.

gentis caput. Sic Guelf. aliique codd. MSS. et edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum sil. Vict.) Alc. Recte. cf. An. 3, 43. *Augustodunum caput gentis.* Rhenanus e cod. Bud. edidit *genti caput*, quod hodieque vulgatur. Non sperno: sed veterum librorum auctoritatem considero. Ceterum in MS. Guelf. et h. l. scribitur *capud.*

et primis munimentis urbs, dein regia. Ex emendatione Merceri, quam in locum recepit Pichena Lipsio suadente. cf. infr. c. 11. *alia intus moenia regiae circumdata.* — Edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Alc. pro *dein regia* ferunt *dein iugis*, uti legitur in MSS. Guelf. Harl. Bodl. les. Sequitur eam scripturam Strombeckius: *Die Stadt binnen den ersten Festungswerken; auf den innern Berghöhen dann der verschlossene Tempel. Doch darf* etc. — Edd. Rhen. Ald. sqq. ad Pichenam *de iugis*, quia in MS. Bud. est *de vigia* vel *de iugia.* MS. Flor. teste Victorio *de nigia*; teste Ryckio *de ingia.* — MS. Corb. *de ningia.* — MS. Reg. *denigia.* — MS. Farnes. *deingia.* — MS. Vatic. (Lipsio teste) *demgia.* — MS. Agr. et deinde ed. Ryck. *ex primis munimentis urbis: alienigenis templum interius clausum*, ex emendandi studio. — Pro *munimentis* edd. Beroald. et Alciat. habent *monumentis.* Victorius litteram *u* correxit in *i.* — MS. Reg. et ed. Spir. pro *urbs* exhibent *ursob.* — MS. Vatic. teste Lipsio *urbsob.* — Mox *templum intimis clausum* MSS. Flor. (teste Ryckio) Guelf. edd. Spir. Put. sqq. cum silentio Victorii. Vocabulum *intimis* abest a codd. Corb. et Farnesiano iubebatque Lipsius id deleri. — Bipontini totum locum refingebant sic: *ex primis munimentis urbi, dein vigiliis, ad postremum feminis clausum.* At Merceri emendationem ad codicum praestantiorum vestigia accuratissime factam et historia nixam nemo facile depellet.

ad fores tantum. MS. Guelf. pervulgari confusione pro *tantum* exhibet *tamen.*

Iudaeo. MSS. Reg. Corb. ed. Spir. *iudeę.* Ernestius pro *arcebantur* malebat *arcentur.* At Taciti temporibus haec res fuit praeterita. Heinsius coniectabat: *ad fores tantum Iudaeo aditus et limen, penetrali et sacerdotes arcentur.* Sed haec sunt ludibria. Sinamus Tacitum narrare, quomodo res ipsi innotuerant, neque ad amussim omnia revocemus. In ed. Spir. pro *limine* legitur *lumine.* — Eadem mox *p saxa* pro *Persas.* MS. Flor. teste Victorio *per saxas.* Correctio in promptu fuit, et recte MS. Guelf. edd. Puteol. sqq. *Persas.*

servientium. Ed. Spir. *sequentium*, haud inepte.

mores Graecorum dare adnisus quo minus teterrimam gentem in melius mutaret Parthorum bello prohibitus est. nam ea tempestate Arsaces desciverat. Tum Iudaei Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis (et Romani procul erant) sibi ipsi reges imposuere: qui mobilitate vulgi expulsi, resumpta per arma dominatione, fugas civium, urbium eversiones, fratrum, coniugum, parentum neces aliaque solita regibus ausi superstitionem fovebant: quia honor sacerdotii firmamentum potentiae adsumebatur.

IX. Romanorum primus Cn. Pompeius Iudaeos domuit: templumque iure victoriae ingressus est. inde vulgatum nullas intus deum effigies: vacuam sedem et

adnisus. Sic MS. Flor. teste Victorio. cf. An. 3, 61. *adnisam.* MS. Guelf. edd. Spir. Puteol. sqq. *adnixus.*

nam ea tempestate Arsaces desciverat. Ernestius suspicionem de hoc loco movit tanquam spurio. Putat enim Tacitum rerum non tam inscium fuisse, ut scripserit Arsacem descivisse ea tempestate, qua rex Antiochus Iudaeos vexaverit. Namque Arsaces descivit anno 256. a. Chr. rege Antiocho II. Centum annis post Antiochus IV. res gessit contra Iudaeos. Itaque Ernestius credit verba haec esse additamentum imperiti hominis. Alii locum vulgatum ita defendunt suspicione interpolationis, ut Arsacem intelligant non primum illum eius nominis auctorem, sed unum ex Arsacidis, quorum singuli Arsacis nomine utebantur. Et Antiochum Epiphanem quoque contra Parthos bellum gessisse haud negatur. cf. Maccab. I, 3, 31. II, 9, 1. sqq. Potuit tamen Tacitus errare de Antiocho rege, qui illam rem cum Iudaeis habuit, ut cogitaret de Antiocho II. Broterius emendat: *Armenorum bello prohibitus est: nam ea tempestate Artaxias desciverat.* cf. Appian. Syriac. p. 117. et 131.

procul erant. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronovio) Reg. Corb. Bud. Agr. edd. Spir. Ernest. sqq. — *procul aberant* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Puteol. sqq. ad Ernestium.

sibi ipsi. MS. Corb. et ed. Spir. *sed ipsi.*

aliaque. MS. Guelf. *aliasque.* — Mox ed. Beroald. vitiose *fove haut*, quod Victorius correxit *fovebant*, uti paulo ante *nundum* in *nondum*, mox *assumebatur* in *adsumebatur*, quod etiam ed. Spir. praefert.

Cap. 9. *Iudaeos domuit.* Lipsius auctoritate suorum librorum (Vaticc. intellige) deleverat vocabulum *Iudaeos*, quod etiam a MS. Corb. abest: restituit Pichena e MS. Flor., cum quo MSS. Guelf. Bud. et edd. ante Lipsium omnes consentiunt.

nullas intus deum effigies. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alciat. — *nulla intus deum effigie* MSS. Corb. Bud. edd. Spir. Rhenan. Ald. sqq. Sed restituo illam scripturam. Nititur enim maiore veterum librorum auctoritate. Displicet etiam Rhenani scriptura, quia verba *nulla intus deum effigie* non habentur loco ipsis idoneo.

inania arcana. muri Hierosolymorum diruti, delubrum mansit. Mox civili inter nos bello postquam in ditionem M. Antonii provinciae cesserant, rex Parthorum Pacorus Iudaea potitus interfectusque a P. Ventidio, et Parthi trans Euphratem redacti: Iudaeos C. Sosius subegit. regnum ab Antonio Herodi datum victor Augustus auxit. Post mortem Herodis nihil exspectato Caesare Simo quidam regium nomen invaserat. is a Quintilio Varo obtinente Syriam punitus: et gentem coercitam liberi Herodis tripartito rexere. Sub Tiberio quies. dein iussi a C. Caesare effigiem eius in templo locare, arma potius sumpsere: quem motum Caesaris mors diremit. Claudius defunctis regibus aut ad modicum redactis Iudaeam provinciam equitibus romanis aut libertis permisit. e quibus Antonius Felix per omnem saevitiam ac libidinem ius regium servili ingenio exercuit, Drusilla Cleopatrae et Antonii nepte in matrimonium accepta:

Aptius enim esset scribi: *vacuam sedem et inania arcana nulla intus deum effigie.* Denique vocabulo *deum* in plurali posito non satis aptum est *effigie.*

diruti. MS. Bud. *dirupti.* Eodem modo confunduntur *proruere* et *prorumpere.* cf. not. ad An. 15, 40.

civili inter nos bello. Sic MS. Agr. et inde edd. Ryck. Iac. Gronov. sqq. Parum inde absunt MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Reg. Corb. ed. Spir., qui libri ferunt: *civili interno bello.* Alio ordine *bello civili interno* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Pichenam, qui auctore Lipsio emendavit *bello civili inter nos.* MS. Bud. *civili interno, bello* voce neglecta.

in ditionem. MSS. Guelf. Bodl. Ies. Corb. *in ditione,* omissa lineola.

rex Parthorum Pacorus. II. e. regis filius. Vid. not. ad Hist. 2, 25. sub vv. *rex Epiphanes.* cf. Ioseph. Ant. Iud. 14, 13 sqq. Dio 48, 25.

C. Sosius. MS. Corb. *C. Sesius.* MS. Agr. *C. Sestius.* Sed vid. Ioseph. Ant. Iud. 14, 16. Dio 49, 22.

auxit. Sic codd. MSS. et vett. editiones, nisi quod liber Bud. habet *ausit,* unde Rhenanus fecerat *sanxit.* Pichena restituit *auxit.* De re cf. Ioseph. B. I. 1, 15.

Simo quidam. Ita ediderunt Ernest. Oberl. sqq., quia infra c. 12. *Simo* vel *Symo* est in MSS. Flor. Reg. Bud. Guelf. Oxonn. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. Ante Ernestium vulgabatur *Simon,* uti hic ferunt veteres libri (vel *Symon*). Ed. Spir. *Simon quoddam.* De homine cf. Ioseph. Ant. Iud. 17, 11.

is a Quintilio. Ed. Spir. *ipsa Quintilio.*

dein iussi. MSS. Harl. Corb. *deinde iussi.* De re cf. Philo Leg. ad Caium p. 1019 et 1040.

Drusilla. Sic edd. Put. sqq. — *Drusila* MS. Guelf. — *Druxilla* ed. Spir. — Paulo ante voc. *Antonius* in edd. Put. M. et V. desideratur.

in matrimonium accepta. MS. Guelf. *accepta in matrimonium.* MS. Flor. (test. Vict.) ed. Spir. *in matrimonio accepta.* MS. Agr. *in matrimonio.* Utraque scriptura facile potuit oriri e compendio *ma-*

ut eiusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset.

X. Duravit tamen patientia Iudaeis usque ad Gessium Florum procuratorem. sub eo bellum ortum. et comprimere coeptantem Cestium Gallum Syriae legatum varia proelia ac saepius adversa excepere. Qui ubi fato aut taedio occidit, missu Neronis Vespasianus fortuna famaque et egregiis ministris intra duas aestates cuncta camporum omnesque praeter Hierosolyma urbes victore exercitu tenebat. Proximus annus civili bello intentus quantum ad Iudaeos per otium transiit. Pace per Italiam parta et externae curae rediere. augebat iras,

trimonii. Mox ed. Spir. *eius* pro *eiusdem.*

Cap. 10. *Gessium.* Ed. Spir. *Egessum* Mox *belli ortu* pro *bellum ortum.* MS. Guelf. *bello ortum.*

comprimere coeptantem. Ex emendatione Rhenani, ad quam praeivit scriptura codicis Bud. *comprimere receptantem.* Cum Bud. conspirant MSS. Flor. (test. Vict.) Reg. Corb. ed. Spir. — *comprimere reos coeptantem* (vel *ceptantem*) MSS. Guelf. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. — Victorius ex ingenio correxit ut Rhenanus. MS. Ies. *reos captantem.* MS. Harl *eos captantem.*

Cestium. Ed. Spir. *Celestium.*

excepere. MS. Bud. *excipere.* MS. Reg. et ed. Spir. *accipere.* Vulgata scriptura non Rhenani ingenio debetur, uti prodidit Oberlinus: sed invenitur in MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc., nisi quod Puteolanus edidit *excoepere.*

missu. Ed. Spir. *missus.*

intra duas aestates. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. In castigationibus Rhenanus praepositionem submovendam censuerat. — *inter duas aestates* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Corb. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alciat. Sed frequens est utriusque vocis permixtio. cf. not. ad Hist. 1, 71. 2, 52.

cuncta camporum. MSS. Corb. et Agr. *cuncta composuit.*

Hierosolyma. Sic (vel *Hierosolima*) edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *Hierosolymam* vel *Hierosolimam* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. Reg. Bud. ed. Spir. cf. not ad c. 2. Mox omnes libri ferunt *Hierosolymorum*, et c. 11. *Hierosolyma conciderent.*

proximus annus. Heinsius emendabat: *proximis annis bello civili intentus.* Nam plus uno anno interquievisse illum adfirmat. Fallitur. Nam anno p. Chr. 66. bellum ortum est. Anno 67. Nero Vespasianum misit. Inde per duas aestates (67. et 68.) bellavit. Proximus annus (69.) per otium transiit. Anno 70. Hierosolyma ceciderunt.

pace per I. parta. Ex emendatione Rhenani, quam item Victorius in suo exemplari Beroald. suasit. Consentit MS. Corb. — *pace per I. parata* MSS. Guelf. Harl. Bodl: Ies. Reg. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. cf. Sueton. Oct. c. 22. *terra marique pace parta.* Vid. not. ad An. 16, 2.

et externae curae rediere. Ernestius ad h. l. falsus est de Freinshemio, quem dicit voluisse, ut *et*

quod soli Iudaei non cessissent. simul manere apud exercitus Titum, ad omnes principatus novi eventus casusve utilius videbatur. Igitur castris, uti diximus, ante moenia Hierosolymorum positis instructas legiones ostentavit.

XI. Iudaei sub ipsos muros struxere aciem, rebus secundis longius ausuri et, si pellerentur, parato perfugio. missus in eos eques cum expeditis cohortibus ambigue certavit. mox cessere hostes, et sequentibus diebus crebra pro portis proelia serebant: donec assiduis damnis intra moenia pellerentur. Romani ad oppugnandum versi. neque enim dignum videbatur famem hostium opperiri. poscebantque pericula, pars virtute, multi ferocia et cupidine praemiorum. Ipsi Tito Roma et opes voluptatesque ante oculos: ac, ni statim Hierosolyma conciderent, morari videbantur. Sed urbem arduam situ opera molesque firmaverant, quis vel plana satis munirentur. nam duos colles immensum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrsus sinuati: ut latera oppugnantium ad ictus patescerent. Extrema rupis abrupta: et turres, ubi mons iuvisset,

tolleretur et ad sequentia reiiceretur, aut mutaretur in *ut*. Immo illud voluit Acidalius, hoc vero Freinshemius, ut legeres: *pace per I. parta, ut externae curae rediere, augebat iras* etc. Uterque frustra Particula *et* valet *auch*.

apud exercitus. MSS. Harl. Corb. *apud exercitum*.

utilius videbatur. Sic edd. Pich. Bernegg. sqq. tanquam codice Flor. auctore. At I. Gronovius inde prodidit *utilis*. Victorius intactum reliquit *utile*, quod exstat in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Corb. Agr. edd. Spir. Put. sqq. ad Pichenam. — MS. Bud. *utilis*.

uti diximus. Vid. supr. c. 1. MSS. Guelf. Harl. *ut diximus*.

ante moenia Hierosolymorum. MS. Corb. ed. Spir. *ante Hierosolimorum moenia*.

Cap. 11. *ambigue certavit*. Ioseph. B. I. 5, 2. ferme oppressum Titum et legionem decumam castris pulsam memorat.

serebant. MS. Corb. ed. Spir. *ferebant*. Eadem ed. Spir. *pre portis*.

opperiri. MSS. Reg. Guelf. (a secunda manu) ed. Spir. *experiri*.

ac ni statim. In MS. Agr. desideratur *ac*.

morari. Ed. Spir. *modo rari*.

immensum editos. Sic edd. Spir. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *in immensum* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V. Sed cf. An. 4, 27. *quae gliscebat immensum*, et not. ad An. 3, 52. — *et immensum editos* MS. Corb.

per artem. Ed. Spir. *per arcem*.

aut introrsus. MSS. Guelf. Harl. Ies. *at introrsus*. MS. Corb. *introrsum*.

in sexaginta pedes, inter devexa in centenos vicenosque attollebantur: mira specie, ac procul intuentibus pares. alia intus moenia regiae circumiecta. conspicuoque fastigio turris Antonia in honorem M. Antonii ab Herode appellata.

XII. Templum in modum arcis propriique muri, labore et opere ante alios. ipsae porticus quis templum ambiebatur egregium propugnaculum. fons perennis aquae, cavati sub terra montes: et piscinae cisternaeque servandis imbribus. praeviderant conditores ex diversitate morum crebra bella. inde cuncta quamvis adversus longum obsidium: et a Pompeio expugnatis metus atque usus pleraque monstravere. Atque per avaritiam Claudianorum temporum empto iure muniendi struxere muros in pace tamquam ad bellum: magna conluvie et ceterarum urbium clade aucti. nam pervicacissimus quisque illuc perfugerat, eoque seditiosius agebant. tres

in centenos vicenosque. Sic MS. Reg. edd. Spir. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *in centenos quoque* (altero numero neglecto) MSS. Guelf. (a prima manu) Harl. Bodl. Ies. edd. Put. M. et V. Secunda manus in marg. Guelf. addidit *vicenos.* MS. Bud. *in centenosque* (omisso altero numero). MS. Corb. *in centenas vicenasque.*

circumiecta. Ed. Spir. *circumvecta.* Mox MS. Guelf. *comspicuoque.* Copula *que* abest a MS. Harl.

in honorem. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. *in honore.* In MS. Harl. secunda manus emendavit *in honorem.*

Cap. 12. *labore et opere.* Sic MS. Bud. et inde edd. Rhen. Ald. sqq. — *labore et opera* MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Agr. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) et Alciati. Male.

ante alios. MS. Guelf. *ante alias.*

ipsae portitus. Ed. Spir. *ipsa porticus.* At mox *quis.*

ambiebatur. MS. Flor. (test. Iac. Gron.) *ambibatur.* Sic *antibo* An. 5, 6. Victorius intactum reliquit *ambiebatur*, quod ferunt MS. Guelf. edd. Spir. Put. sqq.

perennis. MS. Guelf. *peremnis.* Ed. Spir. *perhemnis.* Eadem mox cum MSS. Reg. Corb. Agr. Bud. edd. Rhen. Ald. et Lipsii prima *providerant* pro *praeviderant*, quod exstat in MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alciat. et Lipsii posterioribus sqq. Recte. cf. not. ad An. 11, 7.

metus atque usus. Quia mox iterum sequitur *atque*, Heinsius volebat *metus aeque ac usus.*

in pace. MS. Guelf. *impace.* Mox ed. Spir. *tanquam id bellum.*

ceterarum urbium. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. (cum silentio Victorii, Pichenae, Iac. Gronovii). — *exterarum urbium* MSS. Reg. Agr. ed. Spir. — *cunctarum urbium* MS. Corb.

pervicacissimus. Ed. Spir. *pervicassimus.*

agebant. MS. Guelf. *augebant.* Sed *u* littera puncto supposito notatur.

duces, totidem exercitus. extrema et latissima moenium Simo, quem et Bargioram vocabant, mediam urbem Ioannes, templum Eleazarus firmaverat. multitudine et armis Ioannes ac Simo, Eleazarus loco pollebat. sed proelia, dolus, incendia inter ipsos, et magna vis frumenti ambusta. Mox Ioannes, missis per speciem sacrificandi qui Eleazarum manumque eius obtruncarent, templo potitur. ita in duas factiones civitas discessit, donec propinquantibus Romanis bellum externum concordiam pareret.

XIII. Evenerant prodigia, quae neque hostiis neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa. visae per coelum concurrere acies, rutilantia arma et subito nubium igne conlucere templum. expassae repente delubri fores et audita maior humana vox, excedere deos: simul ingens motus excedentium. Quae pauci in metum trahebant: pluribus

Simo, quem et Bargioram etc. Ed. Spir. *Simo: mediam urbem Ioannes quem et barbagioram vocabant. tēplum at Lazarus firmaverat.* Edd. Put. sqq. *Symo: mediam urbem Iohannes quem et Barbagioram vocabant: Templum Eleazarus firmaverat.* Ita et MS. Guelf. et ed. Beroald. cum silentio Victorii, nisi quod Victorius e cod. Flor. adfert *Alęazarus.* Lipsius secundum sermonem Hebraeum et Vertranio suadente pro *Barbagioram* posuit *Bargioram* h. e. Giorae filium. cf. Ioseph. B. I. 2, 23. 4, 7. Sed ibidem *Simo* Giorae filius vocatur: quare Salinerius verba transponenda atque legenda, uti hodie eduntur, censuit. Oberlinus, Ryckio, Broterio, Lallemando suadentibus, Salinerii emendationem exsecutus est. Bipontini uncis includunt verba: *quem et B. vocant*, tanquam a glossatore addita. Verum potuit Tacitus haud dubie scribere, quae olim vulgabantur, deceptus falsis nuntiis.

Ioannes ac Simo, Eleazarus. Ed. Spir. *Ioannes et Simon et Lazarus.* Eadem mox ante *magna* negligit *et* pergitque *magna vis frementia busta.* Deinde *missus* pro *missis* et cum MS. Flor. (test. Vict.) *Alazarum* pro *Eleazarum.*

obtruncarent. Ed. Spir. *obtruncaret*, quia ibi praecessit *missus.*

propinquantibus. MS. Guelf. *propinquitatibus.*

bellum externum. MS. Reg. *bellum extrenium*, vulgari confusione. cf. not. ad Hist. 4, 32.

pareret. Sic edd. Rhen. Ald. sqq. — *pararet* MSS Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Ale., quae varietas saepius redit.

Cap. 13, *prodigia.* cf. Ioseph. B. I. 6, 12.

hostiis. Ed. Spir. *hostis*, per contractionem.

rutilantia. MS. Guelf. *rutilantia.*

expassae. Sic MS. Guelf. edd. Put. sqq. — *expansae* MS. Ies. — *expte* MS. Flor. (test. Vict. cum Pichena). — *apertae* MSS. Reg. Agr. et ed. Spir.

in metum. Sic MS. Guelf. edd.

persuasio inerat antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens profectique Iudaea rerum potirentur. quae ambages Vespasianum ac Titum praedixerat. sed vulgus more humanae cupidinis sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati ne adversis quidem ad vera mutabantur. Multitudinem obsessorum omnis aetatis, virile ac muliebre secus, sexcenta millia fuisse accepimus. arma cunctis, qui ferre possent: et plures quam pro numero audebant. obstinatio viris feminisque par: ac, si transferre sedes cogerentur, maior vitae metus quam mortis. Hanc adversus urbem gentemque Caesar Titus, quando impetus et subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit. dividuntur legionibus munia, et quies proeliorum fuit: donec cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres aut novis ingeniis struerentur.

Spir. Rhen. sqq. — *in metu* MSS. Harl. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — In Harl. secunda manus emendavit *metum*: cf. An. 14, 32., ubi est *ad spem, ad metum trahere*.

antiquis sacerdotum litteris contineri. cf. Daniel. 2, 44. Sueton. Vespas. c. 4. Ioseph. B. Iud. 6, 5.

ut valesceret. MS. Guelf. *ut valescere*.

quae ambages. Iosepho χρησμὸς ἀμφίβολος dicitur.

praedixerat. Scilicet ex interpretatione Romana. Ceterum *praedixerat* exstat in MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Reg. Bud. edd. Spir. Oberlin. sqq. At Victorius intactum reliquit *praedixerant*, quod legitur in MSS. Guelf. aliisque et in edd. Put. sqq. idque magis placebat Broterio.

cupidinis. Ed. Spir. *cupidines*. Eadem *in altitudine* pro *magnitudinem*.

interpretati. MS. Guelf. a secunda manu: *ĩterpretatũ*.

omnis aetatis. MS. Flor. (test. Vict.) *hominis aetatis*. MS. Guelf. *omnis aetas*.

virile ac muliebre secus. Sic MS. Flor. teste Victorio cum Pichena, nisi quod teste Iac. Gronovio secunda manus fecit *sexus* (idque Victorio intactum mansit), a prima manu fuit *secus*, cf. not. ad An. 4, 62. Pichena edidit: *virile ac muliebre sexus*: Iac. Gronov. *secus*. Ante Pichenam vulgabantur haec: *virilis ac muliebris sexus*, quae exstant in MSS. Vatic. 1863. et 1958. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. Agr. edd. Put. sqq. ad Pichenam. — MS. Reg. et ed. Spir. omittunt vocabulum *sexus* et pro *virilis* in ed. Spir. legitur *viris*.

sexcenta millia. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Agr. Bud. edd. Spir. Rhenan. sqq. — *ducenta millia* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. Nimirum MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. ferunt *dcta*, quod acceptum est pro *ducenta*, quum sit *DC*[ta]. cf. Orosius 7, 9. Differunt Ioseph. B. I. 6, 17. Zonaras 6, 26.

impetus. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Pich. Bernegg. sqq. — Victorius intactum reliquit *impetum*, quod exstat in MSS. Reg. Agr. edd. Spir. Put. sqq. ad Pichenam.

XIV. At Civilis post malam in Treveris pugnam reparato per Germaniam exercitu apud Vetera castra consedit: tutus loco, et ut memoria prosperarum illic rerum augescerent barbarorum animi. Secutus est eodem Cerialis, duplicatis copiis adventu secundae et sextae et quartaedecumae legionum. cohortesque et alae iampridem accitae post victoriam properaverant. Neuter ducum cunctator. sed arcebat latitudo camporum suopte ingenio humentium. addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem, cuius obiectu revolutus amnis adiacentibus superfunderetur. ea loci forma incertis vadis subdola et nobis adversa. quippe miles Romanus armis gravis et nandi pavidus: Germanos fluminibus suetos levitas armorum et proceritas corporum attollit.

XV. Igitur lacessentibus Batavis ferocissimo cuique nostrorum coeptum certamen. deinde orta trepidatio, cum praealtis paludibus arma, equi haurirentur. Germani notis vadis persultabant, omissa plerumque fronte

Cap. 14. *post malam in Tr. pugnam.* cf. supr. 4, 77.

Vetera castra. Sic MSS. et veteres editiones. — Lipsius omisit *castra*, quod Pichena restituit e cod. Flor. cf. supr. 4, 18. et 21.

augescerent. Ed. Spir. *augescerentur.* Eadem post *secutus* negligit *est.* Ibidem constanter legitur *Cerealis* pro *Cerialis.*

secundae et sextae et quartaedecumae. Ita Ernestius locum constituit ex emendatione Merceri. MSS. et veteres editiones pro *sextae* habent *XVI.* At haec dudum fuit cum Ceriali. *Sextam* ex Hispania tunc missam legimus supr. 4, 68. et infr. c. 16. recensentur in Cerialis exercitu *quartadecumani, sextani, secundani.*

cohortesque et alae. MS. Reg. ed. Spir. *cohortesque alaeque.*

incertis vadis. Ed. Spir. *incertis validis.*

Cap. 15. *ferocissimo.* Hoc vocabulum in MS. Vatic. 1863. et ed. Spir. non legitur. In Vatic. spatium relinquitur, quo deesse vocabulum significetur.

nostrorum. MS. Guelf. *nostrum.*

arma, equi haurirentur. MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. *equique.* Iacobus Gronovius copulam *que* delevit, quia eam in cod. Flor. non vidit. MS. Bud. ed. Spir. *arme qui.* MS. Agr. *arenaque.* Ex qua corruptione satis patet copulam *que* non esse genuinam. Pro *haurirentur* in cod. Flor. (test. Iac. Gronov.) legitur *aurirentur.* Victorius intactum reliquit *hurirentur*, quod in ed. Beroald. exstat e mendo typogr. Littera *h* ante *aurirentur* etiam in MS. Guelf. non est suo loco, sed superius addita. Ceterum *arma hausta* cogita, quando miles inter undas trepidus et nandi pavidus arma omisit, ut de sua salute cogitaret.

persultabant. MSS. Reg. Agr. ed. Spir. *exultabant.* Mox MS. Bud. pro *omissa* exhibet *diversa,*

latera ac terga circumvenientes. neque, ut in pedestri acie, cominus certabatur; sed, tamquam navali pugna, vagi inter undas aut, si quid stabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, vulnerati cum integris, periti nandi cum ignaris in mutuam perniciem implicabantur. minor tamen quam pro tumultu caedes: quia non ausi egredi paludem Germani in castra rediere. Eius proelii eventus utrumque ducem diversis animi motibus ad maturandum summae rei discrimen erexit. Civilis instare fortunae: Cerialis abolere ignominiam. Germani prosperis feroces: Romanos pudor excitaverat. nox apud barbaros cantu aut clamore, nostris per iram et minas acta.

XVI. Postera luce Cerialis equite et auxiliariis cohortibus frontem explet: in secunda acie legiones locatae: dux sibi delectos retinuerat ad improvisa. Civilis haud porrecto agmine, sed cuneis adstitit. Batavi Gugernique in dextro: laeva ac propiora fluminis Transrhenani tenuere. Exhortatio ducum, non more concionis apud universos sed ut quosque suorum

unde Rhenanus coniecit *dimissa*. Sed vulgatam scripturam satis luentur ceteri libri.

cominus certabatur. MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Reg. ed. Spir. *cominus minus certabatur*, quare Iac. Gronovius coniecit legendum *cominus eminus*, idque edidit Broterius. Victorius intactum reliquit vulgatam scripturam, et fortasse ex inani repetitione est illud *minus*, quae saepissime fit in transitu ad novum versum. MS. Ies. *certabantur*.

inter undas. MSS. Guelf. Ies. *intus undas*.

quia non ausi. MS. Guelf. ed. Spir. *qui non ausi*. Eadem ed. Spir. ante *diversis* addit *qui*; pro *motibus* ea habet *moribus* et *Germanis prosperis* pro *Germani prosperis*.

rediere. MS. Bud. *redire*. Mox idem *exercitaverat* pro *excitaverat*.

Romanos pudor. MS. Guelf. *Romanus pudor*.

Cap. 16. *auxiliariis cohortibus*. Ed. Spir. *auxiliaribus cohortibus*. Mox *delecta* pro *delectos*.

porrecto agmine. MS. Guelf. *pro recto agmine*. Ed. Spir. *corrupto agmine*.

Gugernique. Ita Ernestius et recentiores e loco Hist. 4, 26. cf. Plin. 4, 16. — *Cugernique* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Puteol. sqq. — *Eugeniique* MS. Reg. ed. Spir. — *Tungrique* MS. Agr.

in dextro. MS. Guelf. *in dextero*.

ut quosque suorum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Bud. edd. Spir. Pich. Gruter. sqq. — *ut quosque eorum* edd. Put. Beroald. sqq. ad Pichenam. — *ut quemque suorum* MS. Agr.

advehebantur. Cerialis veterem Romani nominis gloriam, antiquas recentesque victorias: ut perfidum, ignavum, victum hostem in aeternum exscinderent. ultione magis quam proelio opus esse. pauciores nuper cum pluribus certasse: ac tamen fusos Germanos, quod roboris fuerit. superesse, qui fugam animis, qui vulnera tergo ferant. Proprios inde stimulos legionibus admovebat, domitores Britanniae quartadecumanos appellans: principem Galbam sextae legionis auctoritate factum: illa primum acie secundanos nova signa novamque aquilam dicaturos. Hinc praevectus ad Germanicum exercitum manus tendebat, ut suam ripam, sua castra sanguine hostium reciperarent. Alacrior omnium clamor, quis vel e longa pace proelii cupido, vel fessis bello pacis amor praemiaque et quies in posterum sperabantur.

advehebantur. MSS. Vaticc. 1863. et 1958. Reg. ed. Spir. *advehebant.*

perfidum, ignavum. MS. Reg. *perfide ignavum.*

exscinderent. Sic edd. Lipsii sqq. — *excinderent* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. Ald. Ita enim scribunt pro *exscinderent.* E compendio *excīderent*, quod exstat in cod. Guelf., ortum est *exciderent* in MSS. Bud. Agr. ed. Spir., quod idem Iac. Gronovius testatur inesse codici Florentino et receperunt Ernestius sqq. Sed cf. An. 2, 25. *exscindit non ausum congredi hostem.*

cum pluribus certasse. Ed. Spir. *certasse cum pluribus.* Eadem mox *romanos* pro *Germanos.*

ac tamen fusos. Sic MS. Flor. (test. Pich.), unde suadentibus Mureto, Pichena, Ernestio, et praeeuntibus Broterio et Bipontinis restituo. Victorius quidem intactum reliquit *attamen*, quod exstat in MSS. Guelf. Bud. edd. Spir. Put. sqq.; sed id non est huius loci. cf. not. ad An. 3, 73. — MS. Reg. *ac tum*, vulgari confusione.

proprios inde. Ed. Spir. *hic* pro *inde* et mox *admonebat* pro *admovebat.*

illa primum acie secundanos etc. Erant enim recens conscripti. cf. Hist. 4, 68.

praevectus. MSS. Vaticc. 1863. et 1958. *provectus*, quod fortasse verius est. MS. Agr. *pervectus*; MSS. Guelf. Bud. *prevectus*, uti solent; MS. Ies. *praeventus.* Vulgatam si retines scripturam, intellige Cerialem praeter legiones Britannicas et sextam secundamque vectum ad Germanicum exercitum.

reciperarent. Sic edd. Lipsii sqq. ex usu Taciti. Priores edd. cum MSS. hic ferunt *recuperarent.*

alacrior. MS. Agr. *alacer.*

e longa pace. Ed. Spir. *ex longa pace.* Eadem cum MS. Reg. ante *pacis* addit *et.*

praemiaque. MS. Bud. *praeliaque.*

sperabantur. MS Reg. ed. Spir. *ferebatur.* MS. Ies. *spectabantur.*

XVII. Nec Civilis silentem struxit aciem locum pugnae testem virtutis ciens: stare Germanos Batavosque super vestigia gloriae, cineres ossaque legionum calcantes. quocunque oculos Romanus intenderet, captivitatem clademque et dira omnia obversari. ne terrerentur vario Treverici proelii eventu. suam illic victoriam Germanis obstitisse, dum omissis telis praeda manus impediunt. sed cuncta mox prospera et hosti contraria evenisse. quae provideri astu ducis oportuerit

Cap. 17. *silentem struxit aciem.* Sic libri vett. et recentiores. Ernestius *non silentem aciem* explicat: „quae non silentio exciperet hortantis voces, sed clamore probaret." Rectius intelliges aciem, quae non fieret silentio. Spectant enim haec ad verba, quae ipse Civilis fecit ad exercitum. Ita dicimus *silens* vel *tacitum* iter facere. Quare non opus est emendationibus *silens*, *silenter*, *silentio*, quas viri docti proposuerunt.

ciens. MS. Bud. *sciens.*

Batavosque. MS. Guelf. negligit copulam *que.* Idem liber mox *calcantens* pro *calcantes*, et *quoscunque* pro *quocunque.*

oculos Romanus. Ed. Spir. *Aul9 Roman9.*

dira omnia. Sic MSS. Vatic. 1863. Harl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. (ibi est *oīa*) Beroald. Alc. sqq. ad Pichenam, qui e compendio cod. Flor. *oīa* fecit *omina.* Cum Flor. et edd. Put. consentit MS. Reg. In MSS. Vatic. 1958. Bodl. Agr. ed. Spir. diserte legitur *omina*, pro qua scriptura et Victorius et Pichena sententiam tulere. Ernestius recte restituit *omnia.* Nam *dira omina* etiam sunt in captivitate et clade. Apte autem per verba *et dira omnia* series rerum finitur, quae hic dirae esse dicuntur.

obversari. Sic MSS. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. (cum silentio Victorii). — *observari* MSS. Vatic. 1863. Reg. Guelf. (ibi est *obſuari*) ed. Spir. Sed cf. An. 14, 10. *obversabaturque maris illius et litorum gravis aspectus.* Vid. ibi not.

terrerentur. Ed. Spir. *terrerentur.*

Treverici. MS. Agr. ed. Spir. *treueriani.* MS. Guelf. *treuiri.* Sed cf. An. 3, 42. *Treverici tumultus finis.*

suam illic victoriam. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. (cum silentio Victorii). — *suam illic materiam* MS. Vatic. 1863. et ed. Spir. — *suam materiam illic* MS. Reg. — Acidalius coniectabat *suam illis avaritiam.* Herbst. in Animadvv. p. 82. *incuriam.* Verum Ernestius vulgatam scripturam recte defendit explicuitque. *Victoria* ponitur pro nimia e victoria fiducia, neque frustra loco praeponitur vocabulum *suam*, quod hanc efficit sententiam: non quia tum victi sint ab hostibus, sed quod ipsi victoriam reportaverint, id ipsum obstitisse Germanis: nam eius victoriae fiducia omissa esse tela etc.

dum omissis telis praeda manus impediunt. Ed. Spir. *Nam omissis velis praedam manus impediunt.* Etiam in MSS. Guelf. Harl. Ies. exstat *predā*; cetera, ut in vulgatis. Ernestius pro *impediunt* volebat *impediant* vel potius *impedirent.* Male. cf. not. ad An. 2, 26. et exempla An. 2, 81. *dum Caesar . . . consulitur.* An. 13, 15. *dum . . . respiciunt, dum parant defensiones.* An. 14, 58. *dum refertur* etc.

et hosti contraria evenisse. Ed. Spir. *et ostū arari venisse.*

provisa: campos madentes et ipsis gnaros: paludes hostibus noxias. Rhenum et Germaniae deos in adspectu: quorum numine capesserent pugnam coniugum, parentum, patriae memores. illum diem aut gloriosissimum inter maiores, aut ignominiosum apud posteros fore. Ubi sono armorum tripudiisque (ita illis mos) adprobata sunt dicta, saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur: neque nostro milite paludem ingrediente, et Germanis ut elicerent lacessentibus.

XVIII. Absumptis quae iaciuntur et ardescente pugna procursum ab hoste infestius. immensis corporibus et praelongis hastis fluitantem labantemque militem eminus fodiebant: simul e mole, quam eductam in Rhe-

provisa. Sic MS. Agr. edd. Lallemand. Brot. sqq. e sententia Rhenani, Pichenae et Ryckii. MS. Flor. (test. Pich.) *prouise;* teste Ryckio e lac. Gronovii collatione *previse;* teste Victorio *p̄uise.* — MS. Bud. ed. Spir. *preuise.* MS. Reg. *pervisse.* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Rhenan. sqq. *providisse.* Edd. Put. Beroald. Alc. *praeuidisse.* Iam *provisa*, an *provisa esse*, an *providisse* Tacitus scripserit, ambiguum: verbum *praevidisse* hinc alienum est cf. not. ad An. 2, 14. et 11, 7.

campos madentes. Ed. Spir. *campis madentis.*

noxias. MSS. Reg. Agr. ed. Spir. *medias*, quod immerito placebat Ryckio.

numine capesserent. Ed. Spir. *minime capescerent.* Forma *capescerent* exstat etiam in MS. Guelf. et ed. Ald. — Mox ed. Spir. *coniugiū* pro *coniugum;* MS. Guelf. *parentū* pro *parentum.*

aut gloriosissimum. MS. Guelf. *aut gloriosum.* Ed. Spir. cum MS. Reg. pro *aut* habent *diuo*

inter maiores. H. e si compararetur cum rebus a maioribus gestis.

fore. Ed. Spir. *foret.* Mox pro *mos* eadem cum MS. Guelf. (a secunda manu) exhibet *modo.* Pro *illis* ed. Beroald. fert *illos*, e lapsu operarum, ut videtur.

et Germanis. Ed. Spir. *et Romanis.*

ut elicerent. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Agr. Bud. edd. Spir. Rhenan. sqq. — *ut eluderent* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Ryckius coniectabat *inlicerent* sc. in paludem. Sed *elicerent* absolute dicitur, intellecto *Romanos.*

lacessentibus. Edd. Spir. Ald. *lacescentibus.*

Cap. 18. *Absumptis.* MS. Bud. ed. Spir. *assumptis*, quae confusio frequens est.

hastis. Ed. Spir. *ustis.*

fluitantem labantemque Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Vatic. (test. Lips.) Reg. Guelf. (a secunda manu in margine) edd Spir. Lips. sqq. — *fluitantemque* (neglecto altero vocabulo) MSS. Guelf. (a prima manu) Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Ber. Alc. sqq. ad Lipsium, pleniore distinctione posita post *hastis*, nulla vel leniore post *infestius.*

eductam. MS. Guelf. *educatā.*

num rettulimus, Bructerorum cuneus tranatavit. turbata ibi res. et pellebatur sociarum cohortium acies, cum legiones pugnam excipiunt. suppressaque hostium ferocia proelium aequatur. Inter quae perfuga Batavus adiit Cerialem terga hostium promittens, si extremo paludis eques mitteretur: solidum illa et Gugernos, quibus custodia obvenisset, parum intentos. duae alae cum perfuga missae incauto hosti circumfunduntur. quod ubi clamore cognitum, legiones a fronte incubuere pulsique Germani Rhenum fuga petebant. Debellatum eo die foret, si Romana classis sequi maturasset. ne eques quidem institit repente fusis imbribus et propinqua nocte.

XIX. Postera die quartadecuma legio in superiorem provinciam Gallo Annio missa: Cerialis exercitum

rettulimus. Supra c. 14.

tranatavit. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Agr. edd. Iac. Gronov. sqq. Victorius intactum reliquit *transnatavit*, quod exstat in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. ad Iac. Gronovium. cf. infr. c. 21. — *renatavit* MS. Reg. ed. Spir.

legiones pugnam. Ed. Spir. *legionem pugnamque.*

aequatur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Vaticc. 1863. et 1958. Reg. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Agr. edd. Spir. Iac. Gron. Ernest. sqq. — *exaequatur* edd. Put. sqq. ad Iac. Gronovium.

inter quae. MS. Reg. ed. Spir. *interea.*

extremo paludis. Ablativus viam indicat, qua mittendus erat eques. cf. not. ad An. 1, 60. MS. Reg. *extremum paludis.*

solidum illa. Sic MSS. Vaticc. 1863. et 1958. Reg. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *solidam illam* MSS. Harl. Ies. Idem additur in MS. Vatic. 1958. — *solida illa* MS. Agr. — De ablativo pronom. *illa* cf. not. ad An. 2, 17.

et Gugernos. Sic MSS. Guelf. Vatic. 1958. edd. Ernest. sqq. — *et Cugernos* edd. Put. sqq. ad Ernestium. — *et ecugernos* MS. Reg. ed. Spir. — *ecugernos* MS. Vat. 1863. — *et Tungros* MS. Agr. a secunda manu; a prima vero manu ibi existimatur fuisse *et Cugernos.* cf. not. ad cap. 16.

parum intentos. Ed. Spir. *pater intentos.*

incauto. MS. Guelf. *incautae.* Mox ed. Beroald. *incubuere.* Correxit Victorius.

Germani. Ed. Spir. *romani.* cf. not. ad c. 16. et 17.

petebant. MS. Guelf. *patebant.*

ne eques quidem. Ed. Spir. *nec eques quidem*, quod non est spernendum.

imbribus. Ed. Spir. *nubibus.*

propinqua. MS. Reg. ed. Spir. *propinquante.*

Cap. 19. *Annio.* Ed. Spir. *Amnio.* MS. Guelf. *aio*, quod compendium solet esse pro *animo.*

occasu Phoenices
longe prospectant.
rentia laborum.
strum ad morem
Palmetis procerit
ut quisque ramus
vent venae: fragm
mor in usu me
Libanum erigit,
cum fidumque n
funditque. nec
atque alterum lac
Lacus immenso a
gravitate odoris
tur neque pisces

rius in suo exemplari.
qua in ed. Spir. non
Mox verba *a meridie* i
omissa Victorius e M
posuit et MS. Corb. a
addit *ei*.

a latere Syriae. S
(teste Ryckio) Bud.
Rhenan. sqq. Victori
reliquit *e latere S.*,
in MSS. Guelf. Harl.
Reg. Agr. edd. Spir. P
Beroald. Alc.: et fortas
silentio Pichenae et L
coniecit in cod. Flor.
hoc silentium non sati

rari imbres. MS.
imbres.

uber solum: frug
suadente Lipsio locus
pont. Oberlin. sqq.
teres editiones ante *f*
exuberant (MSS. G
exuperant). Oberlin
didit verbum *exuber*
Flor. et Agr. abesse,
diserte: „Lipsius
inducit, sed repugn
et meo MSS." Nec

fecerat. Transiere E...
et centum tredecim me...
Alpinus Montanus, simul ...
Gallias superius ...
D. Alpinus. simul ce...
concibant inter gentes p...

XX. Tantumque belli s...
...ium, alarum, legionum u...
invaserit: decumam legion...
...voduri, et Grinnes Vadamqu...

...niere. MSS. Guelf. Harl. Ies. ...onoviana (de anno 1672.) ...re.

... quoque. Ed. Spir. Tu-...

...rorum senatores. Sic MSS. (test. Ryck.) Agr. Vatic. 1863. edd veteres et recentiores. — Harl. Vatic. 1958. Guelf. Ies. Bud. omittunt vocabu- senatores, quod in Harl. et ... secunda manus addidit.

...quis Sic MS. Flor. (test. Vict. Pich.) edd. Spir. (haec in quibus) Bernegg. sqq. — in Pich. Guelf. edd. Put. sqq. ad ... varietas saepissime inveni- ... cf. not. ad Hist. 4, 53. 5, 3. et

...um ... memoravimus. Haec ... in cod. Oxon. Iac. Gronovii. ... is spuria haec esse censet. ... Alpinus secundum Hist. 3, 35. ... non in Gallias, sed in Germaniam ... missus dicitur. Ernestius ... conjecturam admittendam iudi- ... legendum in Germaniam vocem. ... Fortasse tamen rectius res- ... Gallias retinebimus putabimus ... eum non esse ad vivum ... Montanus missus fuerat ... Germaniam Cisrhenanam ... superiorem illam et in- ... quae revera erat pars ... torum. ... itabatur. Ed. Spir. corrupte...

D. Al-pinus h. ... Bud. hic ... ad Hist. 4, ... cum silenti... Alpinus.

CAP. 20. ... legionem. ... uno die Ci... vaserit. Lib... Ed. Spir. cum ... Civilis quadr... Edd. Put. M. ... silent. Vict.) A... Harl. Bodl. Ies. ... cis villis qua... Harl. Ies. qua... praecessit legion... MS. Flor. (test... edd. Rhen. Ald. ... quadripartita ... MS. Bud. modis ... uno die Civilis ... serit, quam F... Taciti scripturam ... in marginem edi... Ernestius, licet ... ptura a Rhenan... set contra Rycki... tiam secutus est ... partita mutavit ... (secundum Liv. ... partito adgredit... 25. signa bipartit... que uno die in u... ed. Spir. Cum ... Brot. Lallem, ... nisi quod hic ed... Vatic. 1863. et ...

provisa: campos madentes et ipsis gnaros: paludes hostibus noxias. Rhenum et Germaniae deos in adspectu: quorum numine capesserent pugnam coniugum, parentum, patriae memores. illum diem aut gloriosissimum inter maiores, aut ignominiosum apud posteros fore. Ubi sono armorum tripudiisque (ita illis mos) adprobata sunt dicta, saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur: neque nostro milite paludem ingrediente, et Germanis ut elicerent lacessentibus.

XVIII. Absumptis quae iaciuntur et ardescente pugna procursum ab hoste infestius. immensis corporibus et praelongis hastis fluitantem labantemque militem eminus fodiebant: simul e mole, quam eductam in Rhe-

provisa. Sic MS. Agr. edd. Lallemand. Brot. sqq. e sententia Rhenani, Pichenae et Ryckii. MS. Flor. (test. Pich.) *prouise;* teste Ryckio e Iac. Gronovii collatione *previse;* teste Victorio *p̄uise.* — MS. Bud. ed. Spir. *preuise.* MS. Reg. *pervisse.* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Rhenan. sqq. *providisse.* Edd. Put. Beroald. Alc. *praeuidisse.* Iam *provisa*, an *provisa esse*, an *providisse* Tacitus scripserit, ambiguum: verbum *praevidisse* hinc alienum est cf. not. ad An. 2, 14. et 11, 7.

campos madentes. Ed. Spir. *campis madentis.*

noxias. MSS. Reg. Agr. ed. Spir. *medias*, quod immerito placebat Ryckio.

numine capesserent. Ed. Spir. *minime capescerent.* Forma *capescerent* exstat etiam in MS. Guelf. et ed. Ald. — Mox ed. Spir. *coniugiū* pro *coniugum;* MS. Guelf. *parentē* pro *parentum.*

aut gloriosissimum. MS. Guelf. *aut gloriosum.* Ed. Spir. cum MS. Reg. pro *aut* habent *diuo*

inter maiores. H. e. si compararetur cum rebus a maioribus gestis.

fore. Ed. Spir. *foret.* Mox pro *mos* eadem cum MS. Guelf. (a secunda manu) exhibet *modo.* Pro *illis* ed. Beroald. fert *illos*, e lapsu operarum, ut videtur.

et Germanis. Ed. Spir. *et Romanis.*

ut elicerent. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Reg. Agr. Bud. edd. Spir. Rhenan. sqq. — *ut eluderent* edd. Put. M. et V. Ber. Alc. Ryckius coniectabat *inlicerent* sc. in paludem. Sed *elicerent* absolute dicitur, intellecto *Romanos.*

lacessentibus. Edd. Spir. Ald. *lacescentibus.*

Cap. 18. *Absumptis.* MS. Bud. ed. Spir. *assumptis*, quae confusio frequens est.

hastis. Ed. Spir. *ustis.*

fluitantem labantemque Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Vatic. (test. Lips.) Reg. Guelf. (a secunda manu in margine) edd. Spir. Lips. sqq. — *fluitantemque* (neglecto altero vocabulo) MSS. Guelf. (a prima manu) Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Ber. Alc. sqq. ad Lipsium, pleniore distinctione posita post *hostis*, nulla vel leniore post *infestius.*

eductam. MS. Guelf. *educatā.*

num rettulimus, Bructerorum cuneus tranatavit. turbata ibi res. et pellebatur sociarum cohortium acies, cum legiones pugnam excipiunt. suppressaque hostium ferocia proelium aequatur. Inter quae perfuga Batavus adiit Cerialem terga hostium promittens, si extremo paludis eques mitteretur: solidum illa et Gugernos, quibus custodia obvenisset, parum intentos. duae alae cum perfuga missae incauto hosti circumfunduntur. quod ubi clamore cognitum, legiones a fronte incubuere pulsique Germani Rhenum fuga petebant. Debellatum eo die foret, si Romana classis sequi maturasset. ne eques quidem institit repente fusis imbribus et propinqua nocte.

XIX. Postera die quartadecuma legio in superiorem provinciam Gallo Annio missa: Cerialis exercitum

rettulimus. Supra c. 14.

tranatavit. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronovio) Agr. edd. Iac. Gronov. sqq. Victorius intactum reliquit *transnatavit*, quod exstat in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. ad Iac. Gronovium. cf. infr. c. 21. — *renatavit* MS. Reg. ed. Spir.

legiones pugnam. Ed. Spir. *legionem pugnamque.*

aequatur. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Iac. Gronov.) Vaticc. 1863. et 1958. Reg. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Agr. edd. Spir. Iac. Gron. Ernest. sqq. — *exaequatur* edd. Put. sqq. ad Iac. Gronovium.

inter quae. MS. Reg. ed. Spir. *interea.*

extremo paludis. Ablativus viam indicat, qua mittendus erat eques. cf. not. ad An. 1, 60. MS. Reg. *extremum paludis.*

solidum illa. Sic MSS. Vaticc. 1863. et 1958. Reg. Bud. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. — *solidam illam* MSS. Harl. Ies. Idem additur in MS. Vatic. 1958. — *solida illa* MS. Agr. — De ablativo pronom. *illâ* cf. not. ad An. 2, 17.

et Gugernos. Sic MSS. Guelf. Vatic. 1958. edd. Ernest. sqq. — *et Cugernos* edd. Put. sqq. ad Ernestium. — *et ecugernos* MS. Reg. ed. Spir. — *ecugernos* MS. Vat. 1863. — *et Tungros* MS. Agr. a secunda manu; a prima vero manu ibi existimatur fuisse *et Cugernos*. cf. not. ad cap. 16.

parum intentos. Ed. Spir. *pater intentos.*

incauto. MS. Guelf. *incautae.* Mox ed. Beroald. *incubuere.* Correxit Victorius.

Germani. Ed. Spir. *romani.* cf. not. ad c. 16. et 17.

petebant. MS. Guelf. *patebant.*

ne eques quidem. Ed. Spir. *nec eques quidem*, quod non est spernendum.

imbribus. Ed. Spir. *nubibus.*

propinqua. MS. Reg. ed. Spir. *propinquante.*

Cap. 19. *Annio.* Ed. Spir. *Amnio.* MS. Guelf. *aio*, quod compendium solet esse pro *animo.*

decuma ex Hispania legio supplevit. Civili Chaucorum auxilia venere. non tamen ausus oppidum Batavorum armis tueri, raptis quae ferri poterant, ceteris iniecto igni, in insulam concessit: gnarus deesse naves efficiendo ponti neque exercitum Romanum aliter transmissurum. quin et diruit molem a Druso Germanico factam, Rhenumque prono alveo in Galliam ruentem disiectis quae morabantur effudit. sic velut abacto amne tenuis alveus insulam inter Germanosque continentium terrarum spe-

ex Hispania. MS. Bud. *Spagna*; secunda manus praeposuit *ys.*

supplevit. Ed. Spir. *supplebit*, vulgari litterarum *b* et *v* permutatione. Sed MS. Agr. ex emendandi studio *supplebat.*

Civili. Ed. Beroald. *Cavili* ex mendo, quod correxit Victorius.

Chaucorum. Sic edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *Caucorum* MS. Guelf. — *cautorum* ed. Spir.

ausus oppidum Batavorum armis tueri. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. (cum silentio Victorii) Pichenae et Iac. Gronovii, unde satis patet eandem scripturam inesse codici Florentino. — *oppida Bathavorum ausus armis tueri* MSS. Reg. Agr. ed. Spir., unde Ernestius, Lallemandus, Broterius sqq. acceperunt *oppida*, sed servato vulgari verborum ordine. Intelligunt ea Batavorum oppida, quae extra insulam essent; provocant ad locum Hist. 4, 12., ubi Batavi *extrema Gallicae orae vacua cultoribus simulque insulam inter vada sitam* dicuntur occupavisse. Sed ea oppida Noster non κατ᾽ ἐξοχήν dixisset *oppida Batavorum*: nam oppida Batavorum etiam sunt intra insulam. Parum etiam sequentia huic scripturae favent: *raptis quae ferri poterant, ceteris iniecto igni.* Non enim est credibile Civilem illo tempore ex omnibus oppidis extra insulam sitis rapuisse, quae ferri possent, ceteris igni iniecto. Alii *oppidum Batavorum* defendunt accipiuntque pro nomine proprio: provocant ad oppidum Ubiorum An. 1, 36. 12, 27. Alii censent intelligi praecipuum atque insigne aliquod Batavorum oppidum: cogitant de Batavoduro, de Bateburgo, de Noviomago. Sed haec nimis vaga atque dubia sunt. *Oppidum* intellige *Vetera castra*, apud quae tunc consedit (vid. supr. c. 14.) et unde exercitum duxit contra Romanos. Eodem ipsum rediisse post res in prioribus narratas quis dubitabit? At non ausus est tueri Batavorum armis, quae non erant facta ad tolerandam obsidionem. Romanorum armis certe ausus esset. Iam vero nec inepta est scriptura *oppida*, dum coniungas *Batavorum armis* neque *oppida Batavorum.*

deesse naves. Ed. Spir. *decem naves.* Ed. Beroald. pro *naves* vitiose exhibet *nones*, quod correxit Victorius. Eadem habet *afficiendo* pro *efficiendo* sine Victorii correctione.

diruit. MS. Bud. ed. Spir. *diluit.*

molem a Druso factam. cf. An. 13, 53. Alting. in Notit. Bat. et Fris. Ant. T. I. p. 54. Oberlin. in Iungend. mar. fluv.que omnis aevi moliminibus, Arg. 1773.

abacto. Sic (sive *ab acto*) MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. Rhenan. sqq. — *ab amoto* MS. Reg. ed. Spir. — *amoto* MS. Agr. — *ablato* edd. Put. V. Beroald. Alc.

Germanosque. Ed. Spir. negligit copulam *que.*

ciem fecerat. Transiere Rhenum Tutor quoque et Classicus et centum tredecim Treverorum senatores: in quis fuit Alpinus Montanus, quem a Primo Antonio missum in Gallias superius memoravimus. comitabatur eum frater D. Alpinus. simul ceteri miseratione ac donis auxilia concibant inter gentes periculorum avidas.

XX. Tantumque belli superfuit, ut praesidia cohortium, alarum, legionum uno die Civilis quadripartito invaserit: decumam legionem Arenaci, secundam Batavoduri, et Grinnes Vadamque cohortium alarumque

transiere. MSS. Guelf. Harl. Ies. ed. Gronoviana (de anno 1672.) *transire.*

Tutor quoque. Ed. Spir. *Tutor q3.*

Treverorum senatores. Sic MSS. Flor. (test. Ryck.) Agr. Vatic. 1863. Reg. et edd veteres et recentiores. — MSS. Vatic. 1958. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. omittunt vocabulum *senatores*, quod in Harl. et Guelf. secunda manus addidit.

in quis Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) edd. Spir. (haec *in qs*) Pich. Bernegg. sqq. — *in quibus* MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Pich. Eadem varietas saepissime invenitur. cf. not. ad Hist. 4, 53. 5, 3. et alibi.

quem ... memoravimus. Haec desunt in cod. Oxon. Iac. Gronovii. Quare is spuria haec esse censet, quia Alpinus secundum Hist. 3, 35. 4, 31. non in Gallias, sed in Germaniam missus dicitur. Ernestius Gronovii coniecturam admittendam aut legendum *in Germaniam* iudicat. Fortasse tamen rectius vocem *in Gallias* retinebimus putabimusque eam non esse ad vivum resecandam. Montanus missus fuerat in Germaniam Cisrhenanam h. e. Romanam, superiorem illam et inferiorem, quae revera erat pars Galliarum.

comitabatur. Ed. Spir. *comitatur.*

D. Alpinus. MS. Agr. *Dr. Alpinus* h. e. Drusus Alp. — In MS. Bud. hic legitur *Alpinius.* cf. not. ad Hist. 4, 31. Edd. Spir. Put. sqq. cum silentio Victorii et MS. Guelf. *Alpinus.*

Cap. 20. *legionum.* MS. Guelf. *legionem.*

uno die Civilis quadripartito invaserit. Libri insigniter variant. Ed. Spir. cum MS. Reg. *una die Civilis quadripartita invaserit.* Edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Vatic. 1958. *modicis villis quadripartita* (Guelf. Harl. Ies. *quadripartitam*, quia praecessit *legionem*) *invaserint.* At MS. Flor. (teste Iac. Gronov.) et edd. Rhen. Ald. sqq. *modicis vicis quadripartita Civilis invaserit.* MS. Bud. *modis civilis.* MS. Agr. *uno die Civilis quadripartita invaserit*, quam Ryckius ipsissimam Taciti scripturam esse iudicavit et in marginem editionis suae recepit. Ernestius, licet I. Gronovius pro scriptura a Rhenano vulgata pugnavisset contra Ryckium, Ryckii sententiam secutus est et ultro *quadripartita* mutavit in *quadripartito* (secundum Liv. 5, 21, 7. urbem *tripartito adgreditur*; et Caes. B. G. 1, 25. *signa bipartito intulerunt*) itemque *uno die* in *una die* e MS. Reg. et ed. Spir. Cum Ernestio faciunt Brot. Lallem. Bip. et Oberlinus, nisi quod hic edidit *uno die* e MSS. Vatic. 1863. et Agr. Nomen *Civi-*

castra; ita divisis copiis, ut ipse et Verax sorore eius genitus Classicusque ac Tutor suam quisque manum traherent: nec omnia patrandi fiducia: sed multa ausis aliqua in parte fortunam adfore. simul Cerialem neque satis cautum et pluribus nuntiis huc illuc cursantem posse medio intercipi. Quibus obvenerant castra decumanorum, oppugnationem legionis arduam rati, egressum militem et caedendis materiis operatum turbavere, occiso praefecto castrorum et quinque primoribus centurionum paucisque militibus. ceteri se munimentis defendere. et interim Germanorum manus Batavoduri inrumpere inchoatum pontem nitebantur.

XXI. Ambiguum proelium nox diremit. plus discriminis apud Grinnes Vadamque. Vadam Civilis,

lis hic requiri nemo dubitat. Syllabae *modi* in vett. libris repertae aperte factae sunt ex *uno die:* nam eodem die quadripartitum illud proelium factum historia docet.

divisis. Ed. Spir. *divisi*. — Mox pro *Verax* edd. Beroald. Alc. *Vera*, operarum errore.

sorore eius. Ed. Spir. *eius sorore*. Eadem cum MS. Reg. *traheret* pro *traherent*. Mox ed. Spir. *pādi* pro *patrandi*, *cautam* pro *cautum*, *plures nuntios* pro *pluribus nuntiis*.

quibus obvenerant. Sic MSS. Guelf. Vatic. 1958. edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *quibus venerat* MS. Vatic. 1863. — *quibus advenerat* ed. Spir. — Eadem negligit *et* ante *caedendis*. Mox *opa conturbavere* pro *operatum turbavere*, et *centurionum primoribus* pro *primoribus centurionum*.

ceteri se munimentis defendere. MS. Reg. ed. Spir. *ceteris imminentibus defendere*. MS. Bud. *eminentis defendere*, neglecto tertio vocabulo.

et interim. Ed. Spir. *ac interim*.

inrumpere inchoatum pontem. Sic codd. MSS. et edd. ante Ernestium et Lallemandum, nisi quod Iac. Gronovius e cod. Oxon. attulit *rumpere*. At apud Broterium Harl. et Bodl. habent *irrumpere*, les. *irrupere*, et hi sunt Oxonienses. Altera igitur collatione fallimur, nisi si Oxoniensis I. Gronovii liber diversus est ab Oxoniensibus Broterii. Adripuerunt tamen Lallemandus et Ernestius illam Oxon. scripturam, ut suadente Iac. Gronovio ederent *rumpere* pro *inrumpere*, quod verbum hic nihili esse adfirmant vitiumque ortum ab extrema syllaba praecedentis vocabuli. Errant. Nam *inrumpere aliquid* est inruptionem facere in aliquid, ut interpelletur, cf. An. 4, 67. *ne quis quietem eius inrumperet*. Ita *inrumpere inchoatum pontem nitebantur* h. e. nitebantur facto impetu interpellare opus inchoati pontis, ne perfici posset. Quare restitui veterem scripturam. Ceterum *inchoatum* edd. Put. sqq. cum silentio Victorii; *incohatum* ed. Spir.; *incoatum* MS. Guelf.

Grinnes Classicus oppugnabant. nec sisti poterant interfecto fortissimo quoque: in quis Briganticus praefectus alae ceciderat, quem fidum Romanis et Civili avunculo infensum diximus. Sed, ubi Cerialis cum delecta equitum manu subvenit, versa fortuna, praecipites Germani in amnem aguntur. Civilis dum fugientes retentat, agnitus petitusque telis relicto equo tranatavit. idem Veracis effugium. Tutorem Classicumque adpulsae lintres vexere. Ne tum quidem Romana classis pugnae adfuit, ut iussum erat. sed obstitit formido et remiges per alia militiae munia dispersi. sane Cerialis parum temporis ad exsequenda imperia dabat: subitus consiliis, sed eventu clarus. aderat fortuna, etiam ubi ar-

Cap. 21. *Grinnes Classicus.* Ed., Spir. *grinesque Classicus.* Paulo ante *Vadamque* in MS. Ies. non legitur.

nec sisti poterant. Eadem formula est supr. 3, 71.

in quis. MSS. Reg. Harl. Ies. ed. Spir. *in quibus.*

Briganticus. Ed. Spir. *Brigatus.*

ceciderat. Hoc verbum Ernestio superfluum esse videbatur: provocat ad exempla Hist. 3, 77. *sex liburnicae inter primum tumultum evasere, in quis praefectus classis Apollinaris.* Agr. c. 37. *nostrorum trecenti quadraginta cecidere, in quis Aulus Atticus praefectus cohortis.* Sed hic locus in eo diversus est ab utroque, quod post *ceciderat* sequitur alterum relativum *(quem)* priori loco aliam enuntiationem adnectens, neque satis Tacito dignum erat scribere: *in quis Briganticus, quem* etc.

diximus. cf. Hist. 4, 70. 2, 22.

cum delecta equitum manu. Ed. Spir. *delecta manu equitum,* neglecta praepositione. Mox eadem *relicto telis* pro *telis relicto.*

tranatavit. Sic edd. Iac. Gronov. sqq., ut e cod. Flor. cf. not. ad c. 18. — *transnatavit* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *trāsnavit* MS. Reg. ed. Spir.

idem Veracis effugium. Ex Iac. Gronovii et Ernestii emendatione, quam in locum receperunt Oberlinus sqq. — *idem Germanis effugium* MS. Guelf. aliique codd. MSS. edd. Put. sqq. cum silentio Victorii. — *idem germani transfugium* MS. Reg. et ed. Spir. — *germani* etiam cod. Bud., quod tueri posse putat Ernestius, si Verax eadem matre potius quam e sorore Civilis natus fuisset. De Germanis iam dictum est; loquitur nunc de ducum casibus, et Civilis, Tutor et Classicus quum nominentur, Verax non debebat omitti.

Tutorem Classicumque. Ed. Spir. *tutoremque classicumque.* Mox *nec tunc quidem.*

ut iussum erat. Sic edd. Spir. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Rhen. sqq. — *et iussum erat* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. ed. Puteolani.

sed obstitit formido. MS. Reg. ed. Spir. *sed hostilis formido obstitit.*

sed eventu clarus. Heinsius frustra coniecit: *et eventu elatus.* Sequentia satis explicant vulgatam scripturam.

tes defuissent. hinc ipsi exercituique minor cura disciplinae. et paucos post dies, quanquam periculum captivitatis evasisset, infamiam non vitavit.

XXII. Profectus Novesium Bonnamque ad visenda castra, quae hiematuris legionibus erigebantur, navibus remeabat: disiecto agmine, incuriosis vigiliis. animadversum id Germanis: et insidias composuere. electa nox atra nubibus, et prono amne rapti nullo prohibente vallum ineunt. prima caedes astu adiuta. incisis tabernaculorum funibus suismet tentoriis coopertos trucidabant. aliud agmen turbare classem: iniicere vincla: trahere puppes. utque ad fallendum silentio, ita coepta caede, quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant. Romani vulneribus exciti quaerunt arma, ruunt per vias, pauci ornatu militari, plerique circum brachia torta veste et strictis mucronibus. dux

exercituique. Copula non est in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies.

cura disciplinae. Ed. Spir. *disciplinae cura.* Mox *et dies post paucos.*

vitavit. MS. Bud. *mutavit.*

Cap. 22. *Bonnamque.* MS. Ies. *Bonnaque.*

erigebantur. Ed. Spir. *eligebantur.* Mox *composuerunt* pro *composuere*, *asta* pro *astu.*

suismet tentoriis. Sic MSS. Vatic. (test. Lips.) Reg. Agr. Guelf. (a secunda manu) edd. Spir. Ernest. Brot. sqq. — MS. Flor. (test. Pich.) syllaba imminuta *toriis.* — Victorius intactum reliquit *coriis*, quod exstat in MSS. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. ad Ernestium. In marg. Harl. secunda manus posuit *tentoriis.* Herbst. in Animadverss. p. 32. revocat *coriis*, quia ipsum offendunt *tabernacula* et *tentoria*, duo eiusdem significatus vocabula in eodem membro posita. Non adversabor.

vincla. Ed. Spir. *vincula*, et paulo ante *turbavere* pro *turbare.*

puppes. Sic edd. Spir. Alc. Rhen. sqq. — *pupes* MS. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Victorii).

utque ad f. Ed. Spir. *quę ad f.*, neglecto *ut.*

quo plus terroris. Sic MSS. Flor. (test. Pich.) Reg. edd. Spir. Pich. Gruter. sqq. — *et quo plus terroris* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum silentio Vict.) sqq. ad Pichenam. — *et ut quo plus* MS. Bud.

ornatu militari. Sic edd. Spir. Pich. Bernegg. sqq. duce codice Florentino, in quo teste Pichena legitur *ornati militari.* Victorius intactam reliquit scripturam *ornati militariter*, quae exstat in MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. sqq. ad Pichenam. cf. Hist. 2, 80. *militariter locutus.*

circum brachia. Ed. Spir. *circa brachia.*

semisomnus ac prope intectus errore hostium servatur. namque praetoriam navem vexillo insignem, illic ducem rati, abripiunt. Cerialis alibi noctem egerat, ut plerique credidere, ob stuprum Claudiae Sacratae mulieris Ubiae. et vigiles flagitium suum ducis dedecore excusabant, tamquam iussi silere, ne quietem eius turbarent. ita intermisso signo et vocibus se quoque in somnum lapsos. multa luce revecti hostes captivis navibus praetoriam triremem flumine Luppia donum Veledae traxere.

semisomnus. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov. qui ibi vidit *semisomn;*. Vatic. 1863. Guelf. Bud. edd. Spir. Iac. Gron. sqq. cf. An. 1, 51. 4, 25. — *semisomnis* MSS. Vatic. 1958. (secunda manus superscripsit *u*) Bodl. edd. Put. Beroald. (cum silentio Vict.) sqq. — *semisonmus* MS. Agr. — *semisopitus* MS. Reg. Similiter Noster dicit *semermus*, *inermus*, exanimus.

intectus. Ed. Spir. *incertus.* Mox *arripiunt* pro *abripiunt*, vulgari confusione. cf. not. ad An. 14, 8.

servatur. MS. Reg. *salvatur.* In margine additur: „tres alii manu scripti codices habent *servatur.*"

alibi noctem egerat. MS. Guelf. *alia navi noctem egerat.* In MS. Vatic. 1958. secunda manus adscripsit: *alia navi navem* (voluit dare *noctem*). Vulgatam scripturam tuentur MS. Vatic. 1863. et 1958. (a prima manu) edd. Spir. Put. sqq. (cum silentio Victorii).

Claudiae Sacratae. MS. Reg. *Sacrariae.* Ed. Spir. *sacratię.*

mulieris Ubiae, et vigiles. MSS. et vett. edd. *mulieris: ubi et vigiles.* Rhenanus egregie emendavit *mulieris Ubiae. Vigiles*, quae hodieque vulgantur. Sed copula *et* propterea non erat spernenda: nec de nihilo esse puto, quod in veteribus libris apparet.

suum ducis. MS. Ies. *sui ducis.*

excusabant. Sic MS. Flor. (test. Vict.) edd. Spir. Rhenan. (ut videtur e MS. Bud.) Ald. sqq. — *accusabant* MSS. Guelf. Vatic. 1958. Harl. Ies. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. In MSS. Vatic. Harl. Ies. secunda manus super *ac* adscripsit *ex.*

signo et vocibus. Roth. p. 58. haec accipit ut ἓν διὰ δυοῖν additque haec: „debebant enim signa noctu per voces emitti. Adde Vegetium 3, 5. *vocalia* (signa) *dicuntur, quae voce humana pronuntiantur, sicut in vigiliis, vel in proelio pro signo dicitur; ut puta Victoria, Palma, Virtus, Deus nobiscum, Triumphus imperatoris et alia, quaecunque voluerit dare is, qui in exercitu habet maximam potestatem.*" Rectius tamen *signum* accipiemus de buccina in circuitione vigiliarum usurpata. cf. Polyb. de mil. Rom. c. 5. ἡ τῆς ἐφοδείας πίστις εἰς τοὺς ἱππεῖς ἀνατίθεται. Ὁ γὰρ ταξίαρχος τὴν ἐπιμέλειαν ποιεῖται τοῦ κατὰ φυλακὴν βουκανᾷν. *Voces* intellige vigilum. Heinsius frustra coniectavit: *signo et vicibus* sc. vigiliarum.

triremem. MSS. Reg. Agr. ed. Spir. *biremem.*

flumine Luppia. Ex emendatione Rhenani, quam confirmant MS. Harl. et ed. Spir. Nam ibi est *flumine Lupia.* MS. Reg. *Lupa.* At MSS. Guelf. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. M. et V, *flumine Impia.* Edd. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. *flumine Impio* (Beroald. *impio*). Pichena et Iac. Gronovius de cod. Flor. ita tacent, ut videatur cum Rhenani emendatione consentire.

donum. Sic MSS. Guelf. Bud. edd. Put. M. Rhenan. sqq. —

XXIII. Civilem cupido incessit navalem aciem ostentandi. complet, quod biremium quaeque simplici ordine agebantur. adiecta ingens lintrium vis tricenos quadragenosque ferentium: armamenta liburnicis solita: et simul aptae lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis iuvabantur. spatium velut aequoris

domum edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — Ed. Spir. omittit verba *donum Veledae*, et pro *traxere* eadem habet *detraxit*. De *Veleda* cf. not. ad Hist. 4, 61.

Cap. 23. *cupido incessit.* Sic MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum silentio Vict.) sqq. At MS. Flor. (test. Pich.) *cupido invasi incessi*, unde Pichena coniiciebat *cupido inanis incessit*. Ryckius inde adfert *invasi incessit*. Alterum verbum est glossema. Transiit haec corruptela ad alios etiam libros. MS. Bud. *invasi incessit*. MS. Reg. ed. Spir. *invasit: cessit*. Heinsius e cod. Spinae dedit *invasit*.

quod biremium. Ed. Spir. *qd biremes*. MS. Guelf. *quidem biremium*. MS. Bud. *et quod biremium*.

adiecta ingens .... iuvabantur. Locus in MSS. varie corruptus. MS. Flor. teste Pichena: *adiecta ingens lintrium vis tricenos quadragenosque se et armamenta liburnicis solitae*. In edd. Gronov. Ernest. aliisque Pichenae adnotatio ita corrumpitur, ut scribant *solita* pro *solitae*. Victorius ex eodem libro prodidit haec: *adiecta ingens lintrium vis ad tricenos quadragenosque ceu armamenta lyburnicas* (haec ille in ed. Beroald. intacta reliquit; sequentia e Flor. ita habet) *solite et simul captę lyntres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis iuuabantur*. MSS. Vatic. Reg. ed. Spir. *adiecta ingens lintrium vis tricenos quadragenosque fere armamenta* (ed. Spir. *arma*) *liburnicis solitę et simul captę lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro telis iuuabantur*. MSS. Vatic. 1958. Harl. Bodl. Ies. Guelf. edd. Put. M. et V. Beroald. Alc. *adiecta ingens lintrium vis ad tricenos quadragenosque ceu armamenta Lyburnicas soli haud indecore pro velis iuvabant* (Vat. et Harl. *iuvabantur*). In Harl. secunda manus pro *soli* emendavit *solita*, addiditque in margine: *et simul captae lintres sagulis versicoloribus*. MS. Bud. *tricenos quadrigenosque seu armente taliburnicis soli haud* etc. Edd. Rhenan. Ald. Micyll. *adiecta ingens lintrium vis. tricenos quadragenosque simul armamenta liburnicis olim, haud indecora pro velis iuvabant*. Edd. Lips. sqq. *adiecta ingens lintrium vis. tricenis quadragenisque armamenta liburnicis solita: et simul captae lintres sagulis versicoloribus haut indecore pro velis iuvabantur*. MS. Agr. et inde ed. Ryck. *tricenos quadragenosque ferre armatos Liburnicae solitae: et simul* etc. MS. Agr. in fine loci: *pro telis armabantur*. Heinsius volebat scribi: *triceno quadragenoque quaeque remo, sed et armamenta* etc. Bipontini fecere quae nunc vulgantur. At parum fidei est huic scripturae ex vett. libris in verbis *ferentium* et *aptae*, nec video quid sibi velit illud *aptae*. Rectius fortasse locus constituatur sic: *adiecta ingens lintrium vis, ad tricenas quadragenasque: sed armamenta liburnicis solita: et simul eae ipsae lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis iuvabantur*. Verba *ad tricenas quadragenasque* accuratius describunt ingentem lintrium vim. Sic Liv. 6, 20. *Manlius protulit spolia hostium caesorum ad triginta, dona imperatorum ad quadraginta*. Particula *sed* vel *set* facillime potuit abire in *se et*, quod Pichena vidit in cod. Flor., et e compendio *s&* item fa-

electum, quo Mosae fluminis os amnem Rhenum Oceano adfundit, causa instruendae classis; super insitam genti vanitatem, ut eo terrore commeatus Galliae adventantes interciperent. Cerialis miraculo magis quam metu direxit classem, numero imparem, usu remigum, gubernatorum arte, navium magnitudine potiorem. his flumen secundum: illi vento agebantur. sic praevecti tentato levium telorum iactu dirimuntur. Civilis nihil ultra ausus trans Rhenum concessit. Cerialis insulam Batavorum hostiliter populatus agros villasque Civilis intactos, nota arte ducum, sinebat: cum interim flexu autumni

cile potuit fieri *ceu*. Restat ut tibi persuadeas *captae* factum esse ex *eae ipsae*.

electum. Sic MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Vatic. edd. Spir. Put. M. et V. Beroald. (cum silentio Vict.) Alc. et deinde Pich. Gruter. sqq. Pichena in Flor. vidit *eiectum*. cf. not. ad An. 2, 60. sub v. *deiectus*, et ad An. 4, 25. sub v. *deiectis*. — MS. Bud. *ceptum*, unde Rhenanus fecit *captum*, quod duravit ad Pichenam.

quo Mosae fluminis os amnem Rhenum. Sic MSS. Flor. (test. Iac. Gronov.) Reg. Agr. Vatic. 1863. edd. Spir. Iac. Gronov. sqq. cf. An. 2, 6. — *quo Mosae fluminis amnem Rhenus* MSS. Guelf. Harl. Bodl. edd. Put M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. et deinde Pich. Gruter. sqq. — Rhenanus sqq. pro *quo* ediderant *ubi*, quia cod. Bud. habet: *ut mos est fluminis amnem* etc. — MS. Ies. consentit cum Guelf. etc., nisi quod pro *Rhenus* habet *Rheno*, quod exortum est e compendio *Rheno*.

adfundit. MSS. Reg. Bud. ed. Spir. *effundit*.

commeatus. MS. Flor. (test. Vict.) *commeati*. Ed. Spir. *amoti galliā aduentantes* etc.

miraculo magis quam metu. Lipsius: „magis, quia mirabatur Civilem hoc audere, quam quod timeret." Bipontini malunt *metui*, quod sententiam huius loci contorquet. Mox ed. Spir. *interciperetur* pro *interciperent*, *remigium* pro *remigum*. Vocabulum *numero* ibi non legitur.

magnitudine potiorem. In haec verba desinunt MSS. Vatic. 1863. Reg. ed. Spir., unde cognoscas horum librorum cognationem, quae et aliunde satis patuit.

his flumen secundum. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Bud. edd. Pich. Gruter. sqq. — *is flumine secundo* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. sqq. ad Pichenam. Eadem insunt Vatic. 1958; sed adscriptum ibi est *flumen secundum*. Vitium originem traxit e scriptura *is* pro *his*, quae exstat in cod. Bud. et, si fides Victorio, etiam in Flor. Nam quia *is* videbatur esse casus nominativus, reliqua debebant refingi in *flumine secundo*. De locutione cf. Hist. 4, 88. *illis mare secundum*.

praevecti. Sic (sive *preuecti*) MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. edd. Rhenan. sqq. — *provecti* edd. Put. M. et V. Beroald. Alc., vulgari confusione. cf. not. ad Hist. 2, 4. An. 3, 5. 15, 66.

levium telorum iactu. Sic MS. Flor. (test. Vict. cum Ryckio) edd. Bipont. Oberl. sqq. — MS. Guelf. edd. Put. sqq. omittunt *levium*.

nota arte ducum. cf. Iustin. 3, 7. Liv. 2, 39. 22, 23.

flexu autumni. Sic MSS. Guelf. Bud. edd. Rhenan. sqq. — *fluxu autumni* edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alciat. Sed cf.

et crebris per hiemem imbribus superfusus amnis palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit. nec classis aut commeatus aderant: castraque in plano sita vi fluminis differebantur.

XXIV. Potuisse tunc opprimi legiones et voluisse Germanos, sed dolo a se flexos imputavit Civilis. neque abhorret vero, quando paucis post diebus deditio insecuta est. Nam Cerialis per occultos nuntios Batavis pacem, Civili veniam ostentans Veledam propinquosque monebat, fortunam belli tot cladibus adversam opportuno erga populum Romanum merito mutare. caesos Treveros, receptos Ubios, ereptam Batavis patriam: neque aliud Civilis amicitia paratum, quam vulnera, fugas, luctus. exsulem eum et extorrem recipientibus oneri: et satis peccavisse, quod totiens Rhenum transscenderint. si quid ultra moliantur, inde iniuriam et culpam, hinc ultionem et deos fore.

XXV. Miscebantur minis promissa. et concussa Transrhenanorum fide inter Batavos quoque sermo-

An. 1, 16. *flexo in vesperam die.* Cic. pro Caelio c. 31. *in hoc flexu aetatis.*

crebris per hiemem imbribus. Sic edd. Bipont. Oberl. sqq. et ita legi in cod. Flor. testatus est Ryckius, tacentibus tamen Pichena et Iac. Gronovio. Iam vero Victorius *puluialibus*, quod e mendo typogr. est in ed. Beroaldi, correxit *pluvialibus*, uti solet corrigere e MS. Flor. et *crebris pluvialibus imbribus* habent MS. Guelf. edd. Put. sqq. ad Bipontinos. Heinsius totum locum refingebat in hunc modum: *cum interim flexu autumni crebrae pluviae: et Vahalis ripis superfusus amnis palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit.*

differebantur. Sic MS. Bud. edd. Rhenan. sqq. — *deferebantur* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. Sed praestat recepta a Rhenano scriptura. cf. Vellei. 2, 79. *partem classis maiorem vis Africi laceravit ac distulit.* Horat. ep. 5 99. *insepulta membra different lupi.* — *Deferebantur* originem traxit e scriptura *diferebantur.*

Cap. 24. *abhorret vero.* In MS. Guelf. secunda manus ante *vero* addidit *a.* Sed cf. An. 1, 54. *neque ipse abhorrebat talibus studiis.*

Veledam. Sic edd. Ryck. Ernest. sqq. — *Velledam* MS. Guelf. edd. Put. Beroald. (cum silentio Vict.) sqq. cf. not. ad Hist. 4, 61.

monebat . . . mutare. Heinsius malebat *mutarent.* Sed vid. not. ad An. 11, 1.

paratum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Bud. edd. Ernest. Brot. sqq. — *peractum* MS. Harl. edd. Put. sqq. ad Ernestium.

vulnera. MS. Flor. (test. Vict.) *volnera.*

transscenderint. MS. Ies. *transscenderit*, omissa scilicet lineola.

si quid. MSS. Guelf. Harl. *sed quid.* MS. Ies. *sed quia.*

inde. MS. Guelf. *in.*

Cap. 25. *Batavos quoque.* MS.

nes orti: non prorogandam ultra ruinam: nec posse ab una natione totius orbis servitium depelli. quid profectum caede et incendiis legionum, nisi ut plures validioresque accirentur? si Vespasiano bellum navaverint, Vespasianum rerum potiri; sin populum Romanum armis vocent, quotam partem generis humani Batavos esse? respicerent Raetos Noricosque et ceterorum onera sociorum: sibi non tributa, sed virtutem et viros indici. proximum id libertati: et, si dominorum electio sit, honestius principes Romanorum, quam Germanorum feminas tolerari. haec vulgus. Proceres: atrociore Civilis rabie semet in arma trusos: illum domesticis malis excidium gentis opposuisse. tunc infensos Batavis deos, cum obsiderentur legiones, interficerentur legati, bellum uni necessarium, ferale ipsis sumeretur. ventum ad extrema, ni resipiscere incipiant et noxii capitis poena poenitentiam fateantur.

XXVI. Non fefellit Civilem ea inclinatio, et praevenire statuit: super taedium malorum etiam spe

Guelf. *Battavosque.* cf. not. ad An. 1, 28.

profectum. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud., unde summo iure restituo. cf. Agr. c. 15. *nihil profici patientia.* Ibid. c. 19. *parum profici armis.* Caes. B. G. 4, 19. *satis et ad laudem et ad utilitatem profectum arbitratus.* — *perfectum* edd. Put. sqq. ad hunc diem. At *perfectum* haud dubie aliquid erat: quaeritur tamen, an sit *profectum.*

plures. MS. Flor. (test. Vict.) Bud. (test. Oberl.) *fures.*

navaverint. MS. Bodl. a secunda manu *navaverunt.*

armis vocent. Sic MSS. Flor. (test. Vict.) et Bud. Recte. Nam *armis vocent* est pro *ad arma vocent*, et saepius Noster dativum ponit pro *ad* c. accus. cf. not. ad An. 1, 19. sub vv. *iamque pectori usque.* De verbo *vocare* cf. An. 6, 34. *vocare ad pugnam.* Dial. de Orat. c. 13. *vocare ad exempla.* — Vulga edunt *provocent*, quod exstat in MS. Guelf. edd. Put. sqq.

generis. Ed. Beroald. e mendo typogr. *generi.* Victorius correxit e cod. Flor. Eadem ed. Beroald. cum Alc. ante *ceterorum* omittit *et* (cum silentio Victorii).

virtutem et viros. Sic MS. Flor. (test. Pich.) et suadente Lipsio edd. Pich. Bernegg. sqq. — *virtutes et viros* MSS. Guelf. Harl. Bodl. Ies. Bud. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq. ad Pichenam. Rhenanus volebat: *iuventutem et viros.* Heinsius: *virtutem ut viris.*

haec vulgus. MS. Guelf. *hoc vulgus.*

proceres: atrociore etc. Oberlinus malebat: *Proceres atrociora: Civilis rabie* etc. Frustra.

in arma trusos. In haec verba desinit MS. Ies.

resipiscere. MS. Bodl. *respicere.*

vitae, quae plerumque magnos animos infringit. petito colloquio scinditur Nabaliae fluminis pons. in cuius abrupta progressi duces: et Civilis ita coepit: „si apud Vitellii legatum defenderer, neque facto meo „venia, neque dictis fides debebatur. cuncta inter „nos inimica, hostilia, ab illo coepta, a me aucta „erant. erga Vespasianum vetus mihi observantia: et „cum privatus esset, amici vocabamur. hoc Primo „Antonio notum, cuius epistolis ad bellum accitus „sum, ne Germanicae legiones et Gallica iuventus „Alpes transscenderet. quae Antonius epistolis, Hor„deonius Flaccus praesens monebat, arma in Germania „movi, quae Mucianus in Syria, Aponius in Moesia, „Flavianus in Pannonia." . . . .

Cap. 26. *Nabaliae fluminis.* De quo flumine quum nihil innotuerit, Rhenanus et Lipsius volebant *Vahalis fluminis.* At Civilis trans Rhenum concesserat (c. 23). Quare alii intelligunt fossam Drusi (cf. Alting. T. I p. 67.), quasi *Nabalia* celtica lingua sit *Nach-Wale* h. e. posterior Vahalis. Alii mendum esse in nomine *Nabaliae* haud absurde iudicant. MS. Bud. *flabalie.*

et Civilis ita coepit. Copulam *et* Pichena addidit e cod. Flor. Recepit et Lipsius anno 1607. Abest illa a MSS. Vatic. 1958. Guelf. Harl. Bodl. Bud. edd. Put. Beroald. (cum silent. Vict.) sqq.

Vitellii legatum. MS. Flor. (test. Vict.) *Vitellium legatum.* Sed verius vulgatum.

et cum privatus esset. Laudat haec verba Sidonius in epist. 4, 14.

accitus. MS. Flor. (test. Vict.) *actus*, haud absurde.

ne Germanicae. MS. Harl. *ut Germanicae.*

transscenderent. Sic MSS. Guelf. Vatic. 1958. Harl. Bodl. edd. Put. M. et V. Beroald. (cum silent. Vict.) Alc. — *transscenderet* edd. Rhenan. Ald. sqq. nescio an e cod. Bud. Sed is non morabitur restitutionem veteris scripturae, quae satis bona est.

quae Antonius epistolis. Sic edd. Pich. Bernegg. sqq., ut e cod. Flor. — Victorius intactam reliquit scripturam *quae Antonius absens*, quae exstat in MSS. Guelf. Vatic. 1958. Harl. Bodl. edd. Put. sqq. ad Pichenam. — Idem Pichena e Flor. reposuit *Hordeonius*, quod abest a MSS. iisdem et edd. ante Pich. (cum silentio Victorii). MS. Bud. *quae Antonius praesens monebat*, omissis mediis.

movi. MS. Flor. (test. Vict.) *movit.*

Flavianus. Sic MSS. Flor. (test. Vict. cum Pich.) Bud. edd. Pich. (adprobante Lipsio) Gruter. sqq. — *Fabianus* MSS. Guelf. Vatic. 1958. Harl. Bodl. edd. Put. sqq. ad Pichenam. cf. not. ad Hist. 2, 86.

in Pannonia. MS. Bud. *in Parma.*

580450